



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1601. usque ad annum 1605

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118790

Liber CLXXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67204)

HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

LIBER CLXXXVI.

CLEMENS VIII. SUMM. PONTIFEX.
RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

*Decisiones Pontificiæ circa Sacros
Ritus.*

Propositis variis dubiis hoc anno die Sæc. XVII.
secunda Martii Patres Congrega- A. C. 1602.
tionis Rituum approbante summo Pon-
tifice decidebant, quod Archidiaconus
tam in Cathedrali quam collegiata Ec-
clesia a dexteris Episcopi celebrantis
federe, necnon Nobilior Magistratus
post Episcopo assistentes incensari debeat.
Statutum præterea die quinta ejusdem
Mensis in Congregatione Episcoporum,
quod Hebdomadarius legitime absens
supplenti nihil dare teneatur: vigesima
autem prima Martii censuit Congrega-
tio Concilii Tridentini, quod interesse
debeant publicis supplicationibus Cle-
rici

Hist. Eccles. Tom. LIII.

Q rici

Sæc. XVII. rici sæculares, etsi a jurisdictione Or-
 A. C. 1602. dinarii, intra cujus Diæcesin existunt
 exempti sint: ad quas tamen, excepta
 supplicatione ad SS. Sacramentum Mo-
 nachos Cassinenses non esse cogendas
 Congregatio rituum die decima Junii
 decidit. Eadem quoque Congregatio
 die vigesima Aprilis declarabat, quod
 Canonici in Choro teneantur psallere
 & alias obligationi suæ non satisfaciunt
 ut vero alta voce cantent, non possunt
 eos cogere Episcopus, si vero cum Mi-
 tra celebrant, ex illis per alios impo-
 nenda & deponenda sit, si autem choro
 assistunt, per seipfos. Ipse Pontifex die
 quinta Maji Franciscanis concessit, ut
 organa, vestes, & vasa Sacra pretiosa
 quæ in Ecclesiis antea erant, possint
 servare, illisque uti, quamdiu durave-
 rint. Die decima octava Maji a S. Con-
 gregatione Rituum decisum habetur,
 quod solemniores Ecclesiæ functiones
 non ad Sodalitatum Capellanos, sed
 ad Parochum spectent, qui neque ab
 Episcopo cogi potest, ut subministret
 necessaria Presbyteris, qui in Parochiali
 celebrare volunt: nec Episcopus Regu-
 lares cogere valeat, ut faciant ipsius
 commemorationem in ultima collecta,
 prout die decima Junii decisum est. Ea-
 dem Congregatio die octava Septembris
 declarabat, quod illi, qui sunt de Gre-
 mio

mio Ecclesiæ, debeant recitare officium, **Sæc. XVII.**
 quod in choro dicitur, & licet extra **A. C. 1602.**
 Ecclesiam vel Diæcesin morentur, de-
 ceat eos recitare Officium proprium Ec-
 clesiæ ipsorum. Declaratum quoque in
 Congregatione Episcoporum die tertia
 Decembris, quod in Ecclesia Collegiata
 citius quam in Cathedrali Divina per-
 solvi queant, nullatenus tamen, uti
 decisum die decima ejusdem Mensis,
 intra Monialium clausuram Missa cele-
 brari valeat, etsi infirmæ communican-
 dæ forent: nec liceat Regularibus SS.
 Sacramentum etiam in propriis Ecclesiis
 publice exponere, nisi ex publica causa
 ab Ordinario approbata.

§. II.

Aliæ Constitutiones circa Confessarios.

Die vigesima secunda Januarii Con-
 gregatio Concilii censuit, quod Ca-
 pitulum Sede vacante dispensare & ab-
 solvere a casibus Episcopo reservatis
 juxta Tridentinum valeat. Quod vero
 neque Episcopus pro licentia audiendi
 Confessiones, nec Notarius propter Scri-
 pturam &c. quicquam accipere valeat,
 die octava Martii decisum est, pariter
 die duodecima declaratum, quod Con-
 fessarii examinati & indeterminate ap-
 probati non sint iterum examinandi,

Q 2

nisi

Sæc. XVII. nisi ab Episcopo Successore, possunt te-
 A. C. 1602. men Ordinarii statuere, ne Regulares
 Sæcularium Confessiones excipiant, an-
 tequam suas Patentes Parochis oste-
 derint: ita definitum legitur die quinta
 Aprilis in Congregatione Episcoporum.
 si vero hi licentia ab Ordinario petita
 & non obtenta Confessiones exciperent,
 ad eas inhabilitantur, a suis Superiori-
 bus puniendi. Eadem Congregatio die
 quarta Septembris decidit, quod Ex-
 communicatus propter non solutionem,
 non absolvatur neque post mortem, nisi
 hæredes, quam possunt satisfactionem
 præstent, nec etiam excommunicatus
 propter manifestum excessum absolva-
 tur, nisi prius Ecclesiæ satisfaciatur.

§. III.

*Contentio inter Surdisum Cardina-
 lem & Senatum Burdigalensem.*

*Thuan.
 l. 129.*

*Sammart.
 Gall. Christ.
 Eccl. Bur-
 deg.*

Subidem tempus Burdigalæ contentio
 erat exorta, qua rursus Sacra juris-
 dictio cum Regia collidebatur: Erat
 enim in majore S. Andreæ Templo quod-
 dam altare, in quod plerique e plebe,
 ut Concionatoris faciem intueri possent,
 minus religiose infiliebant, ceterisque
 risu dignum excitabant spectaculum non
 sine magna piorum offensione: quocirca
 Franciscus Henricus Surdisius Cardi-
 nalis

nalis urbisque Archiepiscopus hanc a-Sæc. XVII.
 ram destrui jussit, quoniam vero id in- A. C. 1602.
 consultis Senatoribus aggressus esset,

hi altera die rursus Altare erigere mol-
 liuntur, & cæmentarium, qui illud de-
 molitus fuerat, carceri mancipant: su-
 perveniente autem Cardinali, ejus do-
 mestici refractarios illata vi Templo de-
 turbarunt. Re ad Senatum delata de-
 cretum est, ut convocato ad vim pro-
 hibendum satellitio altare instauraretur.
 Porro Cardinalis jus suum nonnisi
 armis Sacris vindicandum ratus Sacer-
 dotem decernit, qui Senatores diris
 devoveret: Ast Godefridus Malvinus
 eum contemptui habuit: quocirca Car-
 dinalis Cruce ac Sacra Eucharistia præ-
 lata ante Ecclesiæ valvas hunc & Ver-
 dunum, qui proxima Dominica ad Con-
 cionem accesserant, anathemate per-
 culit, simulque Concionatori & Sacer-
 doti, ne tunc suo fungerentur officio
 inhibuit. Die proximo feria secunda
 Mensis Martii Senatus edicto manda-
 tum, ut Cardinalis excommunicatio-
 nem publice in Ecclesiæ foro per Sacer-
 dotem revocaret, ac desuper scriptum
 testimonium ad acta Curix deponeret,
 indicta, ni pareat, quatuor aureorum
 millium multa: Præterea cautum, ne
 Præsulum ullus deinceps Senatum aut
 alios Officiales diris devoveret, ni mul-

Sæc. XVII. A. C. 1602. ætæ nomine decem aureorum millia per-
dere vellet. Nec his contenti Senato-
 res, insuper Cardinalem, cum Senatum
 adiret, non admissum & per integram
 horam ad portam sedere jussum acriter
 increpant: Hanc injuriam non sibi so-
 lum, sed Deo ac Ecclesiæ illatam ratus
 Præfulad Regem questum venit, qui ne
 suam conscientiam lædere, nec aucto-
 ritati suæ quicquam detrudere volens
 edito diplomate inhibuit, ne ulterius
 ab utraque parte hoc in negotio proce-
 deretur, eoquod hanc illius cognitio-
 nem sibi reservasset.

§. IV.

*Aliud dissidium inter Episcopum An-
 degavensem & cujusdam Col-
 legii Sodales.*

Thuan.
l. 129.

Abregé hist.
tom. 3. pag.
394. & 409.

Nec minori animorum contentione
 causa inter Andegavensem Epi-
 scopum & S. Trinitatis Collegii Sodales
 hoc anno agitabatur, occasione inde
 sumpta, quod Episcopus inconsultis sacre
 Diæcesis Ordinibus ac Metropolita suo
 Turonensi Archiepiscopo, abrogatis ve-
 teribus hucusque in hoc Collegio usita-
 tis, novum Breviarii, Missalis, Psalterii
 ac reliquorum Divini Officii librorum
 usum juxta Tridentini præscriptum e-
 dito decreto introduxisset, ac refracta-
 rium

rium Michaelem Serfannum alia tamen Sæc. XVII.
 ex caussa Parisiis comprehendi, & car- A. C. 1602.
 ceri includi jussisset. Igitur hi Sodales
 nulla mora adversus Episcopi decretum
 ad Senatores appellant, qui injuriam,
 qua nuper ob assumptum FF. Recol- Vid. Supr.
 lectorum patrocinium se ab hoc Præsule Lib.
 affectos existimabant, vindicandi occa- CLXXXV.
 sionem gratanter acceptant, remque S. 23.
 ad Cognitorem Regium deferunt. Pau-
 lopost Ludovicus Servinus pro Soda-
 lium caussa in Senatu perorans compro-
 batum reddebat, quod, nisi Regis per-
 missu & consulto Metropolitano totius-
 que Diæcesis Clero, nihil in usu receptum
 innovari possit, præcipue cum ibi Ve-
 teris Officii Divini usus per ducentos
 & amplius annos invaluerit, Pii V.
 Constitutione confirmatus: Plura ad-
 huc satis contumeliose contra honorem
 Sacræ Sedis, atque authoritatem, ejus-
 que jurisdictionem tam effræni licentia
 congesserat, ut anno Christi millesimo
 sexcentesimo quarto major adhuc exin-
 de tumultus fuerit exortus. Postmo-
 dum Senatores Episcopo diem dicunt,
 quo tamen non comparente Senatus
 pronuntiabat, quod ipsius decretum sit
 nullum, ac legitime ab eo appellatum,
 simulque inhibebat, ne quid in Divini
 Officii libris in sua Diæcesi absque Re-
 gis auctoritate innovaret: idem quoque

Q 4

anno

Sæc. XVII. anno sequenti circa Rothomagensi officio
 A. C. 1602. cium fuit decretum, ubi duo notanda
occurrunt, I. quod Breviarii Romani
 publicis typis edendi licentiam petendi
 usus primum sub Henrico III. instantibus
 Jesuitis incœperit, II. quod Carolus de Bassac
 Noviodunensis Præsul Anno 1610. Canonicis
 præceperit, ut relicto Diocesano Breviario ad
 Parisiensis Ecclesiæ normam Romanum adhererent,
 quod nullo reclamante in Sacello Vincenensi
 etiam factum est.

§. V.

*Sabaudia Ducis expeditio in
 Genevam.*

Mem. secret. p. 2. fol. 359. 375. Et 545. Mercur. Gall. fol. 465. Daniel hist. de France tom. 10. Jam sæpius tam scriptis quam congressibus Emanuel Sabaudia Ducis suum in Genevam Hugonotaram urbem proferebatur, irritum tamen semper conatu quocirca hanc urbem quacunque ratione posset, in suam potestatem redigere statuit: Ejus igitur auspiciis Caroli Albinii ductu sparsi per omnem eam Regionem milites die undecima Decembris noctu clam contrahuntur, moxque somno profundo confopitis civibus lectissimæ virtutis juvenes fossas urbis fidas superant, applicitisque coriaceis scalis murum, nemine vigillum strepitum sentiente, transiliunt, nec minimo

nimo numero; nam erant aliquanto plures ducentis, qui in diversa urbis loca contendebant, & alii quidem, ut effracta altera porta fociis suis aditum aperirent, crepitaculum admovebant, alii vero fores lignibus effringere, suosque inobservatos intromittere nitebantur. Strepitu tamen majore excitati, necnon a puero quodam, qui vigilias mutaturis lucernam præferebat, periculum evadente admoniti cives ad arma convolant: interea Sabaudi partim intempestiva victoriæ conclamatione, partim tumultus fragore omniumque tam virorum quam mulierum densa concursatione obruti, circumventique sunt, cumque hi, qui urbem modo ceperant, scalis tormenti ictu diffractis, præclusoque effugio de mœnibus resiliirent, ac ceteri numero viribusque civium oppressi vel vitam vel libertatem amitterent, hinc illi, qui foris adhuc remanserant, ab adjuvandis intusque laborantibus fociis excludebantur. Porro Albinus Dux, Amassius, & Schaffardonus Viri nobilitate conspicui, qui cum aliis triginta duobus capti sunt, indemnitate fidem a victoribus petierunt, & impetrarunt, qua tamen perfide violata eodem adhuc die, quæ erat Dominica, suspendio publice necati sunt, quorum omnium capita uti & eorum,

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

Sæc. XVII. qui cæsi in fossis jacebant cervicibus
A C. 1602. vulsa in propugnaculo Anserino, quæ
 venerant, præfixa sunt, ad ludibrium
 furore hæreticis usitato exposita, cor-
 poribus in profluentem demersis. Ec-
 clesiis sedecim circiter interfecti, &
 iis Canartius & Marcus Cambiagu
 Insulto hoc successu turbatus Sabo-
 diæ Dux datis ad vicinos Principes
 teris violatæ pacis Verbiensis calu-
 niam abstergebat, causatus, hanc
 blem in dicto fœdere haud fuisse non
 natam: Papa vero percepta urbis
 vatione anxiis curis agitabatur, ve-
 tus, ne Hispaniæ ac Franciæ Reges
 infringendam pacem exinde inducere-
 tur; probe enim cognoverat, quod Ph-
 lippus hujus urbis, quæ hæresis Lat-
 na, execrandumque Catholicæ Reli-
 gionis sui que Zeli obstaculum erat, va-
 lidam expugnationem urgere intendere-
 atque econtra Franciæ Rex illius
 cturæ totis viribus sese oppositurus
 fet, non modo privati sui commodi
 dio abreptus, sed etiam Hugonottarum
 atque inter eos Ronii sui Clientis in pa-
 cis chari sollicitationibus animatus
 hinc Papa per Nuntium suum apud Re-
 gem instabat, ne ex hoc Emanuelle
 aufu ambo Reges arma summo Chris-
 tianæ Reipublicæ gaudio posita reser-
 merent: Augebatur magis Pontificis
 timor

timor, eoquod Bethunius Franciæ Regis Orator accepto Genevensis expeditionis nuntio Papam accessisset, exponens, quod ipsius Rex Sabaudix Ducis violentias absdubio tota armorum vi ideo repressurus esset, quia Dux Francici Regis subditos corrupisse haud contentus, urbem in Verbiensi pace comprehensam, ac speciali Regis protectione munitam aggredi ausus esset, nec unquam a turbis cessaturus, donec inter ambos Reges bellum fuscitaverit: ad hæc vero Pontifex reposuit, quod fedulo, omnique conatu ejusmodi consilia præpediturus esset, de cetero autem Hispanix Rex in hac aggressione nullam partem haberet, nec Sabaudus ad eam Hispano aut Neapolitano milite usus fuisset, quinimo, addebat Pontifex, Emanuel adeo nihil de suo proposito mihi manifestabat, ut nequidem Hispanis quicquam communicarit. Hoc tamen responso parum contentus Orator abscessit.

§. VI.

Caroli Molinæi Scripta a Clemente VIII. damnata.

Jam olim Caroli Molinæi, qui inter celebriores ævi sui Caussidicos Parisienses numerabatur, scripta & commentarii

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

Bull. tom. 3.
Constit. 89.
Argentre
Collect. jud.
tom. 3. p. 171.

Sæc. XVII. tarii ad Indicem librorum prohibitorum
A. C. 1602. a Sixto V. auctum atque Clementis VIII.

*Possess. Jel.
Bibl.*

jussu recognitum rejiciebantur: cum
vero in vetita pronior sit conatus, in
factum, ut non pauci, ac præcipue
risperiti libros præfati Authoris sub
rio obtentu passim evolverent: eapropter
Clemens Papa pro Pastoralis sua sollicitu
dine omnia præfati Molinæi opera
novo edita Constitutione proscripsit, et
vocatis quibuscunque licentiis pro
puni ipsorum Læctione extortis aut
petratis: declarat tamen Pontifex, quod
libri juris Canonici una cum ejusdem
annotationibus non permittantur, nisi
iis deletis & emendatis juxta censuram
Romæ in Typographia Apostolica jussu
ejusdem Clementis VIII. hoc ipso anno
impressam. Præcipue vero in Indicem
auctoritate Pii IV. edito proscripta habentur
ejusdem Authoris consilia de
*de commodis vel incommodis novæ sectæ
seu factitiæ Religionis Jesuitarum, necnon
super factio Concilii Tridentini.* Hæc
dem proscriptio per Sacræ Congrega
tionis decretum confirmata est die decima
Junii anno Domini millesimo sexcentesimo
quingentesimo nono.

§. VII.

Alia ejusdem Pontificis Constitutiones

Par

Pari etiam sollicitudine idem Pontifex
 minoris etiam momenti negotia
 Constitutionibus suis decidit, atque in-
 ter ea præcipue circa Religiosorum pro-
 fessionem die secunda Aprilis salubria
 edidit decreta; cum enim occasione ca-
 suum, in quibus Sixtus V. Professionem
 esse nullam sanxerat, quamplurimi Re-
 ligiosi fraudulenter illam irritam decla-
 rari peterent, & non sine populi offen-
 sione claustra desererent, hinc Ponti-
 fex præfatos casus ad terminos Juris &
 Sacrorum Canonum reduxit, salvis ta-
 men pœnis ibidem in Superiores impo-
 sitis. Die autem decima nona Maij quæ-
 dam edidit statuta circa modum reci-
 piendi Novitios, illosque ad Professio-
 nem admittendi. Præterea cum Fra-
 tres Ordinis Redemptionis Captivorum
 statutis diebus absolutionem, ut vocant,
 necnon Indulgentiarum communicatio-
 nem non modo dicti Ordinis Sodalibus
 sed etiam Laicis fuerint impertiti, hinc
 Pontifex edito diplomate die nona Maji
 præcepit, ne absolutio hæc, sed dun-
 taxat juxta ritum Romæ anno 1600.
 die vigesima Maji præscriptum commu-
 nicationem piorum operum, & indul-
 gentiarum nonnisi Confratribus & Con-
 sororibus contritis & confessis, ac S. Sy-
 naxi munitis concedant, populo ad
 hæc minime invitando. Insuper die
 decima

Sæc. XVII.

A. C. 1602.

*Bull. tom. 3.**Constit. 83.**et seq.*

Sæc. XVII. decima Maji Pontifex Breviarium
 A. C. 1602.

manum a Pio V. restitutum rursus
 cognosci, ne Romæ imprimi præceptum
 inhibens, ac deinceps diversus psallens
 Ordo induceretur; Pontifex enim Ec-
 clesiæ unionem etiam in uno eodemque
 orandi ordine inter fideles servato re-
 splendescere credidit; non igitur a
 sobrietatem sapere videbuntur illi Theo-
 logi, qui cum Servino contra Andeg-
 avensem Episcopum, dum Ecclesiasticorum
 precum libros auctoritate Concilii
 Tridentini recognitos introducere mi-
 liebatur, his speciosis verbis perorabat.
*Varietate illa, quæ in diversis orandi for-
 mis cernitur, a sapiente providentia sanctæ
 Ecclesiæ concentus temperatur, sublata
 inducitur perturbatio cum ratione, & cum
 fide per charitatem operante pugnans. Non
 ratio inferior debet consentire cum ratione
 æterna, quæ varietatem in creatione universi
 posuit ab initio, ut sit discors concordia.
 & ut magis excitemur ad virtutem; cum
 nimis diversa & varia ac denique plura exem-
 pla videamus, varietate illa sublata minuitur
 Dei optimi Maximi gloria, Sanctorum
 cultus, & Christianorum, qui exemplis in-
 flammantur, ædificatio item Episcoporum,
 & Diæcesum auctoritas: Hi porro, qui
 hanc sublata eunt, non sunt simplices &
 devoti, seu spirituales, sed astuti, poli-
 tici, qui ex re qualibet, quovis modo rem
 facere*

Vid. supra
 §. CIV.

Thuan.
 l. 129.

facere conantur: omnis ut novitas suspecta, Sæc. XVII.
 ita talis mutatio nequit esse sine detrimen- A. C. 1602.
 to magno. Id fovet cantorum, & Eccle-
 siæ inservientium inobedientiam, & disci-
 plinæ solutionem, si unum & idem sit om-
 nium Ecclesiarum officium. Quot porro
 sumtus faciendi? rustici minime possunt
 in officio peragendo, quod tamen summe
 in pagis necessarium est, plebanos suos ad-
 juvare. Spiritus Sancti gratia factum, ut
 magnalia Dei omnibus linguis ubique perso-
 narent, idque argumentum est varietatis,
 ut in universo, ita in singulis corporis
 humani membris Deo placentis; Sancti
 Patres, qui sapientia, prudentia, virtute
 ac donis S. Spiritus præ hominibus hujus
 sæculi præcelluerunt, justis de causis sin-
 gula concesserunt singulis diocesis officia.
 Miratur Gallia suum Marcellum, sicuti
 miratur suum Silvestrum Roma, tali mu-
 tatione sectarii exultaturi sunt, quasi in
 errore aut inscitia hætenus in talis momenti
 re fuerint Patres Catholici, & ad defen-
 sionem piorum & Catholicorum id perti-
 net, qui scrupulo possent attineri de ipsa
 fide ac Religione, cujus consuetam profes-
 sionem nulla justa de causa immutatam vi-
 derent.

§. VIII.

Reliqua ejusdem Pontificis decreta.

Præ-

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

Præterea idem Pontifex hoc anno
vigesima secunda Augusti statuit
ut ad tollendum abufum, quo Canonici
Congregationis S. Georgii in Alga Ve-
netiarum in locis sacris publice sola
nica alba induti comparere solebant
imposterum ubique togam cærulei co-
loris deferant. Die autem secunda
Septembris edito diplomate Papa Fra-
tres Tertii Ordinis S. Francisci eorum-
que Superiores Provinciæ Dalmatiæ
subjecit obedientiæ Vicarii & Visitato-
rum Generalium. Sequentis vero Me-
fis die decima quarta declarabat, quod
ejusdem instituti Fratribus reformati-
cum a nonnullis novæ Regulæ Profes-
sores, votique obedientiæ transgresso-
res dicerentur, injuria fieret. Insuper
Pontifex, ut literarum studia promo-
veret, die vigesima quinta Octobris con-
dito decreto statuit, ut Ferrariensis Uni-
versitas jam anno millesimo ducentesi-
mo vigesimo primo a Friderico II. Im-
peratore erecta omnibus Bononiensis
Academiæ Privilegiis gaudeat, ac Le-
ctores & Scholares a gabellis aliisque
oneribus immunes sint. Sub idem tem-
pus Calari Sardiniaë urbe innovata erant
inter FF. Carmelitas & Ordinis de Mer-
cede jam ante biennium sopita conten-
tio, quam Pontifex die decima quinta
Novembris dirimens declarabat, quod
Carme-

Carmelitæ ubique ac in omnibus locis Sæc. XVII.
 Fratres Redemptionis Captivorum præ- A. C. 1602.
 cederent.

§. IX.

*Antonii Mariæ Salviati Cardinalis
 mors.*

Hunc annum sibi funestum experie- *Ciacon. in*
 batur Antonius Maria Salvatus pa- *vit. Gregor.*
 tria Romanus, qui Patre Laurentio & *XIII.*
 Matre Lucretia Medicea Leonis X. So-
 rore die vigesima prima Januarii anno
 Domini millesimo quingentesimo trige-
 simo septimo primam lucem aspexit.
 Adolescens adhuc erat, cum jamjam
 morum integritate, & scientiarum ac
 præcipue jurisprudentiæ laude magnam
 sibi famam etiam apud externos Princi-
 pes conciliaret, non modo a Galliarum
 Rege ad Episcopatum S. Papuli, sed e-
 tiam a Papa ad Tridentinam Synodum
 expetitus: inde rediens sponte Ecclesiam
 suam sat pinguem nulla pensione sibi
 retenta dimisit, postea variis muneri-
 bus, atque etiam ad Carolum IX. Fran-
 ciæ Regem legatione decoratus, defun- *Petramell.*
 cto Pio V. a Gregorio XIII. rursus in *in elog.*
 Franciam mittitur, ubi sex annorum
 spatio Catholicam Religionem depressa
 hæreticorum audacia tam prospero suc-
 cessu promoverat, ut idem Pontifex
Hist. Eccles. Tom. LIII. R illum

Sæc. XVII. illum in meriti præmium Cardinale
A. C. 1602. Presbyterum tit. S. Mariæ in Aquino
 crearet. Postea regnante Sixto V. Bononiam Legatus decernitur, hancque Provinciam exterminatis rebellibus optatæ paci restituit, glorioso propterea Liberatoris ac Parentis nomine a Bononiensibus honoratus: unde haud mirum, quod ab Urbano VII. Gregorio XIV. Innocentio IX. & Clemente VIII. maximi habitus summis dignitatibus augetur, quin tamen unquam pro tot laboribus in Ecclesiæ utilitatem exaltatis quicquam, quo sua res cresceret, a Romanis Pontificibus ambiret, aut acceptaret. Nihilominus luculentaque suæ in egenos liberalitatis, atque in Deum pietatis monumenta reliquit. Xenodochium enim S. Jacobi exstructo novo Templo ampliabat, alterumque S. Rochi proventibus, novoque mulierum hospicio augens, & veterem Ecclesiam tituli sui funditus diruens, ampliore a fundamentis erigebat: eodem quoque munificentia Hospitium & Collegium pro orphanis nova fabrica ac reditibus locupletabat, aliisque Ecclesiis magnifice instauratis merita cumulare non prius, quam vivere desit, unde haud immerito hujus Cardinalis domus fedes liberalitatis, horreum, asylumque pauperum nominabatur: Tandem cælo

matu-

Sæc. XVII. A. C. 1602. terrītus virum innocentem proclamabat: Julius igitur innocens a Iudice declaratus, atque a Papa amplexu honoratus, delator autem suspendi iustus est. Neapolin dein reversus, a Pio V. paulo post Romam evocatur, ac gravissimis negotiis adhibitus Secretioris primo Cubiculi, dein S. Inquisitionis Consiliarii munere, demum S. Severinæ Episcopus anno millesimo quingentesimo septuagesimo Purpura decoratur. Abbas præfuit Nobili Cœnobio B. Anastasii de Carbone in Claromontensi comitatu, illudque collapsum suis sumptibus restituit, regularemque disciplinam ibidem restauravit. Exstitit etiam plurium Ordinum Protector, interfuit quoque sex Pontificum comitiis, in quibus defuncto Innocentio IX. parum abfuit, quin Successor renunciaretur, eo dignior quo magis ab ambitu hujus dignitatis erat alienus. Demum virtutum splendore illustris die septima Junii ætatis suæ anno septuagesimo Romæ apoplexi correptus excessit e vita. Collegit acta Sanctorum. Scripsit etiam tractatus de moribus hæreticorum, de potestate Pontificum supra Franciæ Regnum, de Græcorum ritibus & erroribus, necnon de Monarchia Siciliæ præter duas Apologias, ac quamplurimos alios varii argumenti tractatus. Manum etiam ad-

jecerat

jecerat ad Regni Neapolitani Historiam, Sæc. XVII.
quam tamen morte præventus non A. C. 1602.
perfectit.

§. XI.

Ponti Heuteri extrema.

Inter Historicos ævi sui celebriores, qui *Baldwin.*
hoc anno decesserunt, merito me- *Sæc. XVII.*
moratur Pontus Heuterus Delfii anno *Chronic.*
Salutis restauratæ millesimo quingen- *le Long.*
tesimo trigesimo quinto nobili genere *Bibl. hist.*
natus. Hic politiori literatura ap-
prime excultus anno decimo quinto æ-
tatis suæ Mechlinium mittitur, ibidem
a Francisco Pauli non minus pietate
quam scientia conspicuo Presbytero se-
veriores disciplinas didicit: postea Lug-
dunum Batavorum proficiscitur, ubi,
cum Philippus III. in Hollandiæ Comi-
tem proclamatus esset, & ipse cum ce-
teris fidelitatis homagium tanta animi
sinceritate profitebatur, ut toto vitæ
suæ tempore promissam hanc fidem illi-
bate servasse gloriaretur. Demum an-
no a partu Virginis millesimo quingen-
tesimo sexagesimo Parisios delatus eru-
ditionis fama celebre sibi nomen com-
parabat. Inde in patriam reversus Sa-
cræ militiæ nomen dedit, Gorichemii
Canonicorum numero adlectus: postea
vero celebrior factus Trudonopoli De-
canus

Sæc. XVII. canus Collegii Canonorum renuntia-
 A. C. 1602. tur, uti etiam meritis plenus fatis cel-
 sit. Elucubravit sex libros rerum Bur-
 gundicarum necnon libros quindecim
 rerum Belgicarum atque Austriacarum
 præter librum de orthographia Belgica
 necnon de libera hominis Nativitate
 & de veteri ac sui ævi Belgio.

§. XII.

*Gregorii Sayerri Benedictini
 fatum.*

*Miræus
 Aubert.
 Script.
 Sæc. XVII.
 Possen. App.
 Sac. lit. G.
 P. Ziegel-
 baur hist.
 Rei lit. p. 4.
 c. 1. sect. 4.*

Non minus pietate quam scientia in-
 clytus erat Gregorius Sayerrus na-
 tione Anglus, Ordinis S. Benedicti Mo-
 nachus Congregationis Cassinensis. Is
 Philosophicas disciplinas, cum juvenis
 esset, Cantabrigiæ in patria edoctus ob
 Religionis tum in Anglia oppressæ amo-
 rem in Franciam transfretabat, & Rhe-
 mis interrupta studia prospero admodum
 successu absolvebat. Inde Romam Theo-
 logiæ navaturus operam mittebatur:
 tandem vero mundo valere jussu ad
 Montem Cassinum factus Monachus an-
 no Christi millesimo quingentesimo octo-
 gesimo quinto confugit, ibidemque so-
 lidi ingenii, constantis judicii, felicissi-
 mæque memoriæ beneficio non tantum
 per plures annos Theologiam docendo
 tradebat, sed etiam insignem eruditio-
 nem

nem affecutus egregia prorsus opera edi- **Sæc. XVII.**
 dit, inter quæ potissimum celebrantur **A. C. 1602.**
 sex libri de *Theologia scholastica, tracta-*
tus de Sacramentis in Communi, quod o-
 pus Venetiis anno priori editum sum-
 mo Pontifici dicabat. Alterum seu tra-
 ctatum de Theologia morali sive de *cen-*
suris Ecclesiasticis, pœnis & impedimentis
 iterato prælo excusum Anglis Confes-
 soribus nuncupabat. Edidit quoque
flores decisionum seu casuum conscientie,
 præter *epitome Consiliorum Navarri*, nec-
 non *summam Sacramenti pœnitentiæ ac de-*
nique clavem Regiam Sacerdotum, in qui-
 bus tamen lucubrationibus plura ex
 Commentariis Doctoris Navarri desum-
 psit, absque literarii plagii vitio, cum
 id ipsemet ingenue testatus sit. De-
 cessit Venetiis in cœnobio Benedictino
 S.Georgii majoris, fato nimis præmaturo
 ac nondum expleto anno ætatis trige-
 simo secundo, cælo tamen sat maturus.

§. XIII.

Florimundi Remondi obitus.

Hoc item anno peritissimus historiæ **Graves.**
 antiquæ & recentioris Scriptor su- **Hist. Sæc. 17.**
 premum obiit diem, qui ob detectos **pag. 102.**
 Calvinianæ Sectæ errores a Reformatis **Rocolles hist.**
 atroci passim scomate traducitur, a Ca- **du Calvin.**
 tholicis vero propter egregiam veræ **Aubert.**
 Reli- **Mir. Script.**
Sæc. XVI.
Weism. notit.
Aud.

R 4

Sæc. XVII. Religionis defensionem inter classici
A. C. 1602. scriptores recensetur. Erat is Flori-

mundus de Remond Reginus in Curia
Burdegalensi Senator, vir amplæ le-
tionis, ac iudicii singularis, qui ad-
lescens Calvinistarum hæresi additus
Lutetiæ Parisiorum Magistro Petro Ra-
mo Studiis vacabat: cum autem Lau-
duni anno Domini millesimo quingea-
tesimo sexagesimo sexto Juvencula que-
dam nomine *Nicolina Obris* obsessa
Laudunensi Episcopo super caput ejus
Sacram Hostiam tenente, a dæmone
spectantibus plusquam decem hominum
millibus liberata fuisset, Florimundus
qui omnia suis ipse oculis viderat, tam
luculenti prodigii beneficio, uti ipsius
verba sonant, *a profundo hæresis luto ex-*
tractus est: eapropter Reformati ipsum
ejusque libros odio plusquam vatinia-
no ad hanc usque diem insectantur, ac
per ludibrium de illo spargunt, quod
libros scripserit sine scientia, judicavit sine
conscientia, ædificavit sine pecunia, & se-
nuerit sine caritate, quam falsum autem
sit mordax hoc diciturium, facile per-
spiciet, qui ejus libros iterato prælo
excusos semoto partium studio pervol-
verit: id vero cum Calvinistæ recen-
tiores negare haud audeant, eo teme-
ritatis prolapsi sunt, ut egregiam ejus
historiam, *de ortu & progressu ac ruina*
hæresis

Genebrardus
& Baron.
ad ann. 1566.
Florim. de
ort. hæres.
l. 2. c. 12. n. 3.

Langlet.
Abbas catal.
pag. 47.

hæresis, supposito duntaxat Remondi nomine a Ludovico Richeomio Jesuita conscriptam fabulentur: attamen in nullo Scriptorum hujus Societatis Catalogo hoc opus præfato Patri vindicatur, cum tamen hujusmodi Collectoribus, quod quandoque alienos libros adscripserint suis, non autem quod proprios suis Scriptoribus adjudicarint, vitio vertatur. Ceterum Calvinistæ grave vulnus sibi ab hoc Authore inflictum non modo dicerent, sed etiam hujus viri captivitate ac carcere ulciscerentur, a quo sese mille aureorum lytro redimere cogebatur. Scripsit præterea librum *de Antichristo*, necnon contra fabulam ab hæreticis male confarminatam de Joanna Papissa quam tam solide confutabat, ut a Justo Lipsio æquo rerum Judice, aliisque magni nominis Auctoribus promeritas retulerit laudes. Testatur etiam Aubertus, quod opus suum *de ortu hæresis* moriens imperfectum reliquerit, illud vero Franciscus ejus Filius ac doctrinæ hæres perferit.

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

§. XIV.

Joannis Friderici Lummi mors.

Præfati Viri fatum sequebatur obitus *Miræus*
Joannis Friderici, qui a Pago *Lum-Script.*
men ditionis Leodiensis Haffeletum in- *Sæc. XVII.*

R 5

ter

Sæc. XVII. ter & Diesteimium fito *Lummius* dicitur
 A. C. 1602. batur. Is inter pietatis exercitia,

quieta Musarum otia Magistro Nicolae
 Eschio liberaliter educatus anno ætatis
 suæ vigesimo quinto Sacræ militiæ
 nomen dedit, brevique tam præclara
 innocentiae ac doctrinæ specimina præ-
 buit, ut Sacrarum Virginum, quas
Aginas appellant, Antverpiæ Parochi
 ac Director nominaretur. Exortis
 ibidem tumultibus ob Religionum
 discordia Leodium secessit, ubi aliquot
 annos moratus est: reddita autem pace,
 que Antverpia a Catholicis recuperata
 ad pristinum munus rediit, quo etiam
 non sine ingenti nominis sui laude,
 copioso animarum proventu functus
 usque ad supremum vitæ suæ diem
 Obiit autem Vir sanctus, paupertati
 amans, semperque annos æternos
 non horrendum iudicii diem in mente
 habens anno ætatis suæ sexagesimo
 nono, in præfatarum Virginum Templo
 sepultus. Posteris reliquit de extremis
Dei iudicio & Judæorum vocatione libros
 duos Antverpiæ & Venetiis editos
 præter *Thesaurum Christiani hominis* et
D. Augustini Scriptis erutum, ac Planti-
 nianis literis Antverpiæ anno Domini
 millesimo quingentesimo octogesimo
 octavo excusum. Scripsit etiam Apo-
 logeticum adversus eos, qui *Viros Eccl-*
siasticos

fasticos hæreditate privant: Plura alia ingenii sui monumenta recenset Valerius Sæc. XVII. A. C. 1602.

§. XV.

Antonius Covarruvias morte sublatus.

Non minus celebrem sese reddebat Antonius Covarruvias patria Toletanus, qui adolescens ingenio & industria valens, sine Magistro Græcas literas tanto tamque celeri profectu didicit, ut Hispania suo ævo nullum in his literis magis versatum numeraret: Sacrationibus postea disciplinis addictus præprimis Jurisprudentiæ tam Sacræ quam profanæ vacabat, illamque prima Doctoratus laurea decoratus Salmanticæ publice per plures annos tradebat, non sine ingenti Auditorum applausu ac proventu. Instante autem Synodo Tridentina a Philippo II. Rege Catholico ad eandem sedente Paulo IV. unacum Fratre suo Didaco Episcopo Civitatenfi decernebatur, inde vero re-
dux in concinnandis variarum Resolutionum libris egregiam eidem Fratri suo operam impenderat, crescente autem nominis sui fama Regius intimi Castellani Consilii Senator renunciatus ob eminentem doctrinam cum rara memoriæ felicitate conjunctam instar omnium unus erat Regi, absdubio ad altiores etiam

Schottus & Antonius Bibl. Script. Hisp. Miræus l. c.

Sæc. XVII. tiam dignitatum gradus evehendus, *cu*
 A. C. 1602. aurium vitio laborans, ac furdafter *Lib*
fectus publico hoc munere sese abdicat *ten*
 coactus fuisset. Demum Collegio Co *atq*
 nonicorum Toleti adlectus *Scholarum* *fun*
 ut vocant, necnon Academici Præfati *liqu*
 munere fungebatur, donec die vige *sub*
 ma prima Decembris annum agens *hic*
 ptuagesimum octavum meritis plenu *ad*
 naturæ debitum solveret. Edidit libru *ac*
 de Jure Regni Lusitanici ad Philippum *opp*
 gem Catholicum. *mo*
Co

§. XVI.

Petrus Coretus vita functus.

Andree
Bibl. Belgii.
Miræus. l. c.
Possevin.
appar. Sa-
cer. lit. P.

Doluit eodem hoc anno Belgium *je*
 cturam Petri Coreti Theologiæ *Li*
 centiati, qui natione Hannonius, *pe*
 tria Athenis confecto studiorum cur *pu*
 culo, apud Nervios Canonicus & postea *lit*
 Tornacensis Parochus creabatur, *hi*
 sermone & opere potens frequentissim *qu*
 ad populum verba faciebat, suaque *ve*
 cendi vi, ac persuadendi habilitate *L*
 rimos ad meliorem frugem revocabat. *de*
 Eo tempore doctissimo huic Viro inde *pr*
 fessum Religionis studium exerendi *de*
 cationem præbuerat, Franciscus Phi *tr*
 lippus de la Nue seu Novæus Pseudo *v*
 Politicus, qui perniciosissimas Assertio *d*
 nes hæresi asperias vulgabat, & un *q*
n
cu

cum Bodino aliisque ejusdem furfuris Libertinis sub fallaci tranquillitatis obtentu suave Religionis jugum excutere, atque impunitatem atheismi & hæresum in Rempublicam invehere, civile potestati Ecclesiasticum Ordinem subjugare nitebatur; cum ergo pestifer hic Scriptor, universam Galliam, quam ad Cortracum Flandriæ oppidum captus ac Limburgi inclusus armis manuque oppugnare haud poterat, venenato calamo ac dogmate suo perturbaret, Petrus Coretus adversus ejusdem theoremata militaria & Politica calamo decertare constituit, huncque in finem congestis validissimis argumentis egregium opus conscripsit, cui titulus: *Defensio veritatis adversus Assertiones Catholicæ fidei repugnantes libro Philippi de la Nue de Politicis & militaribus rebus aspersas*. Liber hic primum anno Incarnationis millesimo quingentesimo nonagesimo primo Antverpiæ Plantinianis literis, & postea Lugduni in Gallia typis Buyssonii ac demum Venetiis & Colonix excusus prodiit: Edidit quoque Coretus de eodem argumento suum *Antipoliticum contra Bodinum*. Hos autem libros Posselinus tanti habuit, ut illos suo operi de *Theorematis ejusdem de la Nue aliorumque* adjungere voluerit. Hujus Viri memoria ejus amico Henrico Oultreman-

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

Sæc. XVII. no Urbis Valentianæ apud Hannones
 A. C. 1602. Præfecto tam pretiosa erat, ut eide
 tumulum cum hoc anagramate: *Portu
 erectus* posuerit.

§. XVII.

Joannis Jacobi Boissardi obitus.

*Hanckius de
 Rom. Script.
 t. I. c. 76.
 Observat.
 Hall. tom. 4.
 observ.*

His merito accensendus est Joannes
 Jacobus Boissardus de Republica
 Literaria bene meritus. Hic Bisanti
 anno Christi millesimo quingentesimo
 vigesimo octavo natus liberaliori natu
 ræ beneficio jam ab ineunte ætate ad
 peruestigandas antiquitates oppido pro
 pensum præsefererebat animum: unde
 Italiam profectus integros sex annos de
 scribendis veterum monumentis, epigra
 taphiis, elogiis, aliisque scripturis in
 sumperat, hocque studio absorptus
 cum Romæ ad Carpii Cardinalis hono
 rum diverteret, in abscondito quodam
 loco diu noctuque delitescens cunctas ibi
 dem copiose collectas veteres inscriptio
 nes tam improbo labore transcripserat,
 ut Cardinalis illum mane hoc studio ad
 huc intentum reperiens cognita ac com
 mendata clandestini hujus accessus cau
 sa plenam cuncta commode delineandi
 copiam Boissardo faceret. Roma pro
 fectus in Calabriam, inde vero naviga
 tione facta Corcyram, Cephalemiam &
 Moream

Moream pervenit, Jerosolymam & Sy-
 riam pervagaturus: ast maligna febrī
 correptus in patriam reverti coge-
 batur, & rursus itinere per Franciam,
 Italiam & Germaniam factō ea, quæ
 indefesso studio collegerat, Belligardi
 apud Sororem suam deposuerat, quo
 tamen thesauro a Lotharingicis copiis
 Burgundiæ Comitatum devastantibus
 spoliabatur, sed fama percrebrescente
 de edenda Romanarum Antiquitatum
 collectione Literati huic Viro omni ex
 parte varia submisere monumenta,
 quorum ope suffultus Francofordiæ
 quatuor majoris formæ tomos ediderat,
 quibus etiam inseruit suam *Recentioris
 Romæ typographiam*, necnon librum
*de funeribus & sepeliendi modis apud
 antiquos usitatis*. Edidit quoque præter
 alia tractatum *de divinatione & magicis
 præstigiis ac Bibliothecam chalcographi-
 cam illustrium virorum*. Obiit Metis hoc
 anno die trigesima Octobris.

§. XVIII.

Variū Scriptores e Societate hoc anno defuncti.

Silentio præterimus plures alios Scri-
 ptores hoc anno defunctos, veluti
 Passeratium, Melissum, Rulandum, Mar-
 guinum, Guarinonum &c. cum hi po-
 tius

Sæc. XVII.
 A. C. 1602.

*Alegambe
 Bibl. Script.
 S. J. verb.
 Petrus
 Miræus l. c.*

Sæc. XVII. tius Philologis, aut Medicis accensum
 A. C. 1602. essent: subjungimus tamen quosdam

Societate Scriptores, quorum primus
 est Petrus Ludovicus, natione Hispa-
 nus, patria Valentinus, qui in Eboracensi
 Academia Theologiæ Professor com-
 mentarios de Angelis & incarnatio-
 ne edidit, mortuus ibidem die nona
 Martii. Alter est Ludovicus Rogerius
 natione Italus, patria Aretinus, qui
 antea jurisprudentiæ vacans, primus
 anno ætatis suæ vigesimo primo Socie-
 tatem ingressus est, ubi expleto tan-
 Concionatoris quam Professoris munere
 tandem anno millesimo quingentesimo
 nonagesimo nono Posnaniæ contra Ec-
 clesiæ hostes fidei controversias expo-
 suit. Verum haud diu vita superstitis
 hoc anno vivere desiit. Scripserat pe-
 num tomum sui *Apologetici pro Roberto*
Cardinalis Bellarmini libris de Translatio-
ne Imperii ad Germanos adversus Ma-
thæum Dresserum hæreticum, quod tamen
 opus, cum Rogerius morte præventus
 non posset, Casparus Hasp. absolvit an-
 no Christi millesimo sexcentesimo Pos-
 naniæ editum. Edidit insuper Roge-
 rius sub nomine Rhetorum Posnaniensium
defensionem pro libris de Purgatorio
Card. Bellarmini & Ministrum delirantem
seu Colloquium Rhetorum Posnaniensium de
Purgatorio. Huic accedit P. Antonius
 Monreus

Monreal natione Hispanus, patria Bel-
 montanus, qui in Provincia Boetica e-
 menso literarum humaniorum curriculo
 præter Philosophiæ & Theologiæ stu-
 dia linguarum cognitione excelluit, in-
 tempestiva tamen morte præventus tri-
 gesimo quinto ætatis suæ anno Villa-
 novæ obiit. Reliquit autem posteris
 Commentarios in Sacram Scripturam
 tribus voluminibus distinctos. Nobi-
 liores Societatis Scriptores hoc anno
 defunctos non invenimus.

Sæc. XVII.
 A. C. 1602.

§. XIX.

Francisci Junii interitus.

Ex Protestantibus, qui hoc anno de-
 cesserunt, pauci reperiuntur, qui
 inter Scriptores Ecclesiasticos locum
 merentur: ex Reformatis tamen cele-
 brior est Franciscus Junius, gente Gal-
 lus in Biturigibus natus, de quo Thua-
 nus scribit, quod *vir fuerit desultorio in-
 genio, qui multa conatus, & quod mo-
 liebatur, an affecutus sit, doctorum relin-
 quendum sit judicio.* Juventutem suam
 Lugduni meretricum consortio, aliisque
 pluribus vitiis imo & Atheismo con-
 taminabat, Epicuri dogmata sectatus:
 quocirca a suo Parente dissolutam filii
 vitam edocto domum revocatus, Gene-
 vam mittitur, qui tamen accepto nun-
 cio

Thuan. l. 127.
 Weisman
 Introd. in
 hist. Eccl.
 Sæc. XVII.
 Melch. A-
 dam. vit.
 Theol.
 Voss. Præ-
 fat. de hist.
 Lat.

Hist. Eccles. Tom. LIII.

S tio

Sæc. XVII. A. C. 1602. tio de Patris sui nece Antverpiam profectus est, ubi Margarithæ Parmensis Ducissæ jussu carceri mancipatus fuisset, nisi tempestiva fuga evasisset, postea ad Fridericum III. Electorem Palatinum secedens, tandem Lugduni Batavorum Theologiæ Professor nominabatur, quo in munere decem complebat annos, ibidem peste die undecima Octobris sublati. Scripsit Prælectiones in tribus prima capita Geneseos, expositiones Danielis, analyfin Apocalypseos, animadversiones in Bellarminum, ac demum tractatus quosdam de Ecclesia, de personis Moysis, de Theologia vera, & de primo peccato Adami.

§. XX.

Reusneri & Reidani extrema.

*Adam. in
vitis Itor.
Germ. Bail-
let jugem
des Scav.
sur les Poët.*

Eodem hoc anno decessit Nicolaus Reusnerus celebrior Jurisconsultus Leobergæ in Silesia anno post Christi Nativitatem millesimo quingentesimo quadragesimo quinto natus. Hic humaniores literas edoctus confecto Philosophiæ curriculo Lipsiam venit, juris prudentiæ vacaturus. Demum a Wolfgango Palatino Comite Lauringam accersitus Græcos Latinosque Scriptores ibidem per quinque annos interpretabatur, tandem Basileæ Doctoratus laur-

rea decoratus. Tradidit quoque Ar-Sæc. XVII.
 gentorati & Jenæ Jurisprudentiam, an- A.C. 1602.
 no autem post Virginis partum millesi-
 mo quingentesimo nonagesimo quinto
 unacum Cæsareis & Brandenburgicis
 Consiliariis in Poloniam decernebatur
 contra Turcas opem imploraturus: se-
 ptimo autem post anno die vigesima
 quarta Februarii decessit annos natus
 quinquaginta septem. Præter Poeti-
 ticas & Philologicas lucubrationes,
 quas Melchior Adamus longa serie re-
 censet, edidit quoque Ethicam Philo-
 sophicam & Christianam, variosque tra-
 ctatus historicos. Huic quoque accen-
 semus Everhardum Reidanum Deven-
 triæ natum, ac die vigesima quinta
 Februarii anno ætatis suæ quinquage-
 simo tertio defunctum, qui historiam
 rerum in Belgio gestarum ab anno mil-
 lesimo quingentesimo sexagesimo sexto,
 usque ad annum millesimum sexcente-
 simum primum conscripsit.

§. XXI.

*Perkinii, Glandorpii & Peuceri
 fata.*

His subjungimus tres alios, quos in-
 ter primus est Guilielmus Perkins *Frecher. theatr. Kb-*
 celebris inter Anglos Theologus anno *nigin Bibl.*
 Salutis nostræ millesimo quingentesimo *Witte Diar.*
 quin-

Sæc. XVII. quinquagesimo octavo Marstonii natus,
A. C. 1602. qui Cantabrigiæ Doctor ac Theologiæ

Thuan. hist.
l. 127. Teis-
sier elog.
des hommes
Scavans
tom. 2.

Professor die decima Octobris hoc anno
obiit, relictis quamplurimis ingenii fru-
monumentis, inter quæ præcipue ce-
lebrantur ipsius Commentarii in epi-
stolas D. Pauli ad Galatas, epistolam
D. Judæ, necnon in tria capita priorum
Apocalypseos: Edidit quoque *harmo-*
niam Bibliorum Veteris & novi Testamen-
ti præter Christianam œconomiam. Aliter
est Joannes Petrus Glandorpius ex In-
sula Fionia oriundus, qui Otinensis Scho-
læ Rector typis vulgabat speculum vite
humanæ. Obiit die trigesima Septem-
bris. Postremo denique loco venit Ge-
sparus Peucerus, qui Budissæ Lusatiæ
superioris oppido die decima sexta Ju-
narii anno Christi millesimo quingentesimo
vigesimo quinto primum lucum
usum adeptus est. Hic quamprimum
adoleverat Wittembergæ Melanchtonis
magisterio usus, Magistri honoribus vi-
gesimo ætatis suæ anno decorabatur,
postea ad publicas Matheseos & Medi-
cinæ lectiones accedens Doctoratus gra-
dum adeptus est: cum autem incau-
tius Reformatorem sectam in Saxoniam
invehere niteretur, die prima Aprilis
anno Domini millesimo quingentesimo
septuagesimo quarto custodiæ datus,
per integros decem annos inhumaniter
vexa-

vexatus detinebatur, eoquod Reforma-
 torum sectam abjurare renueret, nec-
 non acerrime formulam concordiae im-
 pugnaret, palam asserens, quod illa in
 omnibus articulis Sacrae Paginae, Con-
 fessione Augustanae, & Lutheri Cate-
 chismo adversaretur, & ipsemet Lu-
 therus, dum articulum de *Cæna Domini*
 fabricaret, veritatem non agnovisset.
 Quis autem Judex ultimo iudicio, quod
 in dubium vocari non posset, & cui
 utraque pars stare teneretur, hanc Re-
 ligionis controversiam inter Theologos
 Saxones & Reformatos Sacris literis ut-
 rinque munitos deciderit, assignare ne-
 sciunt A catholici; an vero decantata
 conscientiae libertas diuturna hujus Viri
 captivitate non fuerit violata, aut In-
 quisitionis rigor in Saxoniam evocatus,
 Lectoribus a partium studio alienis di-
 judicandum relinquimus: de cetero
 compertissimum habetur, quod Peuce-
 rus non nisi ad preces Agnetis Electri-
 cis carcere liberatus fuerit. Præter
 varios tractatus Medicos elucubrabat
 tractatum de *præcipuis divinationum ge-
 neribus*, necnon *historiam carceris Peu-
 ceriani* & historicum opus de *Philippi
 Melanctonis sententia in controversia de
 Cæna Domini*.

Sæc. XVII.
 A. C. 1602.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

§. XXII.

*Conventiculum inter Protestantes Po-
latinos & Heidelbergenses.**Cudsem. l. de
desper. Cal-
vini causa.*

Ineunte anno Domini millesimo sex-
centesimo tertio Prædicantes Pala-
tini, cum dudum cum Heidelbergensibus
Academiæ Theologis ob realem Christi
Domini præsentiam in Eucharistia
digladiarentur, tandem coacto concilio
liabulo in novam doctrinæ formulam
contra eosdem conspirabant, edito hoc
decreto: *Commune & hætenus usu pro-
tius quam veritate receptum, triumphantis
dogma de vera & reali Corporis Christi
communione & præsentia, quod Academi-
mici Doctores nostri in Scholis tradunt, at-
que defendunt, licet fidei solius medio, &
instrumento non modo periculosum est, sed
plane falsum. Nobis itaque & Zwinglii
spiritui visum est, certas conscribere con-
cionandi formulas, & phrasas, quibus in
posterum sit utendum, & quibus voculis &
terminis abstinendum, ut falso hætenus tra-
dita Corporis præsentia, quæ tantum in
caelis est, & Cæna exterminetur.*

§. XXIII.

*Friderici Palatini Electoris depre-
catio apud Franciæ Regem
pro Bullionio.*

Præter

Præter civiles tumultus, quibus Fran-
 ciæ Regnum agitabatur, non minus
 periculosæ fervebant dissensiones inter
 Metensis urbis cives, & Raimundum So-
 bolium, quo tandem exauctorato, nec non
 subrogato Varenno Henricus Galliarum
 Rex, qui eo fine advenerat, pacem re-
 stituit: Eodem tempore plurium Ger-
 maniae Principum Oratores ad ipsum
 accesserant, atque inter eos Friderici Pala-
 tini Electoris, ad quem Bullionius Dux
 confugerat, Legatus, qui hunc Ducem
 denuo in gratiam recipi, rogabat, eo-
 quod comprobata ipsius virtus, nec
 non patriæ amor, immotusque in Re-
 gem suum affectus ipsum ab impacta
 perduellionis labe penitus purgare vide-
 retur, si tamen, addebat Orator, hu-
 jus criminis reus foret, Elector suo ipsum
 patrocinio nullatenus dignabitur. Ad
 hæc Rex reposuit, quod Bullionius ob-
 latam veniæ spem clandestina fuga e-
 ludens sese suspectum reddiderit, si ta-
 men intra bimestris spatium ad aulam
 redire, ac de objectis criminibus, co-
 ram Rege respondere voluerit, contra
 suos accusatores Regii patrocini opem
 experturus foret, si vero contumax esse
 perseveraverit, ipsius etiam Electoris
 iudicio, indignus erit omni clementia.
 Verum hæc invitatio in irritum ceci-
 dit: Dux enim non nisi post plurium

Sæc. XVII.
 A. C. 1603.

*Daniel hist.
 de France
 tom. 10.
 Thuan. hist.
 l. 129.*

Sæc. XVII. annorum decursum in Franciam re
A. C. 1603. versus est.

§. XXIV.

*Controversia inter Lotharingum, &
 Brandenburgicum Ducem a
 Rege composita.*

Thuan. hist. Eodem tempore, quo Rex adhucdum
 l. 129. in Metensi urbe morabatur, arbitrium agebat controversiæ, quæ inter
Daniel hist. Carolum Lotharingum Cardinalem &
 de France Joannem Georgium Brandenburgicum
 tom. 10. Ducem jam per integros decem annos
Abrege agitabatur, occasione inde nata, quod
chronolog. hunc Protestantes, Catholici vero Ec-
 1^a an. 1603. clesiæ Argentinensis Canonici Cardina-
 lem in Episcopum elegerint, uti supra
 memoravimus. Quoniam vero hæc caus-
Vid. supra fa ultimo Cæsaris judicio, ad quod a
 Lib. partibus remissa fuerat, nondum fuisset
 CLXXX. decisa, Rex arbitri partes sibi su-
 §. XXII. mens Brandenburgico, cui clam magis
Calmet Hist. favebat, possessiones urbi magis vicinas,
 Eccl. de reliquas vero Cardinali adjudicabat.
 Lorraine Postea tamen hoc anno die duodecima
 tom. 2. Novembris Hagenoensi tractatu conventum est,
 ut totus Episcopatus Cardinali relinqueretur, ea tamen lege,
 ut hic numeratis centum triginta aureorum
 millibus Brandenburgicum indemnem servaret. Ceterum summus
 Ponti-

Pontifex ægerrime ferebat, quod Cardinalis cum Protestantibus pacem iniisset, diviso cum illis Episcopatu, quem tamen, ut indemnem servaret, ac integrum tueretur, a Sede Apostolica accepisset.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

§. XXV.

Elisabetha Angliæ Regina mortua.

Composita hac lite Rex exeunte Mense Aprili Lutetiam redire constituit; adhucdum vero in itinere hærebat, cum eidem nuntiatum esset, quod Elisabetha Angliæ Regina fatis cesserit. Hæc jam Mense Januario ad finem vergente primos gravioris morbi insultus sentire cœperat, ineunte autem Mense Majo molesta omnium sensuum torpedine opprimebatur, causata ex occisi Essexiæ Comitis recordatione necnon ex gravi mœrore, quod se a suis clientibus despectam derelictamque cernebat, cunctis Regis Scotiæ Successoris sui favores aucupari certantibus. Tandem morti vicinior a Senatu Successorem nominare rogata ægre hæc respondit: *Thronus meus est Thronus Regum a nullo privato possidendus*: subobscura hac declaratione Senatoribus haud contentis tandem respondit: *Volo, ut mihi Rex succedat, & hic sit Scotiæ Rex mihi arctius*

*Rapin hist.
d'angl. l. 17.
Daniel l. c.
Thuan. l. c.*

S S

san-

Sæc. XVII. *sanguine junctus.* His dictis novissimis
A. C. 1603. decem vitæ dies, noctesque pertinaciter
 ter vigiles continuis hisce lamentis
*Heu Comes heu! Ergo Essexius perit,
 miseranda! quid egimus?* transigebat
 donec interclusa respirandi facultate
 quarta Aprilis anno Regni sui quadra-
 gesimo quarto, ætatis vero septuagesimo
 Richemondæ animam exhallata
 Westmonasterii sepulta, ubi die octava
 Maji defunctæ funebri pompa parata
 tabatur.

§. XXVI.

Hujus Reginae indoles.

*Sleidan.
 cont. p. 3.
 Thuan. Dani-
 el & Ra-
 pin l. c.*

Hæc Regina, ab Angliæ Regno exte-
 minata Religione Catholica, demum
 Protestantium sectam invexerat: in-
 orta inter vitæ suæ Historicos duplex
 quasi factio eorum, qui vel adulationis
 vel invidiæ calumniam sibi invicem
 obtrudunt: quippe Protestantes ac præ-
 cipue Camdenus & Metteranus hanc
 Reginam suæ sectæ, quæ sine ipsius pro-
 tectio ex Anglia, Scotia & Hibernia
 exulasset, velut unicum fulcrum respici-
 unt, ac propterea illam immodicis
 laudibus extollunt, ipsaque etiam vitia
 virtutis pallio contegunt, atque insul-
 so adulationis studio fascinati in fabu-
 larum organa degenerant. Catholicorum

rum vero nonnulli, atque inter eos præ-
 primis Sanderus & Bombinus, eo quod
 veræ fidei Sectatores non tantum sum-
 mo odio habuerit, sed etiam quamplu-
 rimos exiliis, carceribus, atque atro-
 cissimis suppliciis infectata fuerit, ean-
 dem nigris admodum coloribus depin-
 gunt: quapropter ea duntaxat, quo-
 rum veritas probatorum Scriptorum
 consensu stabilita videtur, huc addu-
 cere lubet.

Erat hæc Regina primævo naturæ
 beneficio iudicii soliditate, animique
 fortitudine, admodum celebris, sce-
 pro nata, si moderatione ac pietate
 temperasset imperium: suæ sectæ fa-
 ventium amorem aucupari, ærarium
 augere, ac dissidia inter vicinos Prin-
 cipes fovere studiosa: his mediis instructa
 hostes suos, licet potentia validissimos,
 ingenio acutissimos, ac militiæ peritia
 versatissimos non tam armorum vi, quam
 negotiationum dexteritate superabat,
 par tam bello ferendo, quam paci tuen-
 dæ. In gratiis dispensandis ita muni-
 fica erat, ut meriti potiore rationem
 habuisse gloriaretur, in donando au-
 tem parcior, ne exhausto ærario suis
 subditis gravior esse cogeretur. Con-
 stantem præterea æqualemque fortu-
 nam toto ferme tempore experta, pa-
 cem pene toto Regno coluit, crebre-
 scente

Sæc. XVII.
 A. C. 1603.

*Cambden
 annal. Elis.
 Burnet hist.
 Ref. Larrey
 hist. d'angl.*

Sæc. XVII. scente tamen conjurationum procella
A. C. 1603. ex Ministrorum potius quam proprio

Grotius
Hist. l. 12.

ingenio sexus molitiem in crudelitate
deflectebat, necnon post scissum schis-
mate regnum Religionis odio ex Catho-
licis quamplurimos bonis suis exiit, alios
exilio, aliisque sævissimis poenis affli-
xit, & pene innumeros capite damnavit.
Præterea tanta tumebat ambitione, ut non
modo Majestati suæ debitos Zelaret honores,
sed & exemplum hactenus nunquam audito
sibi jus summum & potestatem in res Sacras
& causas Ecclesiasticas arrogans se caput
Ecclesiæ Anglicanæ dici gestiret. Totum
etiam vitæ suæ tempore cælebs a mulieribus
abstinuit, verita, ne si nupta conciperet,
in puerperio moreretur, idem suggerentibus
Medicis: afferunt

Mem. secret.
Vol. I. p. 512.

tamen Scriptorum non pauci, quod etiam
Comite Licesstriensi Filiam suscepit.
Ut res se habuerit, id omnino certum est,
quod plurimum Procorum ac præcipue
Essexii Comitis amoribus implicata ob colli
sui formam usque ad extremam senectutem
a multis amari concupiverit, qua agendi
ratione, si quid firmæ, nihil tamen imperii
Majestati deperit. Plurimos quoque Principes,
atque inter eos Hispaniæ, & Sueciæ Reges,
Holsatiæ Ducem, Araniæ & Arundeliæ
Comites, Pickeringum Equitem, Robert-

Robertum Dudleium, Andegavensem **Sæc. XVII.**
 Ducem, Glarincardum Hibernum, Ca- **A. C. 1603.**

rolum Austriæ Archiducem, & Alen-
 sonium Ducem, quocum de matrimo-
 nio eam serio cogitasse testatur Thua-
 nus, vana nuptiarum dotalisque regni
 spe deludebat, ad fallendum optime
 instructa, cujus artis ope Franciæ &
 Angliæ Reges, Scotosque adumbrata
 sinceritate, atque amicitia mire ludifi-
 cabat, necnon vindictæ, ambitionis,
 & invidiæ motus præprimis erga Ma-
 riam Stuartam Religionis, & æquita-
 tis specie tegebat: id testatum facit
 ipsemet Paulus Rapin Calvinista, qui
 in sua Angliæ Historia sic de Elisabe-
 thæ sævitia in Mariam Scotiæ Regi-
 nam differit: „Ægre vindicari potest
 „circa mortem Scotiæ Reginæ, ac li-
 „bere fatendum, quod ob securitatis
 „propriæ curam, æquitatis, justitiæ ac
 „fors propriæ conscientiæ officium de-
 „seruerit; etsi enim Maria Regicidii rea
 „fuiisset, illam punire, non ad Elisa-
 „betham spectabat: insuper etiam illam
 „non ob hoc crimen neci dabat, sed
 „carceri tradebat sub doloso hoc obten-
 „tu, ut interim ejus innocentiam testa-
 „tam redderet: hoc autem facto dam-
 „nanda erat ipsius simulatio. Prima
 „hæc injustitia illam postea eo induxit,
 „ut millenas fraudes & artes neceret,
 „qua-

Sæc. XVII. „quarum ope perpetuam hujus Regine
 A. C. 1603. „incarcerationem honestare posset. In

„quoque nata est necessitas ad hæc ex-
 „trema prolabendi, ut illam per carce-
 „ficis manum palam e medio tolli urge-

Rapin l. 17. „ret: hic violentiæ excessus dein adhi-
pag. 442. „illas progerminabat artes & similes

„tiones, quibus se de hac sævitia pro-
 „gare, culpamque in innocentem con-
 „jicere, illumque carceris poena pro-
 „stere haud dubitabat (*). Ex hoc in-
 „quo Elisabethæ facinore absdubio
 „manifeste comprobatur, ad quæ ex-
 „trema illam incitarit metus amittendi
 „diadematis, quod in vertice suo semper
 „titubare experiebatur: continua hæc
 „agitatio, timorque exstitit causa, &
 „principium omnium ferme suarum
 „actionum: „ Præterea Presbyteriani
 eandem reprehendunt, quod Senato-
 sui decreto inhibuerit, ne etiam Protestantes
 essent, conscientia suæ libertate
 fruerentur.

§. XXVII

(*) Hic erat Davisonus Regius Minister,
 quem Elisabetha falso accusabat, quod con-
 tra ipsius iusta mandatum de exequenda
 mortis sententia nimis præcipitanter Judi-
 bus tradidisset.

§. XXVII.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

*Jacobus I. Scotiæ Rex Elisabethæ
Successor.*

Paulopost Reginæ obitum Regni Pro-
ceres Mariæ Stuartæ Filium Jaco-
bum Scotiæ Regem ejus nominis sex-
tum, & Angliæ Primum unanimi suf-
fragio in Regni hæredem proclamarunt,
atque ad eum evoluti tridui spatio Ro-
bertum Carreium Edimburgum decre-
verunt, ut Jacobo, per Elisabethæ
mortem Angliæ Sceptrum ad eundem
esse devolutum, nuntiaret. Jacobus igi-
tur decimo post die ineunte Mense Ma-
jo Londinum ingressus imposito dia-
demate Angliæ & Hiberniæ Rex salu-
tatur, quævis fausta & prospera cun-
ctis Ordinibus festivo clamore appre-
cantibus. Vix Rex sceptro potiebatur,
cum omnes novi Regis gratiam aucu-
pari certarent, ac præ ceteris magis
præcoces erant Puritani, qui Legatos
ad Regem in Scotia agentem, ut supra
memoravimus, propere mittunt, suæ-
que Sectæ Patronum eligunt. Atta-
men sua expectatione decepti sunt, ut-
pote de quibus nonnisi cum contemptu,
imo non sine detestatione locutus est,
dum suspicabatur, eos esse hostes Re-
giæ auctoritatis; sæpius enim dicere
audi-

*Thuan. &
Daniell. c.*

*Grotius l. 12.
Nichlosus
Defens. Ec-
cles. Anglic.
pag. 31.*

*Peircius
Vind. Fratr.
Dissid. p. 58.
& seqq.
Vid. supra
Lib.*

*CLXXXV.
§. LVI.
Larreyus
hist. d' Angl.
tom. 2. p. 643.*

Sæc. XVII. audiebatur: *ubi non sunt Episcopi,*
 A. C. 1603. *non est Rex.* Quinimo Catholicos be-
 nignius habere visus est, quam Puritanos, eoquod hi ac præcipue Scoti nimis
 imperiose & turbulenter in rebus Religionis & Regiminis agere assueverant.
 Eapropter Rex hoc adhuc anno Deo gratias egerat, quod Ecclesiam
 & Regnum Scotiæ in tali statu relin-
 quere posset, qualem nunquam mutur-
 turus esset, dummodo subditi sese
 cate gererent: imo in frequenti con-
 ventu professus erat, quod Ecclesiam
 Romanam, tanquam Ecclesiam Matrem
 haberet.

§. XXVIII.

*Delusa Catholicorum spes de favore
 Jacobi I.*

P. Orleans
hist. de Re-
vol. d'Angl.
tom. 3. p. 6.
Larreyus
l. c. p. 775.
Thuan. l. c.
Mercur.
Gallo Belg.
lib. 2.

Firmiori jure magnam de novi Regis
 patrocínio spem conceperant Catho-
 lici, eoquod Parentis Catholici, & Ma-
 tris etiam in fidei odium occisæ Filiæ
 esset, necnon cum Philippo Hispaniæ
 Rege atque acerrimo Religionis Catho-
 licæ defensore consilia communicata
 diceretur, quibus in spei augmentum
 accesserat fama de Anna Friderici
 Danorum Regis Filia ejus uxore, que
 licet Lutheri doctrinam domi hausisset,
 clam tamen Catholicis favere credeba-

tur. Nec vana videbantur hujus fiducia *Sæc. XVII.*
 argumenta; quippe Jacobus primis Re- *A. C. 1603.*

gni sui auspiciis sese admodum veræ
 Religioni propensum monstrabat, ipsius-
 que Aula non modo Viris Catholicis
 plena erat, sed ipsemet quoque diu vehe-
 menterque inclinabat ad Ecclesiæ Ortho-
 doxæ partes, quibus certo certius ac-
 cessisset, nisi prædominantem Purita-
 norum potentiam & tumultus formi-
 dasset. Hac igitur benigna Regis pro-
 pensione freti Proceres ac Pastores Ca-
 tholici inaugurato Regi libellum sup-
 plicem sæpius offerebant, Principis sui
 gratiam, aut saltem Religionem Ca-
 tholicam profitendi libertatem exoran-
 tes. Hunc in finem hæc exponebant:
 „Agitur de re, quæ non hujus tantum
 „vitæ commoda respicit, sed præcipue
 „illius æternæ, cui omnes curas & af-
 „fectus postponere, ac pro ea sangui-
 „nem ipsum profundere obstringimur:
 „Eam enim Religionem profiteamur a
 „Majoribus acceptam, sub qua Præde-
 „cessores tui in tantam rerum magni-
 „tudinem feliciter excreverunt, extra
 „quam citra salutis dispendium nos hujus
 „caducæ vitæ commodis frui haud pos-
 „se noscimus. Hanc ab ea alieni ac
 „Gentilium erroribus addicti Principes
 „magno suo bono subditis suis olim
 „concefferant, ac ipsemet Christiani
Hist. Eccles. Tom. LIII. T „No-

Sæc. XVII. „Nominis hostis Turca hujus fidei
 A. C. 1603. „bertatem populis suis Christianis
 „denegat. Eadem quoque populis
 „Germania, qui a Majorum Religione
 „defecerunt, pro imperii Lege data est
 „eaque negata proculdubio secuturi sunt
 „periculosi æque ac perniciosi motus
 „nulla quippe ex omnibus, quæ nos
 „hac vita exercere solent, molestiis
 „vexationibus durior esse potest, quæ
 „quæ conscientiarum libertati vim
 „fert, in qua dirissima hac servitute
 vis pio ac generoso optabilius est semper
 „mori, quam diu vivere. Huic a be-
 „nignitate Regia periculo ac despera-
 „tioni paratum remedium ponetur,
 „relaxatio a miseris præteritis conce-
 „datur: tunc enim civiles motus & an-
 „canæ molitiones nimis eam ob causas
 „frequentes deinceps promissa libertate
 „conquiescent, & non modo Catholicis
 „qui nunc sunt, sed etiam qui post na-
 „scentur, eam clementiæ Regiæ cum
 „fausta diuturni imperii comprecatione
 „sint debitori: proin oramus & obtestamur
 „mur suam Majestatem, ut quam a Do-
 „naldo I. qui jam decimus septimus Or-
 „dine Princeps in Scotia regnare ce-
 „perat, pietatis confessionem amplexati
 „sunt, usque ad Beatæ memoriæ Ma-
 „trem tuam, quæ proprio sanguine eam
 „dem a Majoribus acceptam fidem ob-
 „signa

„signabat, antiquitate venerandam, Ma-
 „jestatis amplitudine præstantem, con-
 „tinua serie constantem, in doctrina ir-
 „reprehensibilem, virtutibus fœcundam,
 „vitiis infestam, ab antiquis Doctõribus
 „prædicatam, ab optimis Imperatori-
 „bus Christianis conservatam, per Ec-
 „clesiæ fastos celebratam, cruore tot
 „Martyrum irrigatam, tot Confessorum
 „exemplis adultam, Virginum innu-
 „merabilium impolluta puritate deco-
 „ratam, rationi & naturali sensui, at-
 „que adeo veritati Evangelicæ per om-
 „nia consonam, eandem porro profiteri
 „liceat, & siquidem ejus confessio pu-
 „blica non probetur, saltem humana
 „dissimulatione toleretur.,,

Sæc. XVII.
 A. C. 1603.

§. XXIX.

Sectaria fidei Professio Regis jussu promulgata.

Verum huic Catholicorum supplica-
 tionis optatus haud collusit succes-
 sus; quippe Jacobus Rex Acatholico-
 rum, penes quos summa rerum erat,
 potentiam veritus, eorumque sectam
 sibi ad solii firmitatem esse necessariam
 ratus, ne quicquam in Religionis usu
 mutasse crederetur, Londini fidei Pro-
 fessionem in Anglia nuper adoptatam
 hortante Roberto Cæcilio evulgari jus-
 fit,

Thuan. &
 P. Daniel.
 l. c.



Sæc. XVII. fit, qua summus Pontifex juxta an-
A. C. 1603. quam hæreticorum nœniam velut An-
 tichristus proscindebatur, contractoque
 Sacramentorum numero, Missæ Sacra-
 ficiū, Ordo Hierarchicus, necnon
 Concilii Tridentini tanquam sanguina-
 rii & erronei decreta verbis contum-
 liosis damnabantur. Id vero non tan-
 primis Regni auspiciis fieri clam in-
 gnabantur Catholici, quam sub eo Prin-
 cipe evulgari, qui literis & doctrina
 egregie instructus, cum nihil eo in ge-
 nere nisi ipso consulto fieret, rei que
 que invidiam in se unum recipiebat, ne
 in Protestantes Ministros aut præses-
 tem rerum statum ad se exonerandus
 transferri patiebatur, palam hanc fidei
 professionem approbans, confirmans
 que, cui & immortalis est.

§. XXX.

Franciæ Regis Legatio ad Regem

Daniel &
Thuan. l. c.
Mem. du
Suly c. 1.
16. & 17.
Mem. secret.
tirés des
Archiv. p. 3.

Justis Elisabethæ Reginæ perfolu-
 Henricus IV. Galliarum Rex paulo
 post Maximilianum Bethunium Romæ
 Marchionem Londinum ablegabat, eo
 fine, ut Jacobi Regis mentem explora-
 ret, illumque ad innovandum fœdus
 olim cum defuncta Regina sancitum
 necnon ad rumpendam Hispani Regis
 anti-

amicitiam induceret. Hunc in finem **Sæc. XVII.**
 Legato injunctum, ut Regis gratiam **A.C. 1603.**
 aucupandi animo se Protestantium sectæ
 summopere studiosum fingeret, ejus-
 que sub imperio illius Regis, qui illa
 ejurata ad Romanam Ecclesiam defe-
 cisset, miserum statum deploraret, fide
 facta, quod Hugonottæ in Francia u-
 nice in novi Regis trium Regnorum
 conjunctione potentissimi patrocínio
 spem haberent repositam, ipse quoque
 utpote devotissimus Regis famulus ob-
 teltaretur, quod nulla nec fortunæ, nec
 patriæ, imo nec ipsius etiam Principis
 sui ratione habita *Parlamentariam*, ut
 vocant, Religionem defendere paratus
 sit. Commendabat Bethunius hoc Re-
 gis consilium, utpote vel maxime op-
 portunum, ut juvenis Rex Elisabethæ
 vestigia premens nomen daret fœderi,
 quod Henricus adversus Austriacam
 Domum cum Germanis Principibus
 pangere moliebatur. Igitur Legatus
 cum ejusmodi mandatis, quæ ipsemet
 Rex suo chirographo ac sigillo munie-
 rat, ineunte Mense Junio iter in An-
 gliam aggrediebatur, comitantibus eum
 Nobilium plusquam ducentis. Tandem
 Caletum die decima tertia Junii ap-
 pulsus Anglicanam navem, quæ a Rege
 obviam missa fuerat, conscendit, ac
 Doveram perveniens exscensione facta

Sæc. XVII. Cantuariæ a Sidnejo, quem Rex in
A. C. 1603. cursum misit, salutabatur, eoque
 mitante postea adverso Tamesi fluvio
 devectus Londinum venit, ubi Cæcilius
 nomine Regis Legato alloquii
 gratiam obtulit, huncque in finem ipse
 Rex Grenvicum se contulit, ac præter
 tuta die Franciæ Legatum excepit,
 quidem ceteris priorem, et si Arden
 gius Comes Archiducis Alberti Orator
 jam antea advenisset. Habito colloquio
 omnes exterorum Principum Legati,
 que inter eos præcipue Franciæ,
 Fœderatorum Ordinum Oratores
 conspirabant, ut Regis Hispani potestas
 utpote ceteris omnibus Principibus
 maxime formidanda, aut penitus deprime
 retur, aut saltem illius augmento ob
 poneretur. Præterea Joannes Bar
 nefeldus Hollandiæ Orator in secreto
 quod cum Bethunio habebat, colloquio
 ad prævertendam Ostendæ jacturam
 omnino necessarium assererat, quod
 utroque Rege Hispani tota belli mole
 opprimerentur, præcipue, quia Phi
 lippus Rex per Tassium suum Oratorem
 armorum Societatem cum Angliæ Rege
 contra Gallos offerre moliretur: Id
 quidem Bethunius sibi persuadere haud
 poterat, cum ipso tamen Jacobo Rege
 collocutus, omnes eloquentiæ fontes ex
 hausit, eidem persuasurus, ut saltem
 arma

arma ad nutum parata contra Hispanos haberet. Sæc. XVII.
A. C. 1603.

§. XXXI.

Fœderis articuli inter Franciæ & Angliæ Reges.

Variis colloquiis ultro citroque habitis, tandem Franciæ Orator, cum Protestantium sectam in Galliis pro viribus defensum iri polliceretur, cum Jacobo Angliæ Rege in hoc fœderis articulos convenit. I. Antiqua fœdera Gallos inter & Angliæ Reginam erecta innoventur, atque utriusque Principis opera Hispani sollicitentur, ut Hollandos tanquam subditos suos agnoscerent, nullamque eis vim inferrent, si vero id impetrari non posset, ambo Principes in Hollandorum opem, Galliæ Regis sumptibus alendos milites clam habeant paratos. II. Si vero vel Angliæ vel Franciæ Rex ab Hispanis invaderetur, quivis alterutri militum, navium, aurique subsidiis præsto esset. III. Rex Angliæ una classe ad Indos naviget, altera Hispaniæ oras invadat. IV. Neuter altero invito vel incio pacem ineat. V. Hæc pacta, quibus vim illatam repellendi societas promittitur, publici juris fieri possunt, secreta autem tenenda, quæ de vi Hispanis inferenda fuere

Daniel l. c.

Thuan. l. 129.

Sæc. XVII. conclusa. His additum, quod ex his
A. C. 1603. duobus Regibus, qui prius decederent
 superstes erit, defuncti viduam, liberos, regnumque suæ curæ committeret, atque adversus hostes defenderet. Hos articulos, quos Bethunius Villariam deferebat, Henricus Regem more suo chirographo, Regioque sigillis munitos ad Bellomontium suum in Angliæ Regis aula Oratorem transmissit, quibus pariter Jacobus haud contanter subscripserat, ac juxta hæc pactum quantocius sex armatorum millia Ostendæ decrevit, nequicquam conquerentem Tassio Comite Hispaniæ Regis Legato

§. XXXII.

*Congregationes de Auxiliis coram
 Papa continuatæ.*

Serry Hist. Congr. l. 3. cap. 19.
Levin. Meyer hist. Controv. l. 5. cap. 17.
 Cum omnes Molinæ propositiones cum Cassiano convenire, a Censoribus arguerentur, atque una omnes ante priorem ad examen vocari haud possent, hoc anno die vigesima Januarii præsentibus ipso Clemente Papa, aliisque ad hoc examen deputatis in duabus Congregationibus, binæ ejusdem Authoris propositiones discutiebantur, quarum prima hujus erat tenoris: *An circa Apostoli verba I. ad Cor. cap. 10. v. 13. eadem sit expositio Molinæ ac Cassiani?* Altera sic expo-

exponebatur: *An Molina cum Cassiano* Sæc. XVII.
conveniat in hac assertione, quod ante re- A. C. 1603.
ceptionem gratiæ servanda sit laus libero ar-
bitrio? Disputabant desuper P. Arrubal
 & P. Lemos, quis autem eorum pal-
 mam obtinuerit, innuit censura Con-
 sultorum, qui una omnes exceptis A-
 quilano Antistite & Carmelitarum Re-
 gente, in consultatione, altera die ha-
 bita pronuntiarunt, utramque Molinæ
 propositionem cum Cassiani sententia
 convenire. Sexto post die vigesima
 prima habebatur Congregatio, in qua
 articulus nonus discutebatur, scilicet,
num Molina consentiat cum Cassiano in
hac propositione: Quod ad donum Perse-
verantiæ nihil aliud requiratur, quam gra-
tia habitualis & auxilium sufficiens? Equi-
 dem P. Arrubal suum Molinam a Cas-
 siani errore plurimum distare prolixo
 sermone, totis viribus demonstrare ni-
 tebatur, Cum autem P. Lemos ex ipsis
 Molinæ verbis ostenderet, quod juxta
 ipsum gratia Dei non dicatur coope-
 rans, nisi postquam liberum arbitrium
 jam consenserat, & ipse Arnubal ad
 summi Pontificis objectiones fateri co-
 actus fuisset, quod Deus, ut certus sit
 de effectu prædestinationis & perseve-
 rantiæ, egeat videre in ipso libero ho-
 minis arbitrio saltem tanquam objecto,
 quid illud sit pro innata sua libertate

Sæc. XVII. facturum, hinc indicta Congregatio
 A. C. 1603. ad diem vigesimam octavam Januarii
 definierunt Episcopi, & Theologi, Molinam in hac propositione convenire
 Cassiano: solus Plumbinus censuit eam
 quantum ad verba eidem consentire
 quantum ad sensum vero suspectam esse
 judicabat: Bovius autem, qui quorundam
 Societati adscriptus erat, ejusque
 doctrinam defendere statuerat, pro more
 suo hanc assertionem nullatenus Cassiano
 consonam esse censebat: Refert Petrus
 Livinus, quod Lemosius, cum ostendere
 non posset, Cassianum & Molinam
 convenire, quædam extra propositum
 præcipue de scientia media protulerit
 fides sit penes Authorem.

§. XXXIII.

Congregatio XXIII. XXIV. XXV.
& XXVI.

Serry &
 Mayer l. c.

Die decima septima Februarii in Congregatione vigesima tertia discutiebatur decimus & sequens articulus his verbis conceptus: *An Molina cum Cassiano conveniat dicens: quod omnia a Molina de conatu liberi arbitrii dicta, reducuntur ad actus necessarios ad justificationem.* Altera propositio erat hæc: *homini conanti ex suis naturalibus datur gratia, ita tamen, ut conatus illi non sint meritorii.*

nec semper necessarii. Verum habita Congregatione vigesima quarta die sequenti tam Episcopi quam Theologi exceptis Aquilano & Bovio censebant, Molinam & Cassianum eodem prorsus modo docuisse utramque propositionem. Idem fatum subiit quæstio duodecima his verbis expressa: *An Molina & Cassianus convenient in hac propositione: propter opera bona naturalia datur gratia, & an uterque eodem modo temperet hanc propositionem?* Hanc in rem die decima quarta Aprilis habebatur Congregatio vigesima quinta, cui absente Prædicatorum Generali intererat P. Didacus Alvarez unacum P. Lemos, qui Molinæ assertionem tribus Cassiani principiis consonam esse propugnabat, contradicente Patre Arrubal. Igitur ad decimam tertiam propositionem ventum est, quæsitumque: *an Cassianus & Molina convenient in hac assertionem, quod possit homo Medicum quærere, & sanitatem desiderare.* Hanc vero propositionem nusquam a Molina esse traditam, asseruit Arrubal, ex variis Patrum Testimoniis comprobans, quod gratia saltem imperfecto desiderio naturæ viribus appeti possit: cum autem Pater Lemos singula non confutaret, sed duntaxat se ad hæc jam satis in primis Congregationibus respondisse diceret, non satisfecit Pontifici suspectum

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

Sæc. XVII. A. C. 1603. ctum hoc silentium, mox igitur Lem-
 sius solide ostendit, quod Molinæ sen-
 tum aberret; tum vero Jesuitæ Ponti-
 ficem rogare cæperant, ut illos Sanctos
 Patres, qui Molinæ consentirent, scri-
 ptotenus proferre, sibi liceret, quod de
 eorum precibus datum est. Sequenti
 autem die in Congregatione vigesima
 sexta hæc pronuntiata est censura circa
 duodecimam propositionem: *æque ex-*
pensis omnibus illis rationibus, quas Patres
Societatis ex adverso produxerunt in de-
fensionem Molinæ, illis non obstantibus
censuerunt omnes, exceptis Domino Epi-
scopo Aquilano, & Patre Regente Collegii
Carmelitarum, Molinam cum Cassiano con-
sensere, tam in prædicta assertionem, quam
in illius temperamento, neque ullo modo ex-
cusari posse ab errore Pelagii, ex iis, quæ
in Appendice addidit, sed majorem inde illi
inuri notam Pelagianismi.

De Propositione autem decima ter-
 tia sequens erat Consultorum judicium.
 Cum de sententia & Molinæ & Cassiani
 constiterit, quæ fuerit illorum temporum
 Catholica doctrina, a SS. Patribus contra
 Pelagianos constantissime tradita, & ab
 Ecclesia definita, apertissime appareret,
 censuerunt omnes exceptis D. Episcopo A-
 quilano, & P. Regente Collegii Carmelita-
 rum, post exactam discussionem rationum,
 quas

quas Patres Societatis pro Molinæ defen-
 sione produxerunt, illis non obstantibus, Sæc. XVII.
 Molinam cum Cassiano consentire in præ- A. C. 1603.
 dicta propositione decima tertia, & eam
 sententiam formaliter docuisse, quæ Sanctis
 Patribus, & Ecclesie definitioni omnino
 adversatur.

§. XXXIV.

*Epistola Baronii hac in causa ad Ar-
 chiepiscopum Viennensem.*

Eo tempore varius rumor de Molinia-
 næ causæ fato atque exitu suspen- *Hist. Congr.*
 sam tenebat Franciam, quocirca præ *l. i. c. 14.*
 ceteris Petrus Villaresius Viennæ in Gal- *Abregé Ec-*
 liis Archiepiscopus Cæsarem Baronium *cel. Siècl.*
 Cardinalem datis ad eum literis rogabat, *XVII.*
 ut pro sua in rebus dijudicandis peri- *M.S. Card.*
 tia a partium studio hac in re prorsus *Ricii Petr.*
 alienus mentem suam desuper aperiret. *Matth. Hist.*
 Is igitur, ut Zelosissimi hujus Præsu- *sept. ann.*
 lis precibus deferret, die decima quin- *pac.*
 ta Martii sequentem exarabat episto-
 lam, quam nec ipse Livinus suppositi-
 tiam esse solide comprobare poterat.
Illustrissime & Reverendissime Domine:
ignoscas si tardius quam par est, ad literas
Reverendissimæ Dominationis Vestræ re-
scribo, quas ut puras & Orthodoxas in
omnibus exosculatus sum, a quibus absit,
ut vel in minimo apice vel puncto dissentiam,
tantum-

Sæc. XVII. tantummodo de libris Molinæ remanet
 A. C. 1603. trouersia. Legi eos, sed non sine stomacho
 cum in illis nihil potentius agere præ-
 ferat, quam S. Augustino adversari (licet
 sanctum nunquam nomet) eumque offi-
 tantæ redarguere, seque illo in disputa-
 tionibus vigilantiorē acutioremque iudic-
 re, quis potest eum talia loquentem ab-
 que nausea tolerare? licet ut anguis e-
 fugiat, & e manibus facile elabatur; &
 etsi temerarium quis inueniat, haud facile
 possit hæresis convincere & sugillare. Non
 huiusmodi Commentatoribus indiget Ec-
 clesia Dei, quæ puritate, candore, nitore
 delectari tantummodo consuevit, ipsa non
 habens maculam, neque rugam. Legi, in-
 quam eum, & ad quinquaginta & amplius
 notavi propositiones, verba, phra-
 ses, quas vel saltem affines esse erroribus
 Pelagianorum sive Semipelagianorum (licet
 ipse cautius intra Catholicæ fidei limites,
 vel protestando saltem, se contineat) ne-
 mo puto, qui absque affectu illa perlege-
 rit, negabit omnino. Quid Ecclesia Dei
 indiget hujus Molinæ libris, ut discat,
 quæ a tot Sanctis Patribus, Conciliis at-
 que Decretis jam ante tot sæcula didicit,
 atque docuit? quod ad ipsum Dominum
 Nostrum Clementem Papam attinet, hoc
 ipsi in proposito est, hoc in voto, hoc de-
 nique in decreto, ut nec latum unquam a
 vestri-

vestigiis Prædecessorum recedat, sed iisdem Sæc. XVII.
 insistat quam firmissime. Scit plane tot A. C. 1603.
 sanctos Pontifices, Innocentium, Sixtum,
 Cælestinum, Hormisdam, ac denique Fe-
 licem, cujus sunt Canones Arausicani
 Concilii, hoc professos suis scriptis esse,
 atque testatos, Romanam Ecclesiam in iis,
 quæ spectant ad gratiam & liberum ar-
 bitrium, sequi semper consuevisse S. Au-
 gustinum: testatur equidem id tot verbis
 Hormidas suis literis adeo, ut alio judi-
 cio opus non sit, cum jam præjudicatum
 sit, laborat nunc in discutiendo Molinæ
 volumine, de quo vel abjiciendo, vel pur-
 gando, vel retinendo, adhuc sub judice lis
 est. Mea siquidem sententia eo non indiget
 Ecclesia Catholica, in quo vel saltem quæ-
 dam auditui horridula essent corrigenda.
 Monui Reverendos Patres meos Societatis
 Jesu, ne existimationem eorum in defensione
 librorum ejus periclitari sinant, & in di-
 scrimen adduci. Colo ipsos omnes, Deus
 scit, ut Patres, ut de illis illud usurpem:
 opprobria exprobrantium tibi ceciderunt su-
 per me, at nolo prolixior esse. Vale Pa-
 ter amantissime, atque doctissime, lucerna
 pedibus meis, cum per obscura contigerit
 ambulare. De beatis viris in Sanctorum
 numerum collocandis, ad aliud tempus ser-
 vavit hoc Deus. Romæ idibus Martii an-
 no Domini millesimo sexcentesimo tertio.
 Vestræ

Sæc. XVII. *Vestræ Illustrissimæ ac Reverendissimæ*
 A. C. 1603. *Dominationis frater & servus.*

CÆSAR BARONIUS

§. XXXV.

Congregatio XXVII. XXVIII.
 XXIX. & XXX.

Hist. Congr. Summo Pontifice ob podagræ dolorem
l. 3. cap. 27. præpedito, aliquanto longius differe-
Hist. controu. rebatur sequens Congregatio die quinta
l. 5. c. 21. Maji habita, in qua examini subiecta
 est ultima quæstio: *an Molina non sicut*
ac Cassianus nolit admittere prædestinatio-
nem gratuitam aliquorum esse non omnium.
 Hanc nec Cassiani nec Molinæ doctrinam
 fuisse affirmabat Pater Arrubal, cum
 autem Lemosius scientiam, ut verum
 cant, mediam impugnaret, Pater Arrubal
 in causæ suæ subsidium vocabatur
 sequens hoc argumentum: *Præscientia*
Deus, quod si Petro daret efficacia auxilii,
is converteretur, ergo ante decretum
ponenda est præscientia, per quam Deus
certo cognoscat hoc futurum conditionatum.
 Ad hoc autem respondit Lemosius: *Re-*
verende Pater, nonne ego jam bis respondi
ad hoc argumentum, quod cum jam fuerit
optime solutum, debuiſſet Reverentia tua
ulterius procedere: interim tamen dico rursus,
aliam esse præscientiam, qua Deus
cognoscit

cognoscit efficaciam suæ voluntatis, aliam Sæc. XVII.
 vero, per quam Deus cognoscat efficaciam A. C. 1603.
 humanæ voluntatis ante decretum, quam

vos ponitis: Tandem protracta disputa-
 tione suppetias ferebat Ferdinandus Ba-
 stida Jesuita, qui Lovaniensis Acade-
 miæ censuram veluti a Papa confirma-
 tam produci questus, Prædicatores ac-
 cusabat, quod causam a Sede Apосто-
 lica esse definitam, in Lusitaniam per-
 scripserint: attamen id negante Lemo-
 fio, ac incalescente animorum conten-
 tione Pontifex silentium indixit, in-
 quiens, hæc jam non pertinent ad quæ-
 stiones Theologicas. Soluta igitur con-
 fessu die sexta Maji in Congregatione
 vigesima octava tam Episcopi quam
 Theologi omnes censebant, in præfata
 propositione Molinam cum Cassiano
 convenire: obstrepebat tamen Aquila-
 nus Antistes cum Bovio, qui probabi-
 lem esse Molinæ doctrinam assererat.
 In Congregatione vigesima nona die no-
 na Junii juxta Clementis VIII. præscri-
 ptum speciatim quæsitum est: *An Con-
 cilium Tridentinum Sessione XIV. cap. 14.
 & can. 5. obstet iis, quæ de attritione &
 contritione docet Molina?* Id non modo
 pernegare, sed & a Prædicatoribus ob-
 jecta diluere nitebatur Pater Arrubal
 allatis hanc in rem pluribus argumen-
 tis & Doctorum interpretationibus.

Hist. Eccles. Tom. LIII. U Inter-

Sæc. XVII. Interlocutus Pontifex demonstratum
A C. 1603 ibat, quod attritio & Contritio a Mo-
 lina descripta non sit alia ab ea, que
 a Concilio rejecta fuit. Iterum, vero
 disputationi sese ingerebat P. Bastida,
 Arrubalis responsa Scholasticorum ac
 præsertim Cordubæ subsidio adjuvans.
 Altera die in trigesima Congregatione
 decisum, quod Molinæ doctrina decre-
 to Sacri Concilii adversetur. Huic re-
 fus censuræ repugnabant Aquilanus &
 Bovius.

§. XXXVI.

*Congregationes XXXI. XXXII.
 XXXIII. XXXIV. XXXV.
 & XXXVI.*

*Acta Coro-
 nelli & Le-
 mosii Serry
 & Meyer
 l. c.*

Postmodum Clemens VIII. Congrega-
 tionem trigesimam primam ad diem
 vigesimam tertiam Junii indixerat, ubi
 de quinto dubio actum: *An bona opera
 nostra moralia, nedum bona ex genere &
 objecto, ac ex officio, & nedum semel
 omni mala circumstantia, sed e contra ve-
 sita omnibus bonis circumstantiis, non di-
 cantur bona, nec secundum Deum auctores
 naturæ & gratiæ, nec ad pietatem perti-
 nere; nisi sint facta ex motivo fidei & pi-
 tatis supernaturalis; quamvis facta sint sup-
 posita fide, & intuitu & consideratione ju-
 stitiæ Dei sceleris punientis, & beneficio-*
 rum

rum Dei miserentis, & tam copiose præ-
miantis, & præsertim consideratione bene-
ficii effusionis proprii Sanguinis in cruce
pro nobis.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

Hanc in rem P. Arrubal oratione ad
duas horas protracta Molinam suam
defendebat, quibus tamen omnibus ab
eo allatis Lemosius opposuit, quod Mo-
lina non sine contradictione opera bona
& ex sui ratione vere pia, absque ta-
men pietatis principio seu fide elici posse
asseruerit: Soluta igitur disputatione
in Congregatione trigesima secunda,
die vigesima quarta ejusdem Mensis, ex-
ceptis Aquilano & Carmelitarum Re-
gente, omnes Consultores censebant,
ejusmodi opera, de quibus in dubio propo-
sita agitur, esse opera pia, pertinentia ad
Deum autorem naturæ & gratiæ, & hanc
esse expressam doctrinam S. Augustini &
Conciliorum.

Pronuntiato hoc judicio die vigesi-
ma sexta Pontifex proximam Congrega-
tionem indixit ad sequentem ejusdem
Mensis diem, quæ tamen usque ad
diem decimam Novembris dilata fuit,
eo quod Pontifex ad declinandos æ-
stivos Romani aeris calores Tusculum,
oppidum paucis horis Roma distans ru-
sticatum ivisset, qui etiam ibidem suam
de hac controversia mentem scripto
explicavit, ac gratiæ efficacis senten-
tiam

Pegna ep.
ad Reg.
Confess.
P. Philipp.
Decor. Car-
mel. in vit.
V. P. Joan.
a Jesu Ma-
ria.
Hist. Con-
greg. l. 3. c.
Opera V. P.
Joan. in
vita tom. I.
cap. 13.

Sæc. XVII. tiam innumeris pene S. Augustini testi-
A. C. 1603. moniis confirmavit, futuris Congrega-
 tionibus expendendum relinquens, an
 ista sit doctrina S. Augustini; quippe
 Pontifex in suo Tusculano recessu mi-
 nime otiosus fuerat; sæpius enim de
 quæstionibus hucusque agitatis, ac
 præsertim de præfato scripto suo age-
 bat cum Viris oppido eruditis, ac præ-
 cipue cum Patre Joanne a Jesu Maria
 Carmelita excalceato, qui postea Or-
 dinis sui Generalis, Romæ non modo
 sanctitatis fama, sed & Scientiæ emi-
 nentia inclaruit. Tandem Pontifex in
 urbem reversus præfata die Congrega-
 tionem instituit, in qua sequentem quæ-
 stionem discutiendam proposuit: *An
 omnia, quæ Molina docet circa actus
 omnes, qui elici possunt a libero arbitrio,
 simul cum his, quæ de lege scripsit, dicat
 asserat in ordine ad effectum justificationis?
 Et, an ex iis quæ de libero arbitrio & lege
 affirmat, resultet immediata, ac proxima
 vel remota præparatio ad justificationem &
 gratiam?*

Interim Pater Arrubal adversa pre-
 mebatur valetudine, in ejus autem lo-
 cum in arenam descenderunt Molinæ
 vindices P. Ferdinandus Bastida, &
 Joannes de Salas Jesuitæ. Denique altera
 die communi Censorum judicio in Con-
 gregatione trigesima quinta definitum
 est,

Sæc. XVII. A. C. 1603. causas partiales nominavit, quasi hoc cum gratia concurrat independenter ab ea, nec per illam determinetur, sed potius determinet illam. His ultro citroque disputatis annuente Pontifice Conventus solvebatur, habita autem Congregatione die decima nona Novembris dissentientibus denuo Aquilino & Bovio, ceteri omnes censebant Molinæ propositionem de causis partibus nullo modo deduci posse ex S. Augustini doctrina.

§. XXXVII.

Congregat. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. & XL.

Die vigesima quinta Novembris in Congregatione trigesima septima disputatum est de altera quæstionis prioris parte: *An quod liberum arbitrium esse separatim a gratia, nihil habeat a Deo, nisi possibilitatem illam, quam Deus illi tribuit ab initio, sit ex sententia expressa S. Augustini, aut ex illo colligi possit? an potius conveniat cum Pelagio, præsertim loco relato a S. Augustino libro de gratia Christi capite tertio & sequentibus?*

Postquam Ferdinandus Bastida varios propositæ quæstionis sensus aperuerat, ac e contra P. Lemos Molinam Pelagianismi postulans objecta diluerat,

Cle-

Clemens VIII. dato signo hanc Congre- Sæc. XVII.
 gationem solvit, ac in Congregatione A. C. 603.
 trigesima octava sequenti die habita, ex-
 ceptis Aquilano & Bovio statuerunt
 Consultores de secunda parte dubii pro-
 positi: *videlicet, an quod liberum arbitrium
 separatim consideratum, nihil habeat a Deo
 nisi possibilitatem, sit Pelagianum, vel po-
 tius secundum S. Augustinum: Pelagianum
 esse hoc assertum, & a Molina traditum.*

Denuo in Congregatione trigesima
 nona die octava Decembris Ferdinandus
 Bastida sensum sequentis quæstionis ex-
 ponere, ac Molinianæ doctrinæ verita-
 tem tueri moliebatur: *Quid intelligat
 Molina, dum dicit, quod in actibus elici-
 tis ex sola facultate naturali, respicienti-
 bus fidem, spem & charitatem in Deum,
 Deus inserit se, & elevat eos & facit
 supernaturales? an scilicet intelligat, quod
 Deus eleve illosmet actus ex sola natu-
 rali facultate factos, & faciat eos super-
 naturales? an vero, quod posthabitis illis
 actibus, ex facultate naturali factis, ele-
 vet potentiam ipsam, ut alios actus faciat,
 nedum naturales, sed etiam supernaturales?*

Postquam Lemosius Bastidæ argu-
 menta confutaverat, ejusque adverla-
 rii eo devenerant, ut admitterent, quod
 Deus excitata semel per inspirationis
 gratiam voluntate consensum hominis
 expectet ad justificationis gratiam con-
 feren-

Sæc. XVII. ferendam, quin ullum intrinsicum at-
 A. C. 1603. que inhærens principium supernaturale
 desideretur, quo voluntas in superna-
 turales actus prorumpat, Pontifex fi-
 nem disputationi imponendum censuit
 eapropter in Congregatione quadra-
 gesima, quæ hoc anno postrema erat,
 die decima tertia Decembris Consulto-
 res omnes, solo Bovio excepto, censue-
 runt, Molinam docuisse: „Deum se in-
 „serere actibus nostris, ut actus ipsos
 „citos ex facultate naturæ, supernature
 „les efficiat adveniente gratia, quando au-
 „tem dicit, Deum evahere naturam, in-
 „tellexisse alliciendo & invitando, non au-
 „tem mutando voluntatem, & hanc gra-
 „tiam dari a Deo intuitu præcedentium
 „actuum, similiter gratiam dari ad faci-
 „lius, in via Molinæ: & in ejus via,
 „supernaturalitatem solum connotare ex-
 „trinsicam quamdam denominationem., In-
 tegro igitur hoc anno acriter disputa-
 tum, nihil tamen ultimo Ecclesiæ ju-
 dicio definitum: eadem etiam cuncta-
 tio ansam præbuisse videtur Paulo Be-
 nio Eugubino, ut hoc anno Patavii li-
 brum ederet de ratione, qua dirimi
 posset controversia de efficaci Dei au-
 xilio & libero arbitrio, cujus tamen
 tractatus lectione S. Congregatio inter-
 dixit per decretum die decima sexta
 Decembris anno 1605. editum.

§. XXXVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

§. XXXVIII.

*Hispaniæ Regis literæ ad Papam pro
definienda hac controversia.*

Cum Hispaniæ Orator per integros quatuor Menses Congregationes inter-
citas ægre ferret, ac ejusmodi dilatio-
ne decisionem causæ aut retardari aut
omnino impediri vereretur, aliunde au-
tem ex crebris literis ex Hispania alla-
tis perciperet, quod hoc regnum ma-
gno profecto imbibendi Pelagianismi discri-
mine periclitaretur, hinc die trigesima
Augusti Pontificem adiit, eidem matu-
randæ definitionis necessitatem effica-
cissimis rationum momentis exponens:
ubi vero justas interrupti laboris caus-
as a Pontifice edoctus fuerat, ea de re
Regem Catholicum datis literis monuit:
interea vero Philippus Rex percepta Con-
gregationum interruptione proprio chi-
rographo hunc in modum perscripsit
summo Pontifici:

Hist. Congr.
l. 3. c. 6.
Epist. Reg.
Cath. ad
Papam.

Beatissime Pater!

Sæpius Sanctitati vestræ nomine meo
exposuit Dux de Sessa, quam necesse sit,
ut Auxiliorum controversiæ, in qua Præ-
dicatores cum Jesuitis committuntur, fi-
nem imponat, quamquam autem mihi ipsi
rescripserit, quam ardenti desiderio id velit

U 5

Sancti-

Sæc. XVII. Sanctitas Vestra, quamque indefesso
A. C. 1603. dio Congregationibus habendis adlabora-
rum tamen mala indies suboriri, Ec-
siamque Catholicam Schismatis pericu-
committi sentiam, nisi Apostolica defini-
tione provideatur, idcirco Sanctitati
Vestram omni qua possum contentione
ardore, pro rei magnitudine precor,
Controversiam, posthabita quacunque
tione definiat, pacem Ecclesie concilia-
cunctosque fideles imminentis periculi
commotos soletur. Qua de re distincte
Et fusius vobiscum aget Orator meus,
ius fidei cuncta committo. Deus pro
tis Sanctitatem Vestram sospitem habe-
Datum del Pardo vigesima quarta
vembris anno millesimo sexcentesimo tertio
Vestrae Sanctitatis humillimus ac devot-
simus filius, Philippus Dei gratia Re-
Castellæ, Aragoniæ, Leonis, utrius-
Siciliæ, Hierosolymorum, Lusitaniæ, Ill-
varræ, Et Indiarum; qui ipsius Sancti-
simos pedes, ac manus deosculor.

Dato ad has literas responso Pontifex Regem certiore reddebat, quod ipse summam atque indefessam materiam hanc decisionem operam navaret necnon continuato studio Congregationes paulisper interruptas reassumens jussisset.

§. XXXIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.*Pontificis sollicitudo pro Jesuitis in
Franciam revocandis.*

Quamvis summus Pontifex, quod *Juvenc. hist. Soc. part. 5.*
Fratres Dominicanos nimio favore
prosequeretur, a nonnullis fuisset in-
simulatus, luculento tamen comproba-
bat testimonio, quod quidem erroris ob-
jecti hostis, Societatis tamen æque ac
veritatis amicus esset; quippe intimo
animi sensu perpenderat, quod Fran-
cia hæresi adhuc laboraret, & litera-
riæ non minus quam Sacræ exedræ,
quas antea Jesuitæ sibi vendicant, Vi-
ris præcipue ad juventutem instituen-
dam idoneis carerent, eoquod ceteri
amissa promotionis spe ad ejusmodi
studia sese laboriosius impendere ne-
glicerent, hinc ante septem ferme an-
nos per suum Legatum Cardinalem
Alexandrum Medicæum, Henricum IV.
Franciæ Regem sollicitabat, ut Jesui-
tas Senatus edicto a Regno pulsos re-
vocare, necnon Tridentini Concilii de-
creta auctoritatis Regiæ usu firmare
vellet: irritus tamen hujus Legationis
successus Clementem a suo proposito
adeo non deterruit, ut etiam Horatium
Montanum postea Arelatensem Archi-
episcopum & P. Laurentium Magium
Jesui-

Sæc. XVII. Jesuitam unacum literis Blesas ad He-
A. C. 1603. ricum ablegaret, qui Regi concessum

dissoluti matrimonii sui diploma defere-
 ret, eumque tanto beneficio provoca-
 tum ad revocandam Societatem indu-
 ceret. Verum Henricus rem usque ad
 suum Parisios reditum differendam ex-
 cit. Postquam vero ventum est Lutetiam,
 Cancellarius pro Jesuitis die prima
 Januarii anno millesimo sexcentesimo
 coram Curia Præsidibus, tam trepide
 perorabat, ut Rex vix non gratia loco
 habere deberet, quod *Mutina* & *Arelatensis*
Præsules, cum potuissent Regii
 matrimonii causam cum Societatis
 causa conjungere, ut neutra sine altera
 conficeretur, hi tamen Regi darent, ut
 quæ causa ipsum spectat, priori loco
 quidem sola pertractaretur, posterior, quæ
 Pontificem spectare videtur, Regia
 committeretur benignitati, ut Beneficium datum
 summo Pontifici eo gratius foret, quod
 liberius, ut si quid Rex in Societate
 prehenderet, id emendari posset, cum pro-
 sto sit vades idoneus, summus Pontifex
 qui pro ipsa sponderet, fidemque suam
 interponeret.

Verum speciosa hæc verborum
 nocinia Regis animum haud adeo
 tillabant, ut tum eorum votis cederet.
 insuper etiam Servinus Regius Advoca-
 catus acriter in Senatu adversus So-
 cietatem

cietatem declamabat, ac Seguius Sæc. XVII.
 Præles rem a Parisiensi Senatu, a quo A. C. 1603.
 etiam expulsionis decretum annuente
 Rege emanabat, decidendam censebat:
 id vero ut præverterent Jesuitæ, Can-
 cellarium æque ac Villaregium sollici-
 tabant, ut hoc negotium nequaquam
 Senatui permitteretur, sed illud ipsi-
 met transigerent cum Rege. Id quo-
 que Præses per suum Romæ Oratorem
 Pontifici renuntiari, ejusque mentem
 de modo restituendæ Societatis ex-
 quiri jussit.

§. XL.

*Jesuitarum caussa per se ipsos æque,
 ac Patronos agitata.*

Cum Jesuitæ nihil Parisiis confici posse
 cernerent, caussam per seipsos a-
 gere constituunt, utque secundus co-
 natui responderet successus, ad omnes
 occasiones sibi propitias summopere in-
 tenti erant, ac præprimis peropportu-
 nus erat adventus Mariæ Medicæ, quæ
 recens desponsa Henrico Galliarum Regi
 uxor Florentiæ Mariam Magdalenam
 de Pazzis Carmelitanam tum eximia
 sanctitatis opinione florentem inviserat,
 ac tria potissimum ejus apud Deum
 precibus impetranda postulabat: vi-
 cissim vero hæc Sancta Jesuitarum vo-
 tis

*Juven.
 Hist. Soc.
 l. 12. p. 5.
 Thuan. Hist.
 l. 129.
 Abregé de
 l'Hist. Eccles.
 Siècl. XVII.
 Hist. du
 Parlem. de
 Paris c. 42.*

Sæc. XVII. A. C. 1603. ut Societatem in Regnum revocanda curaret: quod & Regina se facturam recepit. Attamen potens pariter apud ipsum Regem conciliandus erat Patricius, quem Jesuitæ ad vota nanciscuntur in Varreno, qui ex Regiæ Secretoris coquo Flexiæ Gubernator ab Henrico IV. nominabatur. Hic pro sua Societatem benevolentia Jesuitis auctor erat, ut ad Regis, qui hoc anno Divi durum veniret, pedes provoluti pro redintegrandâ Societate supplicarent. Placuit hoc consilium P. Ignatio Armando Metensi Provinciali, qui Regem Metis transeuntem alloqui, eique Societatis calamitatem exponere contulit, selecto ad hoc tempore sat idonea feria quinta sanctæ hebdomadæ; quod enim firmiter persuasum habebat, quod cum Rex ac Regina pro more in lavandis pauperum pedibus solemniter fungerentur, facile Passionis Dominicæ memoria in Christianissimi Regis corde erga Christi Socios miserationis affectum excitatura foret.

§. XLI.

P. Armandi oratio ad Gallia Regem

Mexerai
tom.7. p.446.
Thuan. l. c. **H**ac igitur fiducia animatus Pater Armandus, aditum pandente Varrenno e Proceribus Regi carissimo, eadem

die post prandium ad Regis cubiculum unacum sociis suis introducitur, qui in genua provolutis, moxque surgere iussis ceteris, concinna oratione victorias ac triumphos a Rege reportatos, ipsiusque clementiam amplissimo eloquiorum apparatu efferebat, immoti quoque obsequii, quo Societas Regi semper devincta esset, memoriam inferere haud oblitus: Postea accusationes, quibus passim Societas gravaretur, diluere satagens hunc in modum prosequabatur: *Multa jactari contra nos minime ignoramus, ut alii quam sumus, esse videamur objectis criminibus horrendis erga Principem & patriam, quæque nos tanquam execranda detestamur; & quorum si consci essemus, nos ipsi non solum patria excludi debere, sed etiam orbe universo exterminari tanquam vita indignos judicaremus, præterea voti a Concilio Generali & tot Pontificum suffragio, Regum decessorum tuorum consensu probati invidia oneramus, quasi per illud ad ea, quæ Dei voluntati, & rationi repugnant, erga Generalem nostrum obligaremur. Nam ab illa obedientia, quam Superioribus debemus per nostras constitutiones, semper excipitur, quicquid ad Dei offensionem vergit, neque quemquam aliter existimare credimus. Et qui fieri posset, ut ex tot hominibus, qui salutis suæ cupidi in nostram*

Socie-

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

*Abregé l. c.
Daniel hist.
de France
tom. 10.*

Sæc. XVII. *Societatem migrarunt, vel unus in ea*
A. C. 1603. *maneret, si quid tale in nobis animadver-*
rent, quod non obedientiam, sed meram
impietatem redoleret, neque vero quisquam
ex iis, qui a nobis exierunt, quantum
iniquus hactenus repertus est, qui dixerit
obedientiam illam aliqua in re subjectionem
quæ Regibus & Magistratui debetur, non
pugnare: multo minus nos impellere, ut
consilium cuiquam demus, quod tunc Magi-
strati, aut ejus imperio præjudicet. Multo
& tibi, Domine, persuadere conati sumus
nos id agere, ut nobiles, ac opulentis pro-
gnati familiis pueri in Societatem nostram
aggregentur, quo ex eorum bonis divitiis
evadamus, atqui hoc instituto nostro non
resistit, qui nullos in nostram Societatem
admittimus, nisi prius longo tempore ac dili-
genter explorata eorum voluntate, utrum
scilicet eorum vocatio a divina proveniat
inspiratione, an ab hominum suasu, idque
scæpius per triennium atque aliquando per
quadriennium: quod vero a Deo non pro-
venireprehenditur, illicit rejicitur, cum
id unum sit præcipuum atque adeo essentialis
in nostra Societate, ut nulli temere ad eam
admittantur neophyti, idque præpositi nostri
sedulo cavent, ne quis quemquam ad Religio-
siæ vitæ professionem amplectendam hor-
tetur; tantum curæ suæ commissos ad virtu-
tum & literas discendas excitet, integrum
Sancti Spiritus ad perfectionem evangelicam
 & f-

Et sequenda consilia Dei relicta vocatione, Sæc. XVII.
 quo sit, ut exiguus in Francia, si eorum, A. C. 1603.
 qui in nostris militant collegiis, numerus,
 nec vicesimam partem efficiat, ad aliorum
 collegia comparatus; Et si quidem ad am-
 plectenda ejusmodi vota pueri sollicitaren-
 tur, aliam, cui nomen darent, professio-
 nem potius eligerent: quod vero ex eorum
 bonis, qui ad nos veniunt, ditescamus, haud
 multis verbis opus est, ut id falsum esse
 ostendatur, exigua sunt admodum, quæ in-
 de nobis bona obvenerunt, vixque collegium
 ullum reperias, cujus vectigalia oneribus fe-
 rendis sufficiant, Et pleraque sunt, quæ
 tantum piis, ac devotorum largitionibus
 sustentantur. Ipsum Parisiense, quæ me-
 tropolis totius tui Regni est, etiam compre-
 hensis legatis ab Santandreano, Et Henne-
 quino præsidibus aliisque undecunque profe-
 ctis, haud plus tria librarum millia annui
 redditus possidet, quæ vix viginti homini-
 bus alendis satis esse possunt, cum sexaginta
 ad minus librarum millia tanto collegio,
 ubi cunctarum facultatum artes docentur,
 necessaria essent, multi ex illa urbe etiam
 opulenti nostræ Societati nomen dederunt,
 qui nequidem terræ pedem nobis reliquerunt,
 si quid dederunt, ad supplendam Collegii
 egestatem, elemosynæ modo datum, nec
 octavam patrimonii partem excessit; idque
 fere cum bona gratia, Et ex consensu hæ-
 redum factum. Quæ collegia vectigalibus
 Hist. Eccles. Tom. LIII. X abun-

Sæc. XVII. abundant, ab iis nihil exigitur; & liberi
 A. C. 1603. est nostris de bonis suis statuere, & si in-
 gos hæredes habent, iis omnia relinquunt
 si locupletes sint, partem ex iis in opera
 & ptochotrophia cum bona hæredum gratia
 erogant. Miseri vero nos, & sanæ men-
 tis omnino expertes simus, si cum omni-
 reliquerimus, quæ nobis ex successione
 venire possent, aut quæ industria nos-
 quærere potuimus, in cænobio quæsitum in-
 mus, qui vero tam ardentem ea quæramus.
 & ut habeamus, tantopere laboremus, cum
 nihil proprium habeamus? nam siquidem
 centuplo majora in communi habemus
 non plus eo privatim possideamus; cum
 quid ex iis superest, ad egenos, qui literas
 dant operam, alendos, & alia charitati
 opera impendatur. Assidue aures vestras
 Domine, sunt qui pulsent, vitioque vertant
 quod nos publicis negotiis, atque adeo
 statum spectant, curiose immisceamus. Hæc
 falso de nobis anticipata opinio non aliunde
 promanat, quam quod quidam Principes
 ac proceres, qui ad consolationem, & ex-
 nerandam conscientiam, & ordinandas
 vatas devotiones opera nostra utuntur, quæ
 quid postea faciunt, aut decernunt, quæ
 quam ignaris nobis & inconsultis faciunt,
 id consilio nostro, & instigatu facere
 cuntur, nam nihil magis ab instituto nostro
 alienum, nihil tam emixe, & sub gratia
 ribus pænis inter nos prohibitum, quam
 nega

negotiis hujusmodi nos immisceamus. Hæc Sæc. XVII.
 præcipue sunt, Domine, quæ nobis impu- A. C. 1603.
 tantur, & si quæ sunt alia, ad ea, cum
 proponentur, scripto aut viva voce respon-
 dere semper parati erimus, & plene ad om-
 nia satisfacere; sunt enim ejusmodi, ut aut
 a malevolis conficta, aut ab iis, qui insti-
 tuti nostri rationem ignorant, sabrefacta
 appareant, id autem clarius faciemus, si
 quod verbo dicimus, per benignitatem tuam,
 solutis, quæ nos vincunt, manibus, opere
 perficere liceat, tunc omnes oculis cernent,
 quod dicimus & promittimus: & Majestas
 tua testabitur, etiam ii, qui nobis adeo ad-
 versantur, nos in verbis nostris veraces fuisse.

Quod si precibus ac supplicationibus no-
 stris amplum & capax adeo cor tuum ca-
 piendis locum non habeat, non minus pro-
 pterea impressum & cælatum te nostris in
 cordibus habebimus, te amabimus, & am-
 plificationem ac prosperitatem rebus tuis
 optabimus, & preces assiduas ad Deum
 pro Majestatis tuæ salute, Reginae dilectis-
 simæ conjugis, & liberorum, & regni tui,
 quæ nostra charissima patria est, incolumi-
 tate fundemus, cum desiderio æterno non
 ad exitum perducti affectus, sed meliora
 Deus, iterumque hac fiducia Majestatem
 tuam suppliciter oramus, radios clementiæ
 suæ in parvulum hunc subditorum gregem
 ejaculari dignetur, qui cum lacrima oculis
 profluente, cum desiderio in corde scaturiente,

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

genibus in terram defixis, misericordiam tuam implorant. Ne memineris, Domine, rationem habeas eorum, quæ pauci ac privati minus considerate per Zelum dicto facto peccaverunt, si quod membrum primum peccavit, id totum corpus, quod me probavit, luere æquitas nequaquam titur, quod misericordiam tuam, Domine, imploramus, non alio fine facimus, quæ propter Dei gloriam, Et tuum servitium, in hoc unum consilia cuncta nostra Et cætus collimant, in hoc vitam Et Sanguinem profundere parati sumus, qui magnitudinem tuam imperii minus æquis oculis vident non multum laborant, cum nos extra patriam positos cernunt, imo potius letantur, veriti nimirum, si restituamur, ne ad amplificationem aliquid pro virili conferemus; nihil enim magis eos urit, quam res tuas aliquando florentes aspiceretur, supplices proinde tuam Majestatem obsecramus, hanc ad alias innumeras, quibus tibi devincti sumus, insignem adjungas obligationem, ut misericordia Et qua clementia erga nos usus es, sicuti a te solo pendet, in hujus beneficium nulli nisi soli tibi debeamus, hoc nos ad te colendum magis incitabit, Et aliis, ut te pari cultu colant, Et vehementi affectu prosequantur, in exemplum erit, ab exteris in Hispania, Italia, Germania, qui suos Principes Et Magistratus amant, vinci nolumus, quia potius

potius eos affectu superare avemus, & quem illi suis, nos tibi patriæque affectum tanto beneficio, & naturali ac divino jure obstricti rependemus. Hoc, Domine, sanctum & acceptabile mortis & passionis Servatoris nostri tempus pro nobis loquitur. Sanguis iste, quem per grumos supra crucis altare pro peccatoribus sibi infestis effudit, te invitat, ut erga eos lenitate utaris, qui corde & affectu tibi devoti sunt. De tua Majestate non tantum meriti sumus, ut eam gratiam nostro respectu impetrari posse sperare debeamus, sed ille cujus nomine eam petimus, & qui eam citra dubium assiduis nostris precibus exoratus pro nobis petit, hoc apud te poterit, qui qua pietate es, non potes non gratum habere, quod supremæ Dei bonitati placere & gratum esse cognoveris; quem veneramus, ut te post longi ac felicitatis in terris exacti regni annos, æterni & nunquam desituri regni compotem efficiat.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

§. XLII.

Benignitas Regis erga Jesuitas.

Prolixam hanc orationem Rex benignis excepit auribus, spemque de restituenda Societate Jesuitis fecit: res tamen contradicentibus plerisque, cum aliquamdiu differretur, Pater Laurentius Magius Jesuita olim in Galliis Visitatoris munere functus Regem de fide

Thuan.l.132.

Sæc. XVII data interpellabat, lepide subjunge-
 A. C. 1603. quod hæc executionis mora sane ma-

lieribus per novem Menses utrum ge-
 stantibus longior esset: ad quæ veritas
 Rex dissimulata indignatione non im-
 cete reposuit, quod Reges diutius par-
 turiant, quam foeminae: postea ad ex-
 teros, qui aderant, Jesuitas conver-

Thuan. & sermone hæc dicebat: *Enimvero Jesu-*
Daniel l. c. *tis nequaquam male volui, & si cui ma-*
Hist. du Par- *volo, id in caput meum recidat: quod si*
lem. c. 42. *tem Curia mea hac in re decrevit, id non*

nisi maturo & consulto decrevit: de cetero
bono sitis animo, negotium penes Pontifi-
cem est, quo inconsulto nihil decernere vult
cum autem Lutetiam venero, desuper ma-
plius deliberabo. His dictis Jesuitæ ad
 Henrico gratiis petebant, ut tres Pro-
 vinciales cum totidem Sociis Regem
 Parisios comitarentur, quibus ipse Pe-
 trum Cottonum sufficere respondit. Enim-
 vero Rex propensum Societati animus
 exhibebat, non deerant tamen ex Pro-
 ceribus non pauci, iique sat potentes
 qui objecto gravium periculis metu
 Regem ab hoc proposito abstertere nite-
 rentur, quos inter non infimi erant
 Harlæus Præses ac Sullius Dux, qui
 sæpius etiam Henrico insinuabant, quod
 Jesuitarum redintegratio Regi regnoque
 summopere pernicioosa foret: cui tamen
 Henricus reposuit: *Magis adhuc permi-*

ciosi erunt Jesuitæ, si ipsos ad desperatio- Sæc. XVII.
nem adegero, num tu de vitæ meæ securi- A.C. 1603.
tate sponsor esse potes, nonne tutius est, quod
me semel illis committam, quam quod sem-
per illos timere debeam?

§. XLIII.

*Hæc causa in Parisiensi Senatu
 agitata.*

Haud inutilis erat Patris Cotoni ad-
 ventus; quippe sua, qua valebat *Hist. du Duc Esper-*
 gratia, Regis, Espernonii Ducis, Vil- *non a l'ann*
 laregii, Janini & Silerii Præsidum, a- *1603. Daniel*
 liorumque Catholicorum Procerum fa- *l. c. Vie du*
 vores sibi conciliabat: haud parum e- *P. Cotton. l. 2.*
 tiam causæ decisionem maturabat Pon- *Juvenç. l. 6.*
 tifex, literis suis ineunte Mense Au-
 gusto ad Regem allatis, quibus Hen-
 rico gratias agebat de rebus hucusque
 potenter pro Societate gestis, simul ob-
 secrans, ut operi bene cæpto postre-
 mam adhiberet manum, eoquod Nun-
 tio Apostolico & Patribus, quos apud
 se haberet, negotii ejus arbitrato transi-
 gendi potestatem fecisset. Igitur Rex
 cum iis hac de re agebat, ne vero Pa-
 risini Senatus auctoritatem labefactare
 videretur, sibi placitum fore insinuabat,
 si Jesuitarum restitutionem ipsimet Præ-
 fides a Rege peterent; haud ignotum
 enim erat Regi, quod Senatorum po-
 tissimi

Sæc. XVII. tiffimi Jesuitis faverent; Harlæum tamen Præsidem necnon Rosnii Marchionis Hugonotæ oppositionem verebatur; hic enim a Jacobo Angliæ Regi

Memoir. de Sulli. tom. 2. c. 21. 30. quocum non ita pridem de mutuo fædere agebat, impense rogabatur, ut Jesuitarum in Franciam revocationem præpediret, eo quod hi suo Generali cæcam obedientiam præstare tenerentur.

Nihilominus habito consilio Varenus supplicem Jesuitarum libellum porrigebat; cum autem Rosnius, ut prior ceteris mentem suam aperiret, a Cancellario & Silerio rogatus, id facere renueret, acris inter hunc & Marchionem verborum contentio oriebatur, quæ sopita Rosnius, prius explorandam esse Regis mentem declarabat. Thuanus vero Præses libellum supplicem ad Senatam esse devolvendum censuit. Altera ergo die Rosnius Regem adit, exponens, quod ob datam Angliæ Regi fidem nunquam Jesuitarum revocationi consensurus esset: jussus tamen, suæ repugnantiae causas Regi proposuit hunc in modum, „notum est Jesuitas „domui Austriacæ esse admodum addictos, & Hugonotis infensos, contra „quos Rex ab his Sociis fasciatus sum „mulatusque abs dubio arma sumpturus, „fædusque cum Anglis initum aut dissoluturus, aut insidias ab ipsis struendas

„das incurfurus eſſet. Ad hæc vero Sæc. XVII.
 „repoluit Rex, ipſimet Jeſuitæ mihi A.C. 1603.
 „faſſi ſunt, quod Auſtriæ Ducibus ob-
 „ſtricti eſſent, nec id mirum, eoquod
 „ibidem multis cumulentur beneficiis;
 „de cetero bellum contra Hugeno-
 „tas gerere non cogito, Jeſuitis vero
 „redintegratis magis vitæ meæ, regno-
 „que cautum exiſtimo; ſi enim eos tanto
 „dignos crimine ducis, dum me
 „eis perpetuo inſenſum experientur,
 „ad tam atrox ſcelus proniores erunt,
 „quam ſi illos in gratiam recepero.„
 His auditis ceſſit Marchio, quem altera
 die Pater Cottonus jufſu Regis viſum
 ibat, ab eo honorifice exceptus.

§. XLIV.

*Edictum Regium de revocanda
Societate.*

Hoc igitur Adverſario Jeſuitis conci- Juvenç.
 liato Rex ad luſtrandam Norman- Hift. Soc.
 niam Rotomagum Mense Septembri l. 12. part. 5.
 profectus, edictum de redintegranda Daniel. l. c.
 Societate ibidem promulgari jufſit, his
 conceptum verbis.

Notum facimus nos, precibus ſummi
 Pontificis de reſtituenda in hoc noſtrum re-
 gnum Societate Jeſu, obtemperare cupien-
 tes, aliisque gravibus & idoneis cauſis im-
 pulſos, conſeſſiſſe & concedere per has li-
 X 5 teras,

Sæc. XVII. *teras, nostra manu obsignatas, peculiari*
A. C. 1603. *nostro beneficio, pro Regia potestate & au-*
toritate, omnibus ejusdem Societatis Jesu
hominibus facultatem manendi, residendi
in iis locis, ac domibus, quas in hoc nostro
regno nunc obtinent, nimirum in Urbibus
Tolosana, Auscitana, Agimensi, Ruth-
neni, Burdigalensi, Petrochorensi, Lem-
vicensi, Turnonensi, Aniciensi, Albano-
censi, & Biterrensi, præterea, in gratiam
ejusdem summi Pontificis, pro singulari
nostro in eum studio, iisdem concessimus, ut
petant incolantque nostras urbes Lugdunum
ac Divionem: & præsertim habendam
tradimus domum nostram Flexiensem,
agro Andegavensi, ut iis in locis Collegia
sua & domicilia instituant, iis tamen, qui
sequuntur, conditionibus adhibitis. I. U-
ne ipsis liceat Collegium ullum aut domi-
lium collocare in urbe qualibet nostri regni
aut ullo ditionis nostræ loco absque nostro
peculiari facultate: utque, si secus factum
irritum ac nullum sit, quodcunque beneficium
per istas literas ipsis concessimus. II. U-
quicunque ex eadem Societate Jesu, nostri
in regno versabuntur, nec non eorum Re-
res, ac præsides, indigentiæ sint Galli, ne-
que ullis alienigenis in eorum Collegiis, ac
domibus locus esse, nisi annuentibus nobis,
possit. Quod si exteri nunc ibi morentur,
se post tertium ab his literis promulgatis men-
sem in patriam recipiant, in eo tamen alieni-
genarum

genarum numero minime comprehendi decla- Sæc. XVII.
 ramus oriundos ex urbe vel comitatu Ave- A. C. 1603.
 nionensi. III. Ut ex eadem Societate unus
 aliquis adsit in aula nostra, e Gallia oriun-
 dus, idemque spectatæ inter suos auctorita-
 tis, & fidei, quo utamur Concionatore,
 & pro suis Sodalibus, si res ferat, spon-
 sore ac vade. IV. Ut omnes in Societa-
 tem cooptati, qui jam in regno nostro degunt,
 aut in eam deinceps cooptabuntur, jurent a-
 pud Regios locorum, ubi versabuntur præ-
 fectos, in hæc verba: se nihil facturos ag-
 gressurosve, quod obsequio nostro, paci pu-
 blicæ ac tranquillitati regni obesse possit, nul-
 la re penitus excepta, quod quidem iusjuran-
 dum rite dictum, ac legitima auctoritate
 perscriptum, iidem nostri Magistratus de-
 ferendum curabunt ad regni Cancellarium:
 ac si quis eorum, qui modo Galliam incolunt,
 vel in eam postea devenient, dicere sacramen-
 tum ejusmodi recusaverit, huic in regno no-
 stro consistere nefas esto. V. Nulli ex ea-
 dem Societate, seu vota simplicia tantum,
 sive alia ediderit, fas sit res ullas non mo-
 ventes acquirere in regno nostro, emptione,
 donatione, aut alio quocunque modo, absque
 nostro permisso, item nemini ejusdem Socie-
 tatis adire liceat ullam hæreditatem, sive in
 directo sive in transverso gradu, quemadmo-
 dum ceteris religiosis viris vetitum est, quod
 si postea nihilominus dimittantur ab eadem
 Societate, illis fas erit in suorum bonorum
 posses-

Sæc. XVII. possessionem reponi. VI. Nefas sit Societati ulla bona non moventia accipere ab iis quos sibi postmodum aggregabit: sed ea convenient ad ipsorum hæredes, aut eos, qui impertienda tirones judicaverint ante suam Societatem ingressum. VII. Idem Societatis Jesu Religiosi legibus regni nostri in omnibus & ubique tenebuntur; & jurisdictioni Magistratum eatenus erunt obnoxii, quotenus eidem ceteri Ecclesiastici & Religiosi sunt subjecti. VIII. Non licebit iisdem quæpiam rei sacræ vel profanæ efficere, aut moliri, quod adversetur juri præsulum, capitulorum, parochorum, Universitatum, aliorumque Ordinum religiosorum nostri regni, verum jure communi stabunt. IX. Nec nefas erit concionari, administrare Sacramenta, etiam confessionis, aliis præterquam nisi annuentibus Episcopis, quorum in Diocesi sunt tres supremi Senatus, Tolosanensis, Burdigalensis, & Divionensis, a quo triplici Senatu jura petunt urbes, in quas hoc jus edicti beneficio restituuntur. Neque tamen hæc Societati facultas ab Episcopis dabitur ibi, ubi jus dicit Senatus Parisiensis, præterquam in urbibus Lugduno, & Flexis, in quibus residere, ac sua obire munia poterunt, ut in aliis locis, in quæ sunt restituti. X. Ut vero in Collegiis, ad quæ revocantur, & minoribus domiciliis, quas residentias vocant, ipsis suppetat, unde alantur, permittimus ac permittimus, ut annuis redditibus

ad fundandas domos attributis frui possint, ac si qui forte essent in eorum bonorum possessionem vel custodiam ingressi, redhibere ipsis omnia de integro, ac reponere compellantur. Itaque mandamus dilectis ac fidelibus Consiliariis nostris, & Magistratibus nostri Senatus Parisini, ut edictum hoc in tabulas publicas referant; ratum haberi, legi, & promulgari jubeant, dentque operam, ut sublatis omnibus impedimentis, beneficio nostro plene ac pacate Societas Jesu perfruat, sic enim nobis placitum. Ut porro sua istis literis auctoritas & vis in perpetuum constet, his apponi Sigillum nostrum jussimus, salvo in aliis jure nostro, & alieno in omnibus. Datum Rotomagi; mense Septembri, anno Salutis millesimo sexcentesimo tertio regni nostri quintodecimo.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

HENRICUS.

§. XLV.

Difficultates contra hoc edictum motæ.

Gaudebant equidem Jesuitarum fautores de revocata demum Societate, displicuit tamen Claudio Aquavivæ supremo Societatis Moderatori, quod Jesuitæ jurisjurandi Regibus præstandi lege obstringerentur, & insuper æque ac aliæ Religiosorum familiæ juri communi stare juberentur: magis adhuc

Sæc. XVII. huc eundem offendebat, quod hi
A. C. 1603. diendarum Confessionum, habendarum

que Concionum facultatem ab Episcopis postulare tenerentur. Attamen Seniores suadebant Jesuitis, ut ob gravissimi mali metum Regi morem gerere eademque suam eidem etiam jurejurando Religione obstringere non detrectarent. ne tota Societas e Galliis radicitus excinderetur. Ceteras vero conditiones edicto oppositas omnino acceptandas esse agebant, eo quod easdem summus Pontifex omnino non improbasset, cum hæ eidem Regis nomine oblatae fuissent. Nihilominus aderant adhuc non pauci qui hoc Regis edictum iniquo ferebant animo, ac præcipue Parisinæ Curie Præmates eidem vehementer oblucebantur. cum autem moris sit apud Gallos, ut edicta Regia a Senatu Parisiensi rata habeantur, hinc Rex Harlæum illius Præfidentem die vigesima octava Octobris Fortem Bellaqueum accersiri jussit, eum de comprobando hoc edicto admonens. Hic vero Regi reposuit: *non possumus quidem, quicquid statuas, non æqui bonæque consulere: nihilominus obtestamur, ut considerare non pigeat. . . .* Parantem plura dicere interpellabat Rex, dicens: *video, quod vos moretur incolumitatis meæ cura, dein vestra in Parisinam Universitatem benevolentia, quod nostri ge-*

Juvenc. l. c.
Hist. univers.
P. Calmet
lib. 151.

ratis curam, gratum est, at Regicida non fuit e Societate: Universitatis demum splendorem non obscurabunt hi Patres: consultius autem judicavi habere illos obsequentes, & amicos, quam insensos: Enimvero Præses Regi obloqui haud amplius audebat, minime tamen adduci poterat, ut edictum Rotomagense ad acta referri permetteret, donec Henrici qua minis, qua promissis expugnatus sibi saltem ea, quæ in Regis salutem, Regnique bonum esse viderentur, libere effari permetteretur.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

§. XLVI.

*Harlæi Præsidis oratio ad Regem
contra Jesuitas.*

Data igitur venia Harlæus Præses die vigesima quarta Decembris Lu- paræ in publico Patrum confessu tanto rationum pondere, tantaque vocis contentione, oris Majestate, atque innato dicendi lepore ac eloquentia per semihoram perorabat, ut quique Jesuitis etiam addictissimi haud immerito timerent, Regem a suo proposito discessurum. Itaque Harlæus præsentibus Rege ac Regina hunc in modum exorsus est: Presbyteri & Scholastici Claromontanæ Scholæ, qui nomen Jesuitarum sibi sumebant, cum primum in Regnum irrepserunt,
a toto

Thuan.l.132.
Hist. de
Dupleix
Mémoir
d'Etat t. 4.
pag. 400.
Mathieu
Paris lib. 3.

Sæc. XVII. *a toto sacro ordine oppugnati sunt, eaque*
A. C. 1603. reinfigne extat Sorbonici Collegii decretum,
 quo sancitum est, hanc Societatem in des-
 tructionem, non in ædificationem esse institu-
 tutam, dein in Conventu Sacri Ordinis men-
 se Septembri anni millesimi quingentesimi
 xagesimi primi celebrato, in quo plerique
 Archiepiscopi & Episcopi erant, & Car-
 dinalis Turnonius, qui multum Societati
 illi tribuebat, præsidis loco sedens appro-
 bata fuit, verum tot adhibitis clausulis &
 exceptionibus, ut si ad eas servandas adhi-
 fuissent, proculdubio est, quin jam tum
 magis de migrando, quam de mora apud
 facienda fuerint cogitaturi, tantum ad tem-
 pus ii tunc admissi, & Senatus consulti
 anni millesimi sexcentissimi quarti inter-
 dictum illis fuit, ne Jesuitarum aut Societa-
 tis JESU titulos assumerent, neque tantum
 propterea ab eo tempore sic indigitari des-
 serent, & illicitum nomen sibi tribuere, atque
 omni potestate Ecclesiastica se tanquam im-
 munes eximere, si nunc sine conditione reser-
 tuantur, plus illis quam antea unquam tribu-
 bitur & decreti tam prudenter facti auctori-
 ritas enervatur, jam tum consentibus Patri-
 bus, laxanti se novorum hominum licentia,
 & latius indies magno cum publicæ tran-
 quillitatis periculo se effundenti, maturum
 frenum injiciendum esse. Tunc etiam
 Triumviris regis, qui minime eorum causa
 scæ favebant, memorabile augurium factum.

cum dicerent perniciosis initiis obviam eundum esse, pejora quam quæ viderent, jam tum secum trahentibus. Sicuti nomen & votum universale habent, ita & doctrine capita secum consentientia omnes habent, ut præter Pontificem nullum Superiorem agnoscant, eique fidem & omnimodam obedientiam præstent, idque fixum & ratum credant, Pontificem potestatem habere Reges extra Ecclesiæ communionem ponendi, Regem autem excommunicatum tyrannum esse & subditos contra eum impune insurgere, ipsorum unumquemque, qui vel minoribus Ecclesiæ ordinibus sit initiatus, quodcunque crimen admiserit, in læsæ Majestatis crimen non posse incurrere; quippe qui minime sunt amplius Regis subditi, nec jurisdictioni ejus subiecti, ita Ecclesiastici per illorum doctrinam a seculari potestate eximuntur, & manus cruentas licebit impune sacrosanctis Regibus asferre. Hoc illi & libris editis asserunt, & eorum, qui contra sentiunt, rectam sententiam damnant; duos in Hispania juris Doctores, quod Clericos regie potestati subiectos esse scripsissent, unus ex illo Sodalitio primi nominis, contrario scripto, refutaverat his maxime rationibus, quod quemadmodum veteris testamenti lege Levitæ ab omni seculari potestate immunes erant, ita Clerici novi testamenti item lege eadem potestate solvantur, neque juris quidquam Principibus adversus eos competat; hæc falsæ & erroneæ opinionones a Regibus admitti non possunt, proinde

Hist. Eccles. Tom. LIII.

Y oportet

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

Sæc. XVII. oportet, ut qui eas tuentur, publice in Scholis
 A. C. 1603. suis illas ipsas ante omnia ejurent, ni faciant
 ferri nequaquam debeant; quippe qui doctrinam
 nam ad evertenda Regiæ potestatis & auctoritatis
 fundamenta excogitatam tuentur. Si
 faciant, haud paullo plus eis fidendum; etenim
 Romæ & in Hispania, ubi hæc nova opinio
 num monstra vigent, aliter sentiunt, aliter
 Francia loquuntur, & ut in hanc aut illam
 ditionem demigrant, has opiniones sumunt
 aut deponunt: si dicant id secreta dispen-
 satione sibi licere, ecquam in eorum doctrina
 certitudo reponi possit, quæ mutatione locorum
 mutat, & pro temporis ratione aut bona,
 sequior censetur? hanc illi in commune doctrinam
 amplectuntur & fovent, & paulatim
 gliscit, ut verendum sit, ne alios ordines
 huc ab illo fermento intactos tractu tempo-
 inficiat: ab initio nullos infestiores adve-
 rios, quam Scholæ Sorbonicæ Theologos
 buerunt, nunc plerique eorum iis favent,
 videlicet, qui in illorum Scholis prima infestio-
 tionis suæ stipendia fecerunt. Alii literis
 ram sub iis dantes idem olim primariis dispen-
 tatibus functuri, qui si idem in doctrina
 tiant, paulatim se ab obedientia Regi detra-
 subtrahent, jura Regia parvi facient, & Ec-
 clesie Gallicanæ libertates obsolescere sinunt,
 nullum denique læsæ Majestatis crimen repro-
 tabunt, quod ab Ecclesiastico sit admissum, &
 hunc nos sæculi infelicitatem incidimus, &
 detestandæ illius doctrinæ funesta spectacula

*his oculis viderimus, ad Barrerii infandum Sæc. XVII.
 nomen contremiscimus, qui a Societate aucto- A. C. 1603.
 ratus, a P. Varada instructus, in hoc a sacer-
 dote absolutionem, & pretiosum Eucharistiæ
 Sacramentum accepit, in hoc fidem obstrinxit,
 ut cruentas Regi manus afferret, cum ausis
 excidisset, exemplo suo pestifero serpente præ-
 ixit ad parricidium, quod paulum absuit,
 perpetrandum, dum Guignardus ex illo So-
 dalitio libros ea de re propria manu scripsit,
 & parricidium Henrici III. tanquam iuste
 patratum laudavit & damnatam in Constan-
 tiensi Concilio super ea opinionem propugna-
 vit. Quid non nobis metuendum erit, in me-
 moriam hæc impia & perfidiæ detestandæ fa-
 cinora revocantibus, & animo reputantibus,
 tam facile eorum exempla renovari posse? si
 nos trepidis in rebus vitam exigere oportet, si
 de periculo Regis assidua angis sollicitudine o-
 portet, quam in vita Regis quietem reperturi?
 nonne hæc esset vera impietas, eminens pericu-
 lum videre, & in illud comminus incurrere?
 quis vero tam profundo miseriarum gurgite
 mergi dignus fingi posset, qui patriæ velit su-
 peresse, quæ tantum ab exitiali fine abest, uti
 sæpius prædictum fuit, quantum Regis vita a
 suo? bene sit, & Deus laudetur, quod in ami-
 citiam tam bene Rex & Pontifex coeant, diu
 Rex sceptrum suum, Pontifex Sanctam Se-
 dem teneat, sed si Deus ejus dies contraxerit,
 si alius non ita bene erga Regem affectus ei
 successerit, quot putandum, juratos hostes ha-
 bituram*

Sæc. XVII. *bituram in visceribus Franciam, qui ut frange-*
A. C. 1603. *los Franciæ & Navarræ olim Reges, sic nunc*
 eundem utriusque regni legitimum hæredem
 sed in parte spoliatum, denuo omnes boni
 prædam expositi, ridebunt, & periculum
 summa ingratitude negligent, an obliuio
 tradunt beatæ memoriæ Regis ultimi parri-
 dium? contra quem gens ingrata populi
 ad seditionem concitavit, nec omnino cæcis
 lius innocens credita est? at sicuti ceteris re-
 giosorum ordinibus, qui per hos tumultus in-
 temperanter insanierant, sic Societati in
 delicto ignosci oportuit, hoc illi passim dicunt
 sed responderi posset, illos non universos pro-
 casso, & multos ex iis ipsis in obsequio Regis
 constanter perseverasse, at ipsos conjunctim
 & concorditer in regium nomen cum antiquo
 regni hostibus conjurasse, neminemque unquam
 in tota Societate repertum, qui regias partes
 sit secutus.

Ob id Odonem Pichenatum ex
 Sodalitio sexdecimani pro factionis
 ce assumpserunt, hominem sollemniter in-
 nientem; qui in eodem furore, quo un-
 rat, tandem exspiravit, & si ad externam
 fas sit respicere, lamentabile in regno La-
 sitaniæ exemplum occurrit, quod Rex His-
 spaniæ non tam suis armis, quam illorum
 factione nuper sub jugum misit, in eo se-
 quidem totus sacer ordo charitatem erga
 Patriam, fidem Regibus suis servavit, sed
 hi novitii Theologi deserta regni causa
 Castellæ

Castellensibus adhæsere, & tot Sacerdotum ac devotorum cædibus causam dederunt; nam bis mille varia peste sub Hispanis perierunt, & singulari indulgentia tot cædium perpetratarum facta a Pontifice gratia. Nonne ex illa officina Castellus prodiit, qui parricidium ad conatum & os usque Regis perduxit, cujus occasione editum est Senatus consultum contra Societatem proprio Regis ore damnatam. Senatus consultum, inquam, illud ad omnem æternitatem deprædicandum, ejus siquidem auctoritate Regis vita in tuto collocata, & per eam regni salus sancita fuit, eo factum, ut tanti periculi sensu attoniti Patres non servato juris ordine, neque partibus auditis, ut in seditione & publica grassatione, Societatem toto regno tam salutari illo Senatus consulta exulare jusserint, quod gravi & justa de causa factum, non nisi mature & perpensis momentis revocari debet, non odio non livore, non malevolentia privata cæcos Patres hoc decrevisse constat, Deum ultorem proculdubio habituros, si iis affectibus, a quibus vacui judices esse debent, præoccupati decrevisset, quamquam in tali occasione condonanda erant omnia, quæ ad Regis salutem pertinere videbantur, itaque Senatus consultum tam salutare non solum, quia Senatus Parisiensis patet jurisdictio, sed in

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

Sæc. XVII. Neustria & Burgundia, quæ dislin-
 A. C. 1603. habent curias, executioni demandatum,
 in reliquis curiis sine contradictione locum
 habuisset, nisi obstitissent ii, qui non
 bene in Regis obsequio confirmati erant.
 & ægre ab inveterato contra regium
 men odio discesserant. Vulgo queruntur
 exules Jesuitæ, & passim scriptis jactantur
 non æquum esse, ut paucorum culpa
 universam Societatem porrigatur. At
 men Humiliati etiam veteris in Insula
 bus originis collegæ, & qui amplius
 in iis possessiones habebant, recenti
 num memoria ante triginta annos a Pio
 exterminati fuere, eoquod unus duntaxat
 iis non communicato consilio parricidium
 contra Carolum Cardinalem Borromæum
 Mediolanensem Archiepiscopum tentavit.
 & unius crimen totum Collegium luere
 debuit, quamquam Rex Hispaniæ per orato-
 res suos omnia fecisset, ut Pontificem
 Borromæum ab eo consilio dimoveret,
 tunc Senatus hac in causa se gessit; si
 Jesuitæ dicunt, nequaquam Humiliatos
 cum comparandos esse, facile respondebitur
 nam quantum Humiliati ab iis absunt, tan-
 tum Borromæus Cardinalis a maximo Ro-
 gum absuit, Rexque tantus supra quorundam
 eminet Cardinales, quanto illi inter minora
 collegia se putant excellere: præterea minus
 Humiliati quam ipsi peccaverunt; quippe
 unius culpa ceteros in crimen traxit, cum
 e contra

contra Jesuitæ perniciosæ doctrinæ auctores universi peccaverint, quapropter amplissimus ordo, quam demissa & prono affectu potest, suam Majestatem obsecrat, & obtestatur, ut Senatus consultum juste factum, & ad arcendos proditorum ac perduellium conatus necessarium, quod tantopere gratum pro tempore habuit, eundem Senatum nunc etiam tueatur, & in memoriam revocet periculum, in quo tunc & ipsi & universi regni ordines versati sunt, cum communis parentis vita periclitabatur, vita, quæ cunctis propria carior esse debet. Enimvero hi propudiosæ perfidiæ, & ingratitude criminis minime vitaturi sunt olim, si, cui vitam, fortunas, securitatem publicam debent, de ejus vita solliciti non anxie & assidue laborant.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

In præterita intuentibus seria de futurorum exitu cogitandi necessitas imponitur (ne bis ad eosdem scopulos naufragium facere cogamur) ut ad has obtestationes pariter accedat Academicæ Parisiensis humilis deprecatio, quæ privilegiis & præcipuis ornamentis a Regibus decessoribus cumulata tantum inter exteras gentes nomen olim meruerat, nunc per istos novitios Doctores pene ad solitudinem redacta est, ut ubi tantam hominum undique tanquam ad celeberrimum literarum emporium concurrentium frequentiam videre erat, nunc rudera, ruinæ, ac sola mapalia ex pristina celebritate restant,

Y 4

horro-

Sæc. XVII. horrorem in præsens, metum luctuosæ de-
 A. C. 1603. lationis in posterum ob oculos ponentia
 per istos, inquam, novitios Doctores, qui
 ceteros præ se despicientes separatas ab aliis
 rationes habere volunt, & sparsis huc illuc
 scholis, quasi rivulis per incilia aversis ve-
 stum & æquabile illud literarum flumen
 quod quartam urbis partem alluebat, in
 sicco destituunt.

Non inficiamur Academiam suis vitio
 laborare, quæ bellorum licentia in eam ve-
 repperunt, sed censura ad ea corrigenda
 non ruina opus est, quæ proculdubio
 quætur, si novas subinde scholas ubique
 gere iis liceat; nam ex eo futurum, ut
 pueros ad frequentem illum mercatum
 tebant, nunc foro in proximo contenti
 ceptus illos penes se habere malint, & fru-
 uberioris doctrinæ privent. Nec minore
 Majestas fructu privatur, dum nobilium
 locupletum pueri, qui cum Lutetiam veni-
 bant, conspectu regio gaudentes a primis
 nis obedientiæ ac venerationi insuescebat
 nunc procul positi, non solum Regem tot
 plerumque vita non vident, sed prava Do-
 ctrina imbuti legibus regni, & Regibus
 ipsis parere dediscunt. His de causis
 plissimus ordo sui officii duxit, ut promul-
 gationi intercederet, ne illi olim vitio ver-
 tatur, si in tam gravi causa se nimis faci-
 lem præbuisset, aut prorsus obmutisset,
 oratum interim Regem vult, ut in bonam
 partem

partem accipiat, si quando pro muneris ne- Sæc. XVII.
cessitate, cum in deliberationibus salva con- A. C. 1603.
scientia aliter se facere non posse putant, re-
gis iussionibus intercedant, sic enim existi-
mant ipsi, Regem nihil nisi quod justum &
rectum est velle.

Hic honor a decessoribus suis semper,
supremis regni curiis exhibitus fuit, ut
eas benigne in intercessionibus suis audi-
rent, & si quid sequius decrevissent, ab
iis seu rogati seu moniti edicta revoca-
rent, aut in melius mutarent, boni &
prudentes Reges, quamquam legibus sint
soluti, sic tamen potestatem supremam tem-
perare maluerunt, dum legibus suam au-
toritatem servant, ut subditos exemplo
potius ad obsequium adducere, quam legi-
bus vim inferendo eos ad parendum co-
gere viderentur. Hoc a sua Majestate
expetunt Curia Regni, & de benignitate
ipsius sibi pollicentur, ut concessam iis au-
toritatem salvam esse velit, quæ nequa-
quam Curiarum, sed ipsius Regis propria
est, ut quæ a Rege dependeat, & quæ si
amitti eam ullo casu contingat, non ipso-
rum, quibus credita est, sed Regis ipsius
periculo ac damno pereat.

§. XLVII.

Regis responsum ad hanc Præsidis
orationem.

Y 5

Finita

Sæc. XVII. **F**inita hac oratione Henricus, cunctis
A. C. 1603. a Præfide allata confutare aggred-

Thuan. l. 132. „tur, hunc in modum perorans: „Læ
Hist. dupleix „tor de cura, quam pro me, & regno
Mem. d' E- „meo gerit Senatus: perspecta mihi sunt
tat. tom. 4. „omnia, quæ tam operose allata mo-
pag. 400. „fuerunt, & a multis annis expen-
Math. Paris „suisque momentis librata; sed alia
l. 3. Hist. „fori, alia regni administrandi, quæ
Societ. „vos nescitis, ratio; ambitionem ob-
„ctatis hominibus Societatis, quos ad
„non aucupari dignitates constat, ut
„sibi earum aditum peculiari voto præ-
„cludant; nam si suspicionem arrogan-
„tiæ nomen Jesu ipsis ab Ecclesia con-
„cessum præbet, quid aliis quibusdam
„Religiosis Ordinibus fiet, qui nomen
„Sanctissimæ Trinitatis usurparunt
„damnatos & rejectos a Sorbona dicitur
„tis, at quos Sorbona vetus æmulatione
„ne quadam aut ignoratione illorum
„instituti rejecit, non rejecit nova, imo
„illorum eruditioni meritam laudem
„tribuit; eorum vero docendi agentibus
„que rationem tamdiu credo, Universi-
„versitas Parisina non probabit, quam-
„diu Scholas illorum florere, ac fre-
„quentari cernet, porro nullius æque
„interest eos revocari, ac Lutetiae
„secum enim revehent numerosam pu-
„berem, quæ ipsos licet vetantibus edi-
„ctis vestris, ultra Gallix fines sectantur
„non

„non cessat: toleratos duntaxat hæc- Sæc. XVII.
 „nus in Gallia fuisse narratis: faxo A. C. 1603.
 „jam, ut auctoritate publica, edictis
 „meis, vestrisque decretis, jure civi-
 „tatis, regni, & Universitatis donen-
 „tur: idque mihi ac temporibus meis
 „singulari Superum beneficio reservatum
 „lætor. At enim seditiosum genus ho-
 „minum est, ac Regibus suis infestum;
 „foederatorum enim partes contra meam
 „rem amplexi sunt, fuit hæc injuria
 „temporum, & calamitas: errore lapsi
 „sunt, ut multi; & levius quam multi:
 „conscientia & religione ducebantur,
 „sed confido fore, idque meis benefi-
 „ciis perficiam, ut ipsos mihi deinceps,
 „partibusque meis habeam addictissi-
 „mos, neque vero ullius voti vinculis,
 „ut jactant, qui eorum ignorant leges,
 „adstringuntur Hispano Regi; nec sum-
 „mi Pontificis in verba sic jurant, ut
 „debitam suis Principibus ejurent fidem:
 „plurimum illis utuntur Hispani: sit
 „ita sane, plurimum illis nos quoque
 „utamur, habet Hispania quod eos al-
 „liciat: cur Gallia non habebit? refri-
 „catis tetra Barrerii, & Castelli facino-
 „ra, placet vestra mihi pietas ac soli-
 „citus: Barrerium tamen nullus Sa-
 „cerdos Societatis confitentem de pec-
 „catis audierat: unus ex eadem Socie-
 „tate nos de hominis scelerato consilio
 „admo-

Sæc. XVII., admonuit: alter illum sempiterni sup-
 A. C. 1603., plicii denuntiatione conatus est a pa-
 „ricidio deterrere, a Castello nihil fut-
 „se illis objectum ipsimet luculenti te-
 „stes estis; si quid enim compertum fut-
 „set ejusmodi, nequaquam illud in os
 „creto vestro tacuissetis, neque per vos
 „inultum abiisset, quod si tamen illi
 „quem afficiendum supplicio putavissetis
 „aliquid in meum cogitavit caput; an
 „æquum est omnes unius culpa reo
 „esse? an eorum, qui mea quandoque
 „sunt secuti signa, furtis, latrociniis,
 „flagitiis, teneor obstrictus? ego vero
 „& illi, & ceteris, qui quid in me pe-
 „carunt, ignosco libens; atque ita mihi
 „Deum esse propitium precor, ut cor-
 „pibus placatus ex animo sum, nobis
 „hæc vulnera, quæ jam coierunt, in
 „grata recordatione acerbare, publi-
 „casque pariter ac privatas injurias
 „mecum oblivione voluntaria conterite
 „aut, si quorundam ex hac Societate
 „reprehendere maleficia libet, aliorum
 „beneficia, non gallorum duntaxat,
 „sed etiam Hispanorum, ne omitte-
 „quos meæ cum Ecclesia reconciliatio-
 „nis causam omni studio promovisse
 „non ignoratis.

Hac oratione perterritus Præses Re-
 gis voluntati cedendum esse, Senatui
 proposuit, priusquam tamen edictum
 ad acta

ad acta referretur, additæ fuere variæ Sæc. XVII.
 limitationes, quas Senatores Regi ex- A. C. 1603.
 hibebant: Henrico autem edictum abs-
 que ulla restrictione ab iis ratum haberi
 postulante, severioresque minas inten-
 tante illud die secunda Januarii anno
 sequenti ad acta relatum est. Haud
 dissimulandum videtur, quod præfata
 Regis oratio mere supposititia esse a
 plurimis Authoribus censeatur: obser-
 vatum enim erat, quod illa studiose,
 ut publici juris fieret, inserta fuerit
 compilationi, quæ sub ficto titulo *Com-
 mentariorum Villaregii Volum IV.* sine
 Authoris ac typi nomine furtive impres-
 sa comparuit, insuper Jacobus Augu-
 stus Thuanus, qui Senatui, & Harlæi
 Præsidis orationi ipse interfuerat, hoc
 Regis responsum esse fictitium ostendit,
 declarans, quod illud prius Italo ser-
 mone conceptum postea nonnisi integro
 anno post Harlæi orationem comparue-
 rit, nec illius fabricatores hunc Regis
 sermonem alibi, quam Villaregii evul-
 gare ausi fuerint: Denique hunc fœ-
 tum a semetipso destrui, patet, quod il-
 lius Author ex Regis ore talia profluxis-
 se fingit, quæ ipsius dignitati, genio-
 que, necnon honori erga suum Sena-
 tum adversantur, rectaque opponuntur
 epistolis illis, quæ idem Rex ad suos
 Legatos perscripserat: inveniuntur au-
 tem

Sæc. XVII. tem hæ literæ in quodam libello
A. C. 1603. lico, cui titulus: *Historia Cardinalis*

*Ducis Fojosæ unacum pluribus monumentis
epistolis, mandatis, legationibus, & re-
tionibus nondum editis. Authore D. Jo-
berio Senatus ac Regii Consilii Advocato
anno 1654. cum Privilegio.*

§. XLVIII.

*Jesuitæ ab æmulis tam in Franciam
quam Romæ vexati.*

Serran. hist. Reg. Gall. pag. 829. Memoir. de Sulli. tom. 2. cap. 30. P. Daniel hist. de France.
Enimvero Jesuitæ in Franciam nunc
quam fuissent revocati, nisi Rex
plena atque absoluta auctoritate id præ-
cepisset; intime enim ferme con-
nium animis adhuc impressa hærebant
nuperi Regicidii, quantumvis ipsis
fissime imputati memoria, quæ per
famem Pyramidem Parisiis erectam
indies refricata adhuc magis impressa
hærebat, eo ex capite, quod ipse
Rex sæpius coram Principibus ac Sen-
natus sui Primoribus declarasset, quod
Jesuitas duntaxat ideo revocarit, quia
a plurimis ei suggestum fuisset, suam
vitam, folium, auctoritatemque nunc
quam firmo substituram pede, quam
diu illos sibi inensos haberet: Hæc ipsa
autem ratio tantam in Jesuitas concitabat
invidiam, ut si Rex sententias illorum,
qui Societatis restitutionem dis-
suaderent

suaderent, numerasset, hi, qui eam suadebant, numero atque auctoritate illis longe inferiores fuissent; quippe tum non modo Curia Parisiensis sed etiam Universitas Sorbona ac plurimi Franciæ Episcopi, atque urbes sese vehementer ipsis opponebant; iniquo prorsus ferentes animo, quod Jesuitæ, cum vix aliquot diebus in aula versarentur, jamjam Regis animum auresque adeo occupassent, ut vix aliquod negotium in Senatu ageretur, de quo ipsi non consulerentur. Cum vero Togatos ex hac Societate Viros cernere, Aulicis, Regisque famulis, & Cursoribus valde insolens esset, abstinere haud poterant, quin illos ac præcipue Patrem Cottonum quodam die in Luparam euntem verbis contumeliosis insectarentur, nec inulte tamen, quippe illi Jesuitis apud Regem querentibus, ejusdem jussu verberibus castigati fuere: Inde vero factum, ut haud multo post, cum idem Pater Cottonus curru in Luparam veheretur, quidam ex hisce pedissequis gladium in dexterum ejus humerum adigeret, ictu versus collum inflexo: Diligenter quidem, sed frustra, in eum inquisitum: Cottonus vero per aliquot septimanas decubuit absque ullo tamen vitæ periculo: Rex inde occasionem sumpsit, Societatem ampliori adhuc favore & benevo-

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

Sæc. XVII. nevolentia complectendi. Sub idem
A. C. 1683. quoque tempus Romæ agebatur de
 mendando eorum Instituto, vitii-
 quæ coercendis, de quibus coram summo
 Pontifice infimulabantur, uti dolente
 Claudius Aquaviva Societatis Gener-
 alis in suis Roma ad Ferdinandum A-
 berum Germaniæ Provincialem literis
 insinuabat his verbis. *Dicitur quibus
 nunquam cogitatum fuisse de mutatione
 Instituti, sed de coercendis vitiiis, quas
 repserunt, quod ita esse, atque ita Scri-
 ptum fuisse vehementer gaudemus, quod
 vis difficile videamus, quomodo non par-
 neat ad Institutum, aut quomodo par-
 neat ad particulares agere de varietate
 graduum, de distribuendo patrimonio
 pauperes, de obedientia cæca, de reditu
 ratione conscientia, de ipso nomine So-
 cietatis, & de aliis multis ejusmodi. De-
 inde dicitur nostros se immiscere in ne-
 gertia, & Aulas Principum, in qua quibus
 parte nos vigilamus, & semper vigila-
 mus, & certe affirmare possumus, non
 dere nos hac in re excessum. Nam quod
 ad Patrem Possevinum attinet, de quo
 lias aliqui fuere sermones; is jam a mu-
 to tempore, quiescit, & solis Societatis
 nostræ ministeriis occupatur, & hac
 Quadragesima quotidianas conciones in qua-
 dam civitate habuit. Quod vero Rex Po-
 loniæ Confessarium ex nostris habeat,*

puto ad Aulicissimum pertinere, quia sicut Sæc. XVII.
 aliorum animas in foro conscientiae iu- A. C. 1603.
 mur, ita nec reprehendi potest, quod ipsum
 juvemus, præsertim qui a pueritia erat a
 nobis in fide & Religione educatus &c.

§. XLIX.

Concilium Brixinense.

Sub idem tempus Christophorus An- Hartzh.
 dreas ex Illustri familia Baronum de Concil.
 Spaur Brixinensis Episcopus, cum Sy- Germ. t. 8.
 nodum Diæcesanam celebrare intende- Acta Synodi
 ret, Clementi VIII. summo Pontifici Brix.
 suum manifestabat consilium, quo lau-
 dato idem Papa literis ad eum die vi-
 gesima secunda Maji datis hortabatur,
 ut unaomnes ea, quæ ad Catholicæ
 fidei augmentum, Divini cultus deco-
 rem, Cleri populique utilitatem con-
 ducere judicaverint, ad Sacri Concilii
 Tridentini normam stabilire niterentur.
 Perlecta igitur hac Pontificis epistola
 die vigesima tertia Septembris Episco-
 pus Synodo suæ initium fecit, ac sa-
 luberrima condidit statuta, quorum ti-
 tuli sunt I. de fide Catholica II. De
 Sacramentis Ecclesiæ tam in genere,
 quam in specie III. De Ministris Ec-
 clesiæ eorumque Officiis. IV. De Sa-
 cerdotibus, Parochis & Curatis. V.
 De Prædicatione Verbi Divini VI. De
Hist. Eccles. Tom. LIII. **Z** Cate-

Sæc. XVII. Catechismo. VII. De Decanis rura-
 A. C. 1603. bus, Camerariis, & Archidiaconis

VIII. De Ecclesiis, aliisque piis locis

IX. De bonis & juribus Ecclesiæ.

De Monasteriis & Cleri disciplina.

X. De Monialibus. XII. De Hospitalibus.

XIII. De Festis Ecclesiæ & de Jeuniis.

XIV. De Jure Patronatus, Vicariis

incorporatis Ecclesiis necnon de Immu-

nitate Ecclesiæ. XV. De Confessione.

XVI. De Gubernatione Diæcesis, Capitulis

Ruralibus, & de Testamentis Clericorum.

XVII. De libris Clericorum.

XVIII. De Usuris aliisque contractibus

illicitis, licitisque ac denique de Constitutionibus

Synodalibus. Hæc decreta Episcopus unacum epistola

cyclicis ad Religiosos & Clerum diæcesanum

die quinta Octobris transmissuram curabat.

Absoluta est hæc Synodus die vigesima sexta

Septembris, inter quæ statutum est, quod Synodus

diebus præcipue Sabbatinis cibos vetitos etiam pro peregrinis

coquere vel manducare seorsum prohibeat, singularem in vasis & vellis

bus sacris munditiam præscribat, confessionem bis in quadragesima commendet,

præcipiatque, ut Sacerdos populum maxime aggrestem ante aram breviter

aliqua exhortatione ad dignam Communionem præparet, generalemque

Confessionem præparet.

Confessionem præparet.

Confessionem præparet.

Confessionem præparet.

Confessionem præparet.

Confessionem præparet.

Confessionem præparet.

Confessionem præparet.

Confessionem in lingua vulgari præmit-
 tat. Dein non in calice nec a Sacer-
 dote, sed in alio vase saltem de argen-
 tato a quodam honesto viro porrigi ve-
 lit communicantibus vinum album, non
 rubrum, ne forte vulgus imperitum co-
 lore decipiatur. Insuper prohibuit Sy-
 nodus, ne in Primitiis, ut vocant, com-
 messationes, saltationes, aut alius qui-
 vis luxus fiant: pariter saluberrime sta-
 tuit, ut in pagis, vallibus & montibus
 scholæ pro juventute saltem per hye-
 mem habeantur a Parochis & Curatis,
 ut hi otium & quæ illud comitantur,
 prudenter caveant. Præscribit etiam,
 ut singula capitula ruralia proprium ha-
 beant carcerem, in quem Decani de-
 tradant suos Clericos, qui cum scan-
 dalo publico ebrii, fornicarii, blasphemi
 &c. sunt, vel Sacra munia publice ne-
 gligunt, vel rixas agunt, aut æs alie-
 num contrahunt: Observandum quo-
 que, quod tum in hac Diæcesi dunta-
 xat quatuor fuerint festivitates B. V.
 nempe Annuntiationis, Purificationis,
 Nativitatis & Assumptionis: omnia ta-
 men SS. Apostolorum natalitia tum fe-
 stive fuerint celebrata. Præterea om-
 nibus suis Clericis Synodus duntaxat
 colorem nigrum vestis suæ permittit,
 etiam in itinere, extra quod Tabernas
 seu caupones publicas vel semel frequen-

Sæc. XVII.
 A. C. 1603.

Z 2

Sæc. XVII. A. C. 1603. quentare, indicta poena prohibet. Hæc Synodi acta, ut autoritate Apostolica firmarentur, Christophorus Episcopus Romam transmissit ad Clementem VIII. summum Pontificem, quem sub idem tempus Joannes Eberhardus Schadiak Montis Lybani Maronita episcopus in patria sua Metropolitanus in Religionis negotio Legatus decernebat.

Præterea ex Orientalibus Synodis reperiuntur non paucæ, quæ in extremis etiam mundi plagis vel ad institutos Neophytos vel ad Christianæ Religionis rudimenta tradenda salubriter celebratæ fuerunt, quarum interim tamen præcipue tres numerantur a B. Toribio in Limana Civitate, Americæ meridionalis Metropoli celebratæ anno millesimo sexcentesimo primo & subsequens duobus annis.

§. L.

Bellum Belgicum a Philippo Hispaniarum Rege Spinolis Marchionibus commendatum.

Gallus. de Bello Belgico l. 15.

Cum interea Philippus III. Hispaniarum Rex per Regium suum in Belgio Legatum Zunigam edoctus fuisset, quod ibidem bellum lento admodum pede procederet, atque Alberti copiam valde imminutæ essent, mox ambobus fratri-

fratribus Ambrosio & Friderico Spinolæ Marchionibus, de quorum virtute haud immerito sibi magna pollicebatur, negotium dedit, ut præter viginti majora belli tormenta exercitum cogerent peditum viginti millium, Equitumque bis mille: nec vana erat Regis in eos fiducia; quippe cognita Spinularum munificentia, bellique peritia tam frequens erat se ultro ad arma offerentium concursus, ut Ambrosius intra breve temporis spatium Legiones duas Equitum & sexies mille pedites in Germania conduceret, Ductoribus Roberto Barbanfone & Egerolpho Lucemburgensi, quibus binæ aliæ ex Insurbria Legiones conjungebantur. Fridericus vero in Belgio Peditibus Jacobum Franciscium, Equitibus vero Vandenbergæ Comitem præfecit.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

§. LI.

Fridericus Spinola navali prælio trucidatus.

Sub idem tempus Grobbenduchio Sylvæ - Ducis Præfecto nuntiatum erat, quod Mauriti Equites numero ferme sexcenti circumjacentes urbi campos populabundi percurrerent: eapropter nulla mora Germetæ, per quod oppidum transiturus erat hostis, suos

Gallut. l. c.
Thuan l. 129.
Hugo Grotius Hist.
l. 12.

Z 3 in

Sæc. XVII. in insidiis latere iussit, qui etiam præ
 A. C. 1603. spero mandati successu in Mauritiano
 periculi ignaros impetum fecerunt. Ce-
 cidere ex foederatis quinquaginta, in-
 ter quos Signifer ipse Mauriti, cap-
 præter duos Locumtenentes, totidemque
 signiferos, gregarii milites centum
 decem. Interea Archidux Fridericus
 Spinulæ negotium dabat, ut cum sua
 triremibus ante Ostendam excubare
 prohiberetque, ne subsidium in urbem
 induceretur. Enimvero Fridericus
 iussa septem instruebat triemes ad hunc
 finem paratas, verebatur tamen, ut
 hoc ipso intempestivo apparatu hostes
 admoneret, ut auctis viribus ea ex parte
 accederet: Attamen Alberto insuper
 habita hac difficultate, quæ tamen
 ministri successus omen erat, mandatum
 urgente, Spinola die sexta Maji Solus
 solvit, ac maritimam illam oram præ-
 tervectus in Ostendæ conspectum venit
 quod conspicati Hollandi mox duabus
 triremibus aliisque tribus præfidiariis
 navibus in Spinolæ classem invehuntur.
 Fridericus vero nil territus binis trire-
 mibus suis singulas ferme eorum naves
 aggreditur, ipse Prætoria sua secundum
 simis usa ventis in triremem nigram in-
 vectus. Tunc primum utrinque quatuor
 signo dato certaminum exarsere studia.
 Tunc laxatis belli tormentis naves in
 frustra

frusta disruptæ, haud minori clade ex earum ruderibus quam globis accepta: Sæc. XVII.
A. C. 1603.

tunc quoque bombardæ lapidibus oneratae mortes haud impune quaquaversum volitabant, ac simul fulgure, fumo, pice nidoreque cum horrendo tormentorum tonitru, ac furibundo pugnantium fremitu ruptus, confususque aer videbatur. Jam in diei secundam horam dimicatio protracta est, cum penes Fridericum malacia obsecundante sine controversia staret summa victoriæ: sed tanta fuit Hollandorum pertinacia, tam infracta virtus, ut Hornano eorum Præfecto jamjam occiso, Legato ipsius fauicio, adhuc tamen ne victi quidem palmam concederent, concepta spe, quod in rebus etiam desperatis maxime animus, ceteris amissis, cuncta reparare soleat: Nec sua ipsos fiducia, minus vero fortuna destituit; dum enim repente resuscitatus post diurnam tranquillitatem auster, secundior ipsis, quam Catholicis affluserat, Fœderati cum tribus navibus, quæ antea cunctis subfidentibus ventis ingrata malacia stупentes in salo hærebant, redintegrato conflictu Friderici triremes aggrediuntur, atque grandinantes inter sclopos interque volitantes grandioris plumbi globos Friderici Prætoriam, quæ unam ex hostibus urgebat, nihilo segnius ir-

Z 4

rumpere

Sæc. XVII. rumpere adlaborant, dissplosaque exis
 A. C. 1603. bombardæ, quæ vulgo Petraricæ ab ey-
 culandis lapidibus appellantur, Fridericum, dum hostili navi audacius infil-
 filit, uno ictu viginti septem vul-
 ribus die vigesima sexta Maji perimunt.
 Virum ob bellicam virtutem melior
 fortuna dignissimum, nisi maxime mili-
 tarium Virorum fortuna decusque le-
 ret, pro fide, patria, Regeque ex mul-
 tiplici vulnere sanguinem unacum vultu
 prodigere. Extincto demum tam ge-
 nerofo Regiæ classis Præfecto, Catho-
 lici unius supremo imperio destituta
 cum victoriæ palmam, non virtutis
 eclipfi, sed fortunæ invidia sibi præter-
 tam cernerent, cum triremibus suis
 Slusanum portum sese receperunt, de-
 sideratis suorum trecentis, quos inter
 potissimi erant duo primi nominis Cæ-
 turiones Polydorus Cataneus, & Vic-
 centius de Balmeo præter Augustinum
 Arconatum. At fœderati quingentos
 ferme amiserunt, ac præ ceteris Hæ-
 nanum maris Præfectum. Tam multo
 igitur sanguine levis hostium victoria,
 ac Friderici mors stetit.

§. LII.

*Seditiosorum militum fœdus cum
 Fœderatis.*

Frider-

Friderici tam strenui Belliducis jacturam doloremque mitigabat Ambrosii fratris ex Italia in Belgium adventus. Hic enim accepto mortis nuntio fratris sui extincti loco suam operam Regis Philippi obsequiis obtulit, nulloque negotio obtinuit, eo quod ubique satis nota esset eximia ejusdem virtus, impiger generosi animi vigor, magna solertis ingenii vis, summa in periculis ad eundis audacia, promptum in iisdem propehendis consilium, indefessa bellici in expeditionibus vigilantia, & mira in rebus omnibus industria, quas egregias animi dotes postmodum Ostendana in obsidione luculento testimonio comprobabat. Priusquam vero Albertus Archidux ejus opera uteretur, potissima cura eo abibat, ut seditiosi milites, qui Hocstratam secesserant, armis compeferentur; hi enim suorum copia freti in finitimos populos Coloniam usque incursiones longe lateque fecerant, & a miseris agricolis civibusque ingentem argenti vim extorserant, adversus eos vero, qui pacem ab eis pretio redimere haud poterant, aut recusarant, caedibus, incendiis, & vastationibus barbarae saeviebant. Igitur Archidux Fridericum Comitem Vandenbergium cum septem peditum & tribus Equitum milibus quantocius ad obsidendam Hocstratam

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

Gallut. l. c.
Camerus
l. 15. c. 10.
Thuan. l. 130.
Grotius l. 12.

Sæc. XVII. A. C. 1603. stratum decernit: vix vero ad feditionis hujus rei fama pervenit, cum illis horum præcipui Bredam proficiscerentur, Fœderatorum Ordinum auxilia imploraturi: Excipiebantur ab eis absque hæsitatione, eo quod veterani ferme omnes essent milites, non minus regionum ac viarum, quam armorum periti: unde vero Fœderati hoc anno militum penuria laborarent. Pactis igitur conditionibus Mauritius Dux illos in fidem ac patrocinium accepit, eosque suo agmini jungens recta ad Hocstratam obsidione liberandam perexit, quo adventante res ad prælii necessitatem devenit, Mauritanis tamen repulsis: nihilominus cum suppetiæ frustra expectarentur, Vandenbergius auctis hostium viribus resistendo impar, discessionem indixit.

§. LIII.

Sylva-Ducis a Mauritio incassum obsessa.

Gallut. l. 15. Thuan. l. 130. Grotius l. 12. Soluta obsidione Mauritius Hocstratam Sylvam-Ducis cum exercitu suo decima nona Augusti contendit, urbem hanc obsessurus, quo comperto Albertus Archidux Friderico Vandenbergio præcepit, ut ad Sylvam-Ducis propugnandam omni qua posset celeritate ad-

advolveret. Hic urbem ingressus, cum
 cives ad accipiendum Præfidiarium jam
 olimejectum adducere haud posset, sal-
 tem illos ad sustinendam fortiter ob-
 sionem incitabat; interea vero Mauri-
 tius expugnationis spem in sola celeri-
 tate reponens, operas ad urbem pro-
 pius admove re festinabat; ex adver-
 so Fridericus nullis parcebat laboribus,
 ac præcipue locum Mauritiæ castris vi-
 cinum, ex quo annonam hosti inter-
 cipere posset, festinato opere validius
 communi re satagebat: non latuit Mau-
 ritium Vandenbergii conatus: quo-
 circa cum quatuor peditum millibus
 nulla mora ad cæptum opus disturban-
 dum, Catholicosque locopellendos pro-
 perat, simul seditiosis desertoribus ex
 altero urbis latere in opem accersitis.
 Vix utraque acies in conspectu erat,
 cum atrox utrinque iniretur prælium,
 in quo Mauritiani utpote numero longe
 superiores locum nondum satis muni-
 tum occuparunt, non tamen sine in-
 genti suorum clade, quorum circiter
 quadringenti, atque ex iis Centurio-
 nes aliquot periere. Ex Friderici ve-
 ro militibus cæsi fuere ducenti, multi
 fuga dilapsi, plures faucii, ac demum
 capti plusquam trecenti, ex quibus
 Mauritius undecim suspendi jussit,
 eoquod Buquoius Comes antea
 toti-

Sæc. XVII.
 A. C. 1603.

Sæc. XVII. totidem ex Fœderatis eodem supplicio
A. C. 1603. necasset. Postea nemine obsistente
 cum validissime munivit, instructisque
 tormentis urbem toto impetu infestare
 cæpit. Sub idem tempus Theodorus
 Trivultius Comes e castris digressus,
 hostiles copias, quæ ad intercipiendos
 Catholici exercitus Pabulatores in in-
 diis latebant, inopinato impetu irruens
 illasque cædit, fugatque, ac post bre-
 vem, sed acrem conflictum trecentos ex
 iis relinquit, qua graviter saucios, qua-
 trucidatos: E Catholicis nonnisi septem
 vel octo vulnerati numerabantur. Post
 hoc ipse Albertus Archidux a Friderico
 rogatus, cum mille quingentis
 Equitibus & sex peditum millibus Sy-
 vam-Ducis ineunte Octobri venit, præ-
 misso Alexandro Marchione Malaspina
 nonnisi quadraginta Equitibus stipato
 qui tamen in seditiosos incidens, atque
 ab iis captus ad Mauritiæ castra per-
 ductus est, ubi ab ipsis Sylvaducen-
 sibus, qui illum cum Tempelio Fœde-
 ratorum Præfecto prandentem conspic-
 cati, atque ambos esse hostes rati, ter-
 menti ictu utroque pede abrepto ad ter-
 ram straverunt. Vix Albertus urbem in-
 gressus erat, cum obfirmatos in recu-
 sando Præsidio civium animos flectere
 intentus esset, irritum tamen conatum,
 quapropter quod precibus non posset,

id vel per armorum violentiam, vel ingenii astum evincere nitebatur: ad id peropportunum erat quoddam propugnaculum, cujus expugnatio civibus oppido salutaris, hostibus vero ob interclusæ annonæ molestiam admodum fatalis foret: Igitur tria Germanorum millia sub obtentu transitus in urbem inducit, qui, cum forum tenerent, se tantummodo usque ad primam lucem pernoctaturos dicebant: summo mane autem Archidux convocato Magistratui tanta rationum vi præsidii validi in urbem collocandi necessitatem exposuit, ut omnes cives uno ore se ad omnem sui Principis nutum paratos exhiberent. Cum autem Mauritius oppidum valido præsidio munitum cerneret, ac insuper pluvix plaudosis suarum stationum locis infestissimæ instarent, motis inde castris obsidionem solvit.

§. LIV.

Ostendæ obsidionis continuatio.

Nec interea Ostendæ obsessorum æque ac obsidentium infracta pugnandi aviditas deserbuit; ac præprimis Joannes de Riva, qui Alberti Archiducis nomine oppugnationi præerat, ad omnes hostibus nocendi occasiones intentus, die decima tertia Aprilis noctis beneficio

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

Sæc. XVII. neficio tres Fœderatorum recessus
 A. C. 1603. vadit, occupatque, occisis omnibus

Præfidiariis. Postridie obsessi eruptionem tentant, sed desideratis suorum quadringentis in oppidum repelluntur qui tamen hac suorum cæde minimè territi, constanter obsidionem sustinebant, eoquod navigiis impune ingredientibus omni tam annonæ quam centis militiæ subsidiis abundarent, insuper tam maris perfidia quam tormentorum violentia omnes Catholicorum labores dejicerent: Medio etiam Junio in Hispanos, qui munimentum a Bredensi latere erectum expugnare tentabant, erumpunt, ac Buquonii regem abductis belli tormentis occupant, quem tamen Hispani ac Itali sine magna hostium clade unacum bellicis machinis receperunt: obsessi autem haud conatus frustrationem ulturi, jactis ignibus plura obsidentium opera aggregataque concremarunt. Ut igitur huic malo remedium poneretur, opportunè advenerat Pompejus Targonus egregius Machinator a summo Pontifice submissus, qui constructa nova machina venientibus subsidiariis navibus aditum prohibere nitebatur: attamen, cum esset in Mathematico magis, quam in bellico pulvere versatus, potius ingenium quam prosperi successus laudem reportabat.

tabat: feliciori tamen postea successu Sæc. XVII.
 alia excogitabat machinamenta inge- A. C. 1603.
 niosus artifex, quæ tamen etiam non
 modo a continenti bombardarum im-
 petu, quam insuper a maris intemperie
 fuerunt dejecta. Igitur Albertus hinc
 tam diuturnæ ac infaustæ obsidionis
 tædio depressus, illinc vero potiundi
 oppidi desiderio erectus, alium, quem
 obsidioni præficeret, nominare statuit,
 ac præ ceteris Ambrosium Marchio-
 nem Spinolam selegit.

§. LV.

*Ambrosius Marchio Spinola Osten-
dam adveniens.*

Igitur die octava Octobris Marchio Spi- Gallut. &
 nula Ostendam venit, qui lustratis Thuan. l. c.
 obsidentium castris, ac explorato loci
 situ Pompejum Justinianum supremum
 castrorum Instructorem & Jacobum Fran-
 ciscium ambos belli peritia clarissimos
 de obsidionis statu interrogabat, qui
 expugnationis spem subesse dicebant,
 si ipse Ambrosius obsidionis curam in
 se suscipere vellet. Horum igitur ra-
 tionibus tandem expugnatus Spinola
 Ostendanzæ oppugnationis imperium ac-
 cepit, ac præprimis ad ingressum ho-
 stilibus navigiis prohibendum ingentem
 machinam in Bredensi statione extrui,
 tribus-

Sæc. XVII. A. C. 1603. tribusque tormentis muniri iussit, in bertina arce interim militibus haud obse torpentibus, quamvis aliquot passim ad obsessam urbem accedere multo sanguine staret: Insuper Targonus Machionis ardore inflammatus aliisque operibus architectandis insudantibus quorum tamen præcipuum iteratis mendarum impressionibus penitus evanescit. Pollicitus quoque erat idem Architectus, se pontem constructurum eumque noctu in maris recessu arripere tam celeriter admoturum, ut ante injectum cerneret hostis, quam in posse suspicaretur: attamen hic pontis oneris sui gravitate omnino inutilis erat. Eapropter Albertus Arce dux potius bellica virtute, quam obsessorum pertinaciam esse superandam ratus, quascunque ubique locorum copias contrahere posset ad ostendendam obsidionem destinabat.

§. LVI.

Conjuratio in Jacobum Angliæ Regem feliciter detecta.

Memoir. Secret. part. 3. pag. 208. Thuan. l. 129. Rapin. hist. l. 18. Sub idem tempus Mense Junio detecta est conjuratio, quam Puritani Proceres conflabant: hos inter Valterus Rallagus princeps erat, qui quondam Elizabetha regnante Regii satellitii Praefectus

fectus a novo Rege sua dignitate spoliari, sibi que Scotum subrogari vehementer indignabatur, ceptoque Regis opprimendi totamque Regiam familiam delendi consilio, socios sibi adungebat Calvinistas Grajum, Cobanum, Carewum, & Brookium aliosque, qui sine tergiversatione nomen dabant, partim quod eandem fere cum Rallego querelam de Scotorum in aula præcellentia moverent, partim quod a novo Rege utpote Essexii Comitis hostes minus benigne excepti fuissent. Sic autem eorum descriptum erat consilium, ut Rex carceris, mortisque metu ad liberum sectæ suæ usum, necnon ad Cancellarium aliosque Ministros Scotos officio suo pellendos adigeretur, vel, ut alii volunt, ut in rusticano Nobilis Elgrei prædio Rex cum suis trucidaretur, dejectisque Scotis Arbella Stuarta generosæ mentis mulier, & Jacobo propinquitate juncta in Regni fastigium eveheretur. His rationum momentis a conjuratis, quos inter etiam duos Ecclesiastici Ordinis Wathonum & Clarckium numerant, Regicidii meditatio conflata dicitur: Dum vero dies condicta facinori advenerat, Rallegus Sorori suæ valedicens, improvida temeritate se eo proficisci ajebat, unde tardius aut fors nunquam rediturus esset, eoquod vel

Hist. Eccles. Tom. LIII.

Aa

pa

Sæc. XVII.

A. C. 1603.

Sæc. XVII. patriæ salutem procurare, vel pro
A. C. 1603. tria mortem oppetere intenderet. Hæc
 nil mali suspicata arcanum hoc verbum
 Marito manifestat, qui rem mox hæ-
 glico maris Præfecto retulit: eapropter
 concepta conspirationis suspicione mox
 Rallegus carceri datur, qui ingenua
 minis sui confessione perduellionis pe-
 nas evadere sperabat. Conficii postea
 ab eo nominati una omnes Londinæ
 turri includebantur, quos inter Ma-
 hamus Grifinus Religione Catholicæ
 necnon Wathonus habita quæstione
 tro fatebantur, quod nullatenus Regi
 mortem, sed duntaxat Catholicæ Re-
 ligionis libertatem consequi intende-
 rint, omnes vero conjurati se a Ro-
 lego seductos fuisse affirmabant, qui
 tiam a Cobano productis literis con-
 victus, judicii severitatem eludere tem-
 tabat, allegans, quod juxta Regni le-
 gem nemo unius testis depositione dam-
 nari posset: ea autem lex jam antea
 ab Elisabetha fuit abrogata.

§. LVII.

Conjuratorum supplicium.

Præstituta die tam Rallegus quam
 Cobanus & Grajus Viacomixæ Men-
 se Novembri morti adjudicabantur, quæ
 sententia pariter in ceteros complices
 fuit

fuit pronuntiata, eamque Rex die de- Sæc. XVII.
 cima septima Decembris suo chirogra- A. C. 1603.
 pho firmavit, altera tamen die per
 Hamptoniæ Prætorem iudicii execu-
 tionem differri præcepit: Demum Mar-
 chamus primus, postea Grajus, ac de-
 nique Cobanus ad supplicii locum de-
 ducuntur, carnificis ictum expectaturi,
 mox vero a Prætore surgere iussis man-
 datum Regium prælegitur, quo Rex
 æquissimæ sententiæ executionem su-
 spendere declarabat, eo quod regni sui
 auspiciis Nobilium de atrocissimo cri-
 mine victorum sanguine cruentari
 nollet, quo facto ad Turrim Londinen-
 sem reducebantur, in qua Rallegus tre-
 decim annos detentus, ibidem tomum
 primum suæ in Anglia celebratissimæ
 Historiæ *de mundo* conscripsit, jamjam
 alterum prælo paratum tenens, quem
 tamen ex indignatione combussit, eo-
 quod Bibliopola se non sine maximo suo
 damno pauca admodum primi tomi
 exemplaria vendidisse asseruisset: Hic
 idem tamen Rallegus anno Christi mil-
 lesimo sexcentesimo decimo octavo Lon-
 dini capite plexus obiit: Grajus vero
 paulopost decessit: Cobanus autem &
 Marchamus post paucos dies libertati
 reddebantur, bonis tamen omnibus suis
 exuti in summa egestate vitam misere
 finierunt. Ne vero tantum scelus om-
 nino

Sæc. XVII. nino impunitum videretur, Georgius
 A. C. 1603. Brochius & Ordinis Ecclesiastici duo
 Viri patibulo affixi, semineces (supple-
 cio perduellionis reorum in Anglia fuerat) laniebantur. Trahebatur insuper in
 criminis suspensionem Carolus Lignier
 Aremergi Comes Alberti Archiducis
 Orator: quinimo Hæretici hujus con-
 spirationis omnem originem in Ortho-
 doxos Anglos sparsis in vulgus atrocibus
 calumniis detorquere nitebantur. At-
 tamen Jacobus Rex omnis culpæ suspi-
 cionem ab eis edicto publico satis la-
 perque depulit, simulque palam decla-
 ravit, quod Aremergius tam nequam
 dum consilium sibi a conjuratis man-
 festatum detestatus fuerit, prout et
 ipsum etiam Cobanus veritatis ponder-
 pressus palam testatus est, simulque
 Cecilius hanc calumniam in Cobanus
 sententia revocare cogebatur, eoquod
 Orator apud Regem graviter questus
 hunc Judicem severe castigari petisset.

§. LVIII.

*Jacobi Angliæ Regis asperitas in
 Catholicos.*

Mem. secret. part. 3. pag. 226. Rapin Thoiras hist. d' Angl. l. 18. Sub idem tempus Catholici in novam
 spem erigebantur, fore, ut Jacobus
 Rex eis saltem Religionis suæ usum
 toleraturus esset; Henricus enim Franciæ
 Rex

Rex ipsum per Bellomontium suum in Sæc. XVII.
A. C. 1603.
Anglia Oratorem sollicitari iussit, ut

pro solii sui firmitate, ac conscientiae quiete denuo in Ecclesiae sinum redire, atque erga Catholicos sese moderatum & æquum exhibere velit: ad hæc Jacobus reposuit, quod nec hæreticus, neque schismaticus esset, ipsamque Hierarchiam in Ecclesia esse necessariam crederet, quinimo ipsum quoque Papam velut Conciliorum moderatorem, non tamen Superiorem agnosceret, ex ritibus vero Romanis quosdam aut Sacerdotum avaritia, aut indiscreto populi Zelo introductos aboleri, reliquos autem retineri optaret, de cetero autem circa dogma, cujusdam Concilii æcumenici iudicio stare paratus esset. Pariter ipsamet Regina Anna, quantumvis Lutheri sectæ addicta esset, die tamen vigesima octava Augusti inter cetera præfato Oratori mentem suam his verbis declarabat: „Nunquam Rex „Maritus meus Regnum suum quiete „possidebit, nisi ad Catholicorum partes accesserit, his egomet clam faveo, „ac interius cum ipsis fidei societate „iuncta sum: sæpissime etiam Regem „ad ejurandam hæresin impellere conabar, semper tamen surdas aures „pullabam; secta enim sua æque ac „scientia ipsum in errore pertinacem

A a 3

„tenet,

Sæc. XVII., tenet, hinc de ipsius conversione de
A. C. 1603. „spero, nunquam tamen ad tam pium
 „opus cooperari desistam. „ Placuit
 summopere Oratori Gallo utriusque
 Principis declaratio, qua cognita Ca-
 tholici in Anglia nonnihil respirare vi-
 debantur: attamen speciosis hisce ve-
 bis operis constantia defuit; cum enim
 Catholici Hiberniæ Proceres quosdam
 ac præcipue Tyrennum Comitem et
 Jacobum ablegarent, porrectoque in
 bello supplici præ ceteris liberum Ca-
 tholicæ Religionis profitendæ usum pe-
 terent, Jacobus exinde tam impotentem
 furore exarserat, ut nulla mora qua-
 tuor præcipuos ex hisce Delegatis Lon-
 dinensi Turri includi præciperet, pe-
 lam professus, quod fidei Orthodoxæ
 libertatem nunquam concessurus esset
 & si in Regno suo nonnisi centum
 addictos numeraret, cum his sese us-
 que ad sanguinem opponere vellet cur-
 ctis, qui ipsum vi ad id adigere nite-
 rentur. Hac declaratione sat luculen-
 ter testabatur, quod juratum in Ca-
 tholicos odium in corde suo foveret
 nihilominus tamen summum Pontificem
 vana conversionis spe lactabat, veritas
 ne omnium Catholicorum Principum
 indignationem in se concitaret.

§. LIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.*Fausta Melitenſium expeditio contra
Turcas.*

Hoc item anno Alphonus Vignacur-^{Thuan.}
tius supremus Melitenſium Equi-^{l. 130.}
tum Magiſter ordine quinquageſimus
tertius expeditionem in Græciam ſu-
ſcipere ſtatuit, miſertus Chriſtianorum
calamitates, quas eis Turcæ ex dua-
bus arcibus, quæ in Corinthiaci Sinus
faucibus poſitæ erant, crebro erum-
pentes inferebant: Præmiſſis igitur ex-
ploratoribus, inſtructaque ſexdecim varii
generis navium claſſe, cum die ſepti-
ma Aprilis Melita ſolviffet, ſecundo uſus
vento die decima ſexta ejuſdem Menſis
ad Echinadas appulit, promotoque
curſu Vivarius terreſtris agminis Præ-
fectus die decima nona Aprilis exſcen-
ſione facta Patras pervenit, ubi jam a
Turcis agnitus inter gladios & ſclopo-
rum iſtus viam ſibi pandit, Bellaqua
Equite interim crypitacula portis ad-
movente, quibus effractis Vivarius alii-
que duo Equites cum ſexaginta ſelectæ
militiæ Viris hoſtem ad interiorem ar-
cem repellunt, refracta autem pariter
arcis porta obvios quosque promiſcua
interitu delent, atque occupata arce
vexillum Melitenſe erigunt: Prætore

Aa 4

cete-

Sæc. XVII. ceterisque, quoscunque de Prætor-
 A.C. 1603. nis casus & fors in manus dederat
 nullo distinctu trucidatis: cum vero
 Turcæ certatim maximo numero con-
 currerent, Vivarius se undique a hoste
 includi veritus, discessum maturabat
 abstractis præter sexaginta tormenta
 captivorum circiter trecentis, quos
 ter præcipuus erat ipsemet arcis Præ-
 fectus. Postea victores supposito
 vere pyrio tures & munitiones de-
 cerunt. Eodem tempore Gatinarum
 litensis Centurio ad Naupactum appu-
 sus admoto feliciter crepitaculo urbem
 ingrediebatur, hostemque turmatim
 accurrentem repellens, admotis scilicet
 urbem unacum arce occupabat, occidit
 omnibus, qui in ea remanserant. Tan-
 dem Vivarius, ceterique Equites con-
 fensa classe die quarta Maji incolumiter
 Melitam reversi sunt, atque in itinere
 Methonam prætervecti præter viginti
 minora tormenta aliquot Turcarum
 vigia bis mille frumenti modis onerata
 ceperunt.

§. LX.

Bellum in Hungaria continuatum.

Thuan. l. c.
Hist. Pac. &
bell. in Pa-
non. p. I.
fol. 285.
 Alternante Martis fortuna hoc anno a Christianis in Hungaria contra Turcas pugnatum est; quippe Cæ-

farei Strigonienses, cum annonam Pest-
 hienfi urbi inferre pararent, a Turcis
 invasi omni commeatu spoliantur, re
 autem comperta Pesthienfes hostem in-
 sequentes annona recuperata Turcarum
 potiffimos trucidant. Tartari vicem
 reddituri prope Sicmaram combustis
 viginti pagis incolas in miseram ab-
 straxere servitutem: proximo autem
 Mense Februario Hungari Turcis & Tar-
 taris omnem, qua onusti erant, præ-
 dam abigunt, cunctis prædatoribus oc-
 cisis, paulopost ineunte Mense Martio
 Pesthienfes injecta pila igniaria pulve-
 ris pyrii receptaculum Budæ incendunt,
 non sine maxima murorum ruina, quo
 cognito Althemius cum suis urbi ap-
 propinquans, erumpentes Turcas cum
 ingenti clade repulit, nec tamen hac
 clade territi Turcæ, Cæsareorum castra
 prope Budam invadunt, ast nocturno
 prælio die vigesima nona Septembris
 a Roswurmio Duce tanta clade affi-
 ciuntur, ut Albam græcam reverti co-
 gerentur. Demum crebris velitationi-
 bus, in quibus tamen Christiani ferme
 semper victores recesserant, necnon
 continuis deprædationibus | circumvi-
 cinæ Regioni admodum funestis integer
 annus infumebatur, æquato ferme ut-
 rinque fortitudinis decore, ac dispendii
 dolore.

Aa 5

§. LXI.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

§. LXI.

Transylvaniæ motus.

Hist. Panon.
l. c.

Reva de
Monarch.

Art. 6.

Thuan. hist.
l. 130.

Han nova
Pan. ad

ann. 1603.

Isthuans.

l. 33.

Interim Moses Ciculus in Transylvaniam collectis ex nupera clade viribus Cosvariam perfidorum civium opem suam redegit potestatem, simulque consilium potius ignavia quam perfidia Juliam interceptit: vicissim verò Cæsarei Turcas, qui Bibarium aggredientabant, cum ingenti clade profligaverunt, captis Tartarorum quamplurimis: Demum die vigesima quinta Junii Georgius Basta Bellidux cum quatuor suorum millibus in Transylvaniam venit, Cosaccis transitum interdicturus, moxque conjunctis cum Radulpho Valachia Vaivoda copiis ferociter in detentum Moses cornu invehitur, jamque turbatis Ordinibus duas alas in fugam agens adeo ut rebelles cominus pugnam conferere cogerentur. Tum vero similis ruinæ strages erat, tandem vero urgentibus Bastæ Equitibus omnes Ciculus fuga abstulit, ceteris ingenti cæde profstratis: nihilominus Moses desperationem animum acuate rursus in prælium redire constituit, sparsosque & incompeditos numero circiter quoad tria millia colligit, atque inconsulta victoria fiducia animatus Mense Septembri Mar-

sam Tribunum inopino impetu obruere Sæc. XVII.
A.C. 1603.
 tentat. Hic cognito ipsius consilio, ut
 hostem falleret, castris suis excessit,
 mox vero instructo milite & composito
 Equitum octingentorum agmine hostem
 a fronte & a tergo aggreditur, fusoque
 plurimo sanguine profligat, cæsis qua-
 tuor Transylvanorum millibus, &
 in his ipso Mose Ciculo, quem Radulphi
 apparitor per medium dorsum balistæ
 globo percussus trucidavit: Caput il-
 lius gladio avulsum Stephanopolin
 transmissum est, ad ceterorum terro-
 rem publico spectaculo expositum. Hi
 qui cladem evaserant, metu dissipati,
 qua cuique patebat ad fugam via, erum-
 pebant, potissimis eorum ductore Al-
 berto, & Bactesseno Temeswariam con-
 volantibus. Tandem arridente belli
 fortuna, captisque centum viginti octo
 signis, quæ Pragam ad Cæsarem trans-
 missa fuere, Basta totam Transylvaniam
 Cæsaris imperio subiecit, ac continuato
 victoriæ successu hostem recenti clade
 territum intra Temeswariæ mænia op-
 pugnare decrevit, inclinata tamen jam-
 jam tempestate diuturniorem obsidio-
 nem veritus, impetum inhibuit. Prius
 tamen Cæsarei die decima octava No-
 vembris post brevem obsidionem Hatva-
 num deditioe ceperunt.

§. LXII.

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

§. LXII.

Ratisbonensia Imperii comitia.

*Thuan. l. c.
Ludolph.
Lib. III.
cap. 2. p. 91.
Londorp.
Tom. III.
pag. 537.
Et seqq.*

Celebrata interim fuere hoc anno Ratisbonæ Principum comitia, quæ tamen Principes Protestantes dudum præveniebant; hi enim, quod Episcopatus pari jure cum Catholicis non admitterentur, & ab ipsis bene Ecclesiastica per Senatum Spirensem reposcerentur, iniquo ferebant animo omnique conatu præpedire satagebant, ne a Spirensibus hæ controversiæ deciderentur, aut si decisæ forent, earum executio impediri posset. Hunc in finem pro summo veluti imperio postulabant, ut in Spirensi tribunali ex Catholicis & Protestantibus suffragiorum æqualitas, & suæ etiam Sectæ Præponderantia esset, ac insuper ipsorum Episcopi, et mere Laici essent, in comitiis Sessorem haberent, ac Protestantibus cetera materia concederentur, nec ullus sectam ullibi excluderetur, simulque Nuntii Pontificii dimitterentur. Nec his contenti, insuper gravissime queriebantur, quod Calendarium novum introductum fuerit, & Cæsar unicum Spirensi, ut vocant, Camera justitiæ administrationem in superiori gradu exerceret, & Ordinum Mendicantium &

Carthusianorum patrociniū fusciperet. Sæc. XVII.
 Cum vero minus æqua censerentur Pro- A. C. 1603.
 testantium postulata, primum Cæsari sub-
 fidia denegare, dein executionem sen-
 tentiæ de bonis Ecclesiarum restituendis impedire cæperunt, tandem arma contra Catholicos adhibenda decernentes. Ea propter anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo nono Friedebergæ contra Catholicos sub obtentu pacis publicæ, suæque sectæ firmiter tuendæ mutuum armorum societatem inibant, sequenti autem anno die vigesima septima Octobris plures Principes atque, inter eos præcipuus Fredericus IV. Elector Palatinus Spiræ inter se convenere, quod per Deputatos abolitio Iudicii Aulici (*) a Cæsare peteretur, nullæ eidem ad bellum Turcicum suppetiæ solverentur, & implorato Franciæ Regis subsidio vicissim Principum Protestantium patrociniū eidem deferretur. Idem in conventu Friedeburgensi anno millesimo sexcentesimo primo die secunda Februarii denuo constituebant, ac tandem hoc anno Heidelbergæ die duodecima ejusdem Mensis præfatum fœdus inter se firmabant, sibi invicem pollicentes, quod dictum

(*) Vulgo vocabant Processus Aulicos:
 Hofproceß.

Sæc. XVII. dictum iudicium repellere, & cuius
 A. C. 1603. libet Principis causam, si oppeteretur
 in se suscipere vellent, ita, ut si eorum
 quis præfati iudicii executionem, ac
 sectæ mutationem attentaret, huic
 omnes sese opponere tenerentur. Pre-
 terea ibidem actum de Hollandorum
 aliorumque Principum subsidio impo-
 rando, & paulo post hunc in finem Ma-
 ritius Hassiæ Landgravius Parisios ve-
 cernebatur ad Henricum Franciæ Re-
 gem, qui tamen prius de singulis Cæsaris
 foederatis, necnon de foederis modo
 mediis sigillatim edoceri petiit, cui
 ei non leve videretur excutere iugum
 Carafa. p. 39. supremi tribunalis Cæsarei, a quo
 bis Germanicus atque imperium Ro-
 manum dependeret. Cum vero post
 bello Turcico Cæsar subsidia Imperii
 impensius peteret, Ratisbonæ hoc an-
 no celebrata sunt Principum magno nu-
 mero confluentium comitia, in quibus
 Ecclesiastici ceteros suo exemplo pro-
 vocaturi sat ampla promiserunt auxilia
 frementibus tamen Laicis, ac præci-
 pue Protestantibus, qui causabantur
 quod hæreditariis suis populis, a quibus
 tamen metu Ecclesiastici utpote potes-
 tate carentes essent vacui, necnon
 suis hæredibus damnum ejusmodi ex-
 actionibus inferre pertimescerent: ni-
 hilominus octoginta Mensium stipendia
 fuerunt

fuere promissa, ac Brunsvici Dux co-
 pias, Elector vero Saxonicus belli tor-
 menta omni apparatu instructa Cæsari
 polliciti sunt. Actum quoque in hisce
 comitiis de bello Belgico, & Legatis ad
 Fœderatos, necnon Albertum Archi-
 ducem decernendis. Eodem quoque
 anno Protestantes iteratas movebant
 querelas adversus præfatum Judicium
 Aulicum, caussati quidem, quod ejus
 Judices suam jurisdictionem in caussis
 potissimum Religionis ultra modum ex-
 tenderent, re tamen ipsa Protestantes
 huic judicio sese opponebant, veriti, ne
 si omnia beneficia, monasteria, & redi-
 tus unacum fructibus perceptis ac usur-
 patis hujus judicii sententia restituere
 adstringerentur, plerique illorum pre-
 cario vivere, suaque bona Catholicis
 cedere cogerentur, nec imposterum ipsis
 Catholicos vexare, suisque bonis spo-
 liare integrum foret: Hanc ob rem
 Protestantes unanimi suffragio conclu-
 serunt, summum aliquod suæ sectæ Ju-
 dicium esse instituendum, cujus supre-
 ma directio Friderico Palatino Electori
 deferretur, ita tamen, ut Principum,
 ac Statuum unitorum quisque suum in
 hoc judicio Assessorem haberet, qui
 unacum ceteris Religionis præcipue
 caussas definiret. Ceterum Protestan-
 tes hoc ausu ac mutuo inter se fœdere
 prima

Sæc. XVII.
 A. C. 1603.

Sæc. XVII. prima jecerunt fundamenta ad bellum
 A. C. 1603. Bohemicum, quo postea Religionem
 Cæsarem, & Catholicos opprimere
 moliebantur.

§. LXIII.

Vapicense Conciliabulum.

*Thuan. l. c.
 Lud. Richeo-
 minus Gual-
 ter. Chro-
 nogr. Sæc.
 XVII.*

Eodem hoc anno seu quadragesimo
 quinto post Confessionem Calvini
 starum in Galliis acceptatam in eum
 Mense Octobri Protestantes Ministri
 pinci in Delphinatu Conciliabulum
 lebrarunt, Præsidente Daniele Cham-
 Montlimensi Ministro. Confluxerant
 omni Regno etiam exteri, quod
 men minime oportuisset, Protestantium
 Ministelli, ibidemque de rebus tam
 disciplinam, quam doctrinam specta-
 tibus ingenti verborum, animorum
 contentione agebant. Præprimis
 suæ confessio in Galliis recepta
 batur, postmodum in variis colloquiis
 & conventibus rationes inita, ut
 fura, quæ inter Martinianos & Cal-
 nistas sive Zwinglianos viguit, con-
 poni posset; vel si ejusmodi unione
 sperare haud liceret, saltem ingenio-
 rum acerbitas, quæ virulentis scriptis
 per totam Germaniam sparsis magis
 magisque indies excanduit, adhibito
 temperamento mitigaretur, ac propterea
 omnes

omnes & singuli Ministri monendi rogandique essent, ne suarum opinionum novitate ac diversitate ulterius Ecclesias turbare velint. Postea ad varios sectæ suæ articulos inter se controversos descenderunt, & præcipue Joannis Piscatoris Herbornæ Theologi, qui duntaxat Christi justitiam, quam in Cruce, non vero quam in vita exercuit, nobis imputari docuit, doctrinam detestati sunt, ac desuper Piscatori & Universitati rescribendum esse decreverunt: Demum admoneri Provincias jubebant, ut perpendant in Synodis Provincialibus, quibus verbis exprimi debeat articulus vigesimus quintus Confessionis, ut exprimamus quæ sentimus de Ecclesia CATHOLICA, de qua mentio fit in Symbolo, eo quod in præfata Confessione quicquid de ea dicitur, non de alia quam visibili & militante Ecclesia accipi queat. His propositis adjungitur præceptum, ut omnes veniant præparati ad hanc materiam. Cum autem hoc Symbolum de Ecclesia invisibili ne ullam quidem mentionem fecerit, & hi Ministri visibilem Ecclesiam, qualis ipsorum est, ante Reformationem invenire desperarent, mirum est, quantum hæc difficultas Ministellorum ingenia torserit. Præterea moniti sunt Pastores, ut inter concionandum parcius autoritate Patrum & Doctorum ute-

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

Hist. Eccles. Tom. LIII. Bb ren-

Sæc. XVII. rentur, ubi fatis memorabile est huius

A. C. 1603. Conciliabuli decretum circa articulum
 trigessimum primum Confessionis de Mi-
 nistrorum vocatione; cum enim que-
 stio moveretur, *an expediret dicere, quod
 primi Reformatores & Pastores reformarunt
 Ecclesiam, & docuerint vi vocationis
 ab Ecclesia Romana acceptæ?* Synodus
 respondit: *simpliciter illam (scilicet Re-
 formationem) referendam esse ad voca-
 tionem extraordinariam, non autem ad
 quia istius vocationis ordinariæ corruptæ.*
 Decretum insuper, quod Baptismus in-
 fantis Baptizati a Ministro nondum in-
 bente ministerii vocationem, nullus
 iterandus sit (*). Imposterum vero Pa-
 storibus non amplius in Consistoriis
 colloquiis, sed coram populo in ca-
 solemni manus imponerentur. Atque
 men vix verbis exprimi potest, quanta
 livoris, odii & iræ impotentia alter
 alterum seu Martiniani in reliquos de-
 bacchati sint, eosque pejus ac ipsi
 Catholicos odio habuerint, quocirca
 Calvinistis e Palatinatu hac de causa
 ad hunc conventum adventantibus, et
 potissimum instantibus propositæ sunt
 rationes & scriptæ Synodales literæ,
 quæ tamen illam animorum acerbitate

(*) Vid. S. Aug. l. 2. contra epist. Parm.
 c. 13. item Concil. Flor. in Instruct. Armen.

tem adeo non mitigarunt, ut ea femper magis magisque invalescere videatur: Insuper inter seipfos convenire haud poterant circa nomen *damnationis*, quod Christo in suo catechismo vulgari tribuebant. Nihilominus quamvis inter se tanta contentione dissenferint, in convitiando tamen summo Pontifice & Romana Ecclesia semper concordēs fuere, atque inter eos decretum, ut ad Confessionis capita adderetur, quod Pontifex Romanus sit Antichristus, eique notas a Daniele & in Apocalypsi designatas convenire, a cunctis constanter teneretur: Hac petulantia moderatiores offendebantur, iniquissimum reputantes, quod ubi Christiana Charitas proximum quemvis contumeliose lædere prohibet, illi, qui se Evangelicos dicunt, contumeliosam hanc vocem credendi necessitatem, per fidei Confessionem imponere non erubescant: Ipse quoque Rex Franciæ horum audaciam minime tolerandam censebat, anxiiisque curis desuper agitabatur, eoque Pontificius Orator de hac injuria graviter expoſtulasset. Hac de re in utramque partem varia fuere disputata, quæ tamen novum antiquis odiis scriptisque amarulentis hinc inde postea certatim evulgatis fomitem præbuere. Nihilominus Vapicenses Ministri ab

Bb 2

An-

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

6. J. 1603
1603
1603
1603
1603
1603

Sæc. XVII. Angliæ & Scotiæ Academiis necnon
 A C. 1603. Batavorum Lugdunensi, Genevensi
 Basileensi aliisque postulare audebant
 ut se ipsis aggregare, suasque operas con-
 jungere lubenter velint. Ita hominum
 multitudine firmandum, quod divina
 ordinatione institutum non est.

§. LXIV.

*Mahometis III. Turcarum Imperatoris
 obitus.*

*Spond. t. 3.
 Hist. Bar.
 Sleid. contin.
 p. 3. l. 9.
 Thuan.
 l. 130.*

Iteratis, quibus Turcæ afficiebantur
 cladibus haud diu supervixerat Ma-
 hometes Turcarum Imperator inter
 jusdem nominis Sultanos tertius: Na-
 tus erat is Patre Amurathe anno Chri-
 sti millesimo quingentesimo sexagesimo
 sexto, qui tamen ab ipsis ferme in-
 nabulis ferinam spirabat immanitate:
 statimque ipso obtenti sceptri momen-
 te septendecim fratres suos injectis cal-
 manicis præfocari, & alios quatuor
 Patri suo posthumos, ut eorum quatuor
 que prius editus erat, sic illos ab utroque
 in adjacenti fluvio tanquam catulos de-
 mergi jussit. Nec tamen domestica
 crudelitate contentus, anno Salutis pe-
 Christum reparatæ millesimo quingentesimo
 tesimo nonagesimo sexto cum ducentis
 mille Ottomanis contra Christianos Hun-
 garicam expeditionem fuscipere con-
 tituit.

tuit, omni inhumanitatis genere Tur-^{Sæc. XVII.}
 cicum vindicaturus sanguinem, quem A. C. 1603.
 occupato Hatvano Belgæ milites nec
 sexui nec ætati parcentes fuderant. Hinc
 vastatis aliquot urbibus, atque incolis
 in miseram servitutem abstractis ad su-
 periolem quoque Hungariam popula-
 bundus excurrit; verum ab Archiduce
 Maximiliano die vigesima sexta Octobris
 in fugam actus est, multis Turcarum
 millibus in acie cæsis: victoria tamen,
 quam Cicada ejus Bellidux de Christia-
 nis incautius in prædam effusis paulo-
 post reportaverat, nonnihil animo ere-
 ctus Mahometes Constantinopolin rediit,
 plusquam sexaginta millia Christia-
 norum ferro deleta & amissa desiderans.
 Posthæc autem sollicitante quodam Sa-
 raceno ex Hispania dilapso Sepulcrum
 Domini Christianis eripiendi, eosque
 unacum Franciscanis ejiciendi consilium
 cepit, quod etiam perfecisset, nisi a
 Gallo Venetoque Oratoribus deterritus
 fuisset. Demum seposita armorum cura
 totum se ventris, voluptatumque stu-
 dio dederat, semperque inter infamis
 consortii, sexus utriusque, greges, con-
 tinuasque epulas atque commestationes
 versabatur: Inde factum erat, ut non
 minus suis quam exteris exosus esset,
 & non modo Scribianus in Oriente ab
 eo deficeret, sed & Janissarii adversus
 Bb 3 illum

Sæc. XVII. illum Constantinopoli tumultuarentur
A. C. 1603. sicut autem impia Tyrannorum ignavia
 ad omnes suspicionum auras trepidantem
 metumque in rabiem vertere solet, in
 & Mahometes primo filium suum stragula
 gulari, postea uxorem suam in mare
 mergi iussit, eoquod hæc incautus
 illo sciscitata esset, num ejus Filius
 imperio successurus foret. Tandem
 ipse non multo post die vigesima prima
 Decembris hoc anno pestilentiae morbo,
 nondum exacto trigesimo sexagesimo
 ætatis anno sublatus est, relicto postea
 unico Filio, secundo genito, qui
 men ob ætatis vitium tanto imperio
 immaturus erat.

§. LXV.

*Constitutiones Clementis VIII.
 Papæ.*

Bullar. t. 3. Jam anno Christi millesimo quingentesimo
Const. 97. quinquagesimo quinto die mensis
Et seqq. optima Augusti Paulus IV. summus Pontifex
 diploma ediderat contra eos, qui
 SS. Trinitatem aut Christi Divinitatem
 vel ipsius Conceptionem de Spiritu Sancto
 aut ejus mortem, vel B. Virginis
 Mariæ Virginitatem negabant, hoc anno
 die tertia Februarii Clementis VIII.
 eandem hanc Constitutionum in
 novabat, ne ejusmodi impii homines
 Leg

Legis ac poenarum ignorantiam obtendere possent. Cum autem in Indiis etiam Occidentalibus ac præcipue Peruanis civitatibus jam tum tanta fidelium pietas erga Sanctissimum Nomen Jesu floreret, ut non paucae ejusmodi Sodalitates ibidem fuissent institutæ, summus Pontifex ad augendam hanc devotionem de Ordinarii licentia alias plures ibi instituendi facultatem cum amplis perpetuisque indulgentiis concessit, edito desuper diplomate die trigesima Junii: sequentis autem Mensis die vigesima tertia Regularium præsertim Mendicantium conventus multiplicandi pruritus temperabat, inhibens, ne Ordinarii ejusmodi Licentiam impertiantur, nisi vocatis auditisque aliorum Conventuum Superioribus constet, quod Conventus novi ibidem erigendi sine aliorum detrimento commode sustentari valeant. Die vigesima Augusti idem Pontifex declarabat, quod Carmelitæ Discalceati sint de quatuor Ordinibus FF. Mendicantium, eorumque gratiis omnibus perfruantur, ac nunquam, ut ad generales & publicas accederent supplicationes, compelli queant. Porro alia Constitutione die nono Septem. edita unionem militiæ S. Lazari cum Ordine Equestri S. Mauritii jam a Gregorio XIII. factam confirmat: Postremo

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

Sæc. XVII. controversiam inter FF. Prædicatores
A. C. 1603. & Eremitas S. Augustini imposito libe-
 tio dirimit, præcipiens, ut isti cum
 cappa nigra, hi vero cum tunica etiam
 nigra ubique incedant.

§. LXVI.

*Decisiones S. Congregationum aucto-
 ritate Pontificis emanata pro
 Regularibus.*

*Gavant. in
 Manual.
 Congreg.
 Episc. &
 Regul.*

Ejusdem Pontificis mandato atque aucto-
 ritate hoc item anno plura de
 disciplinæ Ecclesiasticæ dubia fuere de-
 cisa, ac primo quidem in Congregatio-
 ne Episcoporum die septima Januarii
 definitum, quod in Sepultura Monialium
 nullum jus competat Parocho, sed
 duntaxat earum Confessario: die autem
 vigesima sexta ejusdem Mensis de-
 claratum, quod Monialium Procurator
 vel Syndicus non debeat habere licen-
 tiam ingrediendi clausuram, neque cum
 Confessario ad administranda Sacramen-
 ta ingrediente. Statutum præterea
 die decima nona Maji, quod Novitice
 statim generalem Confessionem depo-
 nant, solique Magistro eorum confes-
 siones excipiendi cura committatur, ita
 tamen, ut Superior vel per se vel per
 alium bis in anno hoc ministerium exer-
 cete

cere valeat: die decima tertia Junii ea- Sæc. XVII.
dem Congregatio declarabat, quod Re- A.C. 1603.
gularibus non prohibeatur, ne exci-
pian Confessiones ægrotorum in ipso-
rum domibus: monuit tamen decreto
die secunda Septembris edito, ne Mo-
nialibus ab obedientia Regularium sub-
tractis tam cito concedantur Regulares
pro Confessariis. Eadem quoque die
statuebat, quod Episcopus, si iterum
ex nova causa Regularium Confessa-
rium examinare velit, id Superiori suo,
non tamen sigillatim expressa causa,
significare teneatur. Eodem etiam
Mense die quinta sancitum, quod Re-
gulares semel approbati ab Episcopo de-
functo non valeant Sede vacante ab ejus
Vicario vel Capitulo examinari.

§. LXVII.

*Alie decisiones circa ritus Ec-
clesiasticos.*

Haud segniori studio summus Ponti- *Congr.S.Ri-*
fex ea, quæ Ecclesiæ ritus con- *tuum decis.*
cernunt, debito ordine ac modo ser-
vari curabat, ac præprimis die decima
quarta Januarii ejus auctoritate deci-
sum, quod Missa conventualis in Col-
legiatis, ubi Clerus est numerosus, &
reditus haud tenues sunt, quotidie can-
tanda sit: Die vigesima quinta præfati

Bb 5

Men-

Sæc. XVII. Mensis S. Congregationis Rituum de
A. C. 1603. creto sancitum, quod Episcopo inter
 Rogationum Missam in Ecclesiis Regu-
 larium cantent: eadem die declaratur
 quod Festum Purificationis, si in
 Ecclesiæ titulus & in Dominicam fe-
 gesimæ inciderit, cum commemora-
 tione Dominicæ celebrandum sit. Pe-
 riter die quinta Martii decisum, quod
 Altare portatile tunc consecrationem
 amittat, quando frangitur, vel caput
 ubi S. Reliquiæ inclusæ habentur, loco
 movetur. Rescripsit quoque die duode-
 cima Aprilis eadem Sacra Congrega-
 tio, quod nec Laicis nec Clericis prohi-
 bitum sit, quominus in supplicatione
 Sanctissimi Sacramenti tædas vel can-
 delas accensas deferant. Die etiam
 vigesima tertia Maji declaratum, quod
 in Dominicis & festis, nisi ex Solem-
 nioribus sint, Missa solemnis defun-
 ctorum, nondum sepulto cadavere, dici
 valeat: eadem die decisum habetur
 quod vespere Defunctorum pro prima
 die Mensis dicantur post Vesperas Do-
 minicæ vel festi etiam de præcepto, si
 dies sequens sit libera a festo novem-
 Lectionum: si tamen Officium Anniver-
 sarium vel septenarium seu Tricen-
 narium Defunctorum post obitum cadat
 in Dominicum diem, vel festivum, tunc
 trans-

transferatur in diem sequentem cum ea-
dem solemnitate. Declaratum quoque
die decima sexta Julii, quod Sedes Vi-
carii Generalis debeat esse simplex, non
autem Tapetis & pulvinari ornata; qui
etiam duntaxat Canonicos Sacro habitu
non indutos præcedat. Ejusdem quo-
que Congregationis decreto die sexta
Septembris definitum est, quod oratio,
quæ dicitur in festo SS. Fabiani & Se-
bastiani non sit mutanda, ita, ut de
Sancto Sebastiano duntaxat recitetur,
etsi Ecclesia huic Sancto sit sacra: die
decima quinta Novembris insinuatum
est, quod Regularibus non conveniat
officium, horasque Canonicas cum Cle-
ricis Sæcularibus in choro cantare. Sæ-
pius quoque stabilitum est, quod tam
Canonici quam alii pro evidenti Eccle-
siæ utilitate absentes, non amittant di-
stributiones quotidianas, salario eis non
constituto, quas tamen nec Episcopus
nec Capitulum ob non residentiam il-
legitimam amissas remittere aut donare
queat. Statutum quoque die decima
quarta ejusdem Mensis, quod Cathed-
ralis Parochus, nisi eligatur a Capitulo
intra octo dies, deputandus sit ab Epi-
scopo. Postremo die tertia Decembris
declaratum est, quod Episcopus suum
Vicarium amovere queat, si male vel
scandalose se gerat in officio, nec cer-
tiores

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

pietatiæ & Religionis specimina dederat; in eo enim singularis modestia, summa
 iudicii maturitas, raraque rerum ge-
 rendarum experientia ac dexteritas emi-
 cabat: Pauperum Parens, Doctorum
 fautor, ac severus Ecclesiasticæ disci-
 plinæ cultor Metropolitanam Ecclesiam
 Neapolitanam, ad quam a Clemente
 VIII. anno Salutis nostræ millesimo
 quingentesimo nonagesimo sexto evehe-
 batur, unacum Palatio Episcopali ædi-
 ficiorum fabricis, vasis aureis, argen-
 teisque exornabat, ac integrum Tem-
 plum picturis aliisque pretiosis donis
 tam in vita, quam post mortem testa-
 menti tabulis locupletabat. Nec Nea-
 poli tantum sed & Romæ pia ejus li-
 beralitas celebrabatur; præclaram e-
 nim Basilicam Patribus Theatinis erigi
 curabat, quod tamen opus absolvere
 haud poterat, morte præventus: obiit
 enim Neapoli hoc anno die decima
 quarta Februarii sepultus in sua Ca-
 thedrali. Hujus Viri jacturam ipse
 Clemens VIII. literis ad Canonicos suos
 datis deplorans, in hæc verba erupit:
*Nos Viri pietate & vitæ integritate, ac
 multis meritis præclari atque in hoc Sacro
 Ordine amplissimi mortem dolemus. Inter-
 fuit Alphonsus septem Pontificum
 comitiis.*

Sæc. XVII.
 A. C. 1603.

§. LXIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

§. LXIX.

*Hieronymus Rusticuccius Cardinalis
mortuus.*

*Ciacon. in
vita Pii V.
p. 108.*

*Purpura
doct. l. 5.
Petramell.
in elog.*

*Turfellin. in
hist. Lauret.*

Alter erat Hieronymus Rusticuccius natione Italus, qui ex Nobili prosapia ortus anno a Virginis partu millesimo quingentesimo trigesimo septimo Mense Januario in urbe Fano primam lucem aspexerat. Erat is ipso nature beneficio ingenuus, docilis, modestus, que ad literarum studia propensus, que circa intra breve temporis spatium mira ingenii facilitate Eloquentiam ac jurisprudentiam didicit, aliisque Sacratioribus literis animum instruxit, de mum vero anno ætatis suæ vigesimo Christi vero millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo Romam accedens Ghislerio tum Cardinali Alexandrino ab epistolis erat, quo autem non post anno ad Pontificatum assumpto sub nomine Pii V. primus illius nominabatur Secretarius, quo in munere aliisque gravissimis negotiis præclaram virtutis indolem, consilii promptitudinem, morum integritatem, industriam, exquisitumque studium tam luculenter testabatur specimine, ut Presbyter Cardinalis tit. Sanctæ Susannæ ac paulo post Senogalliensis Episcopus crearetur.

Pur-

Purpuram adeptus suis meritis tantam Sæc. XVII.
 sibi apud Pontificem gratiam, & apud A. C. 1603.
 omnes auctoritatem atque existimationem conciliabat, ut Pius Papa illum omnium arcanorum participem redderet, ac penes ipsum integram negotiorum administrationem, ditionisque Ecclesiasticæ regimen esse juberet. Defuncto autem Pio V. eandem vitæ rationem, quam faventis fortunæ tempore tenuerat, etiam sub Gregorio XIII. Successore cum æquali innocentissimæ vitæ tenore conservabat, nullius oppressi defensionem, nullius amici aut clientis patrociniū in se suscipere recusans. Gregorio demum e vivis sublato Sixtus V. ejus Successor Hieronymum perspecta ejus accerrima ingenii acie, ac vitæ candore sibi a secretis esse voluit, eumque Romanæ Urbis Vicarium constituit, quam etiam dignitatem sub quinque Pontificibus summam laude exercuit. Interim vero divini cultus promovendi studio accensus Ecclesiam S. Susannæ, cujus titulum annos septem supra viginti tenuit, eximiiis picturis, pretiosis marmoribus, variaque suppellectile sacra tam copiose exornabat, ut potius recens ædificata, quam restaurata videretur: præterea octennio, priusquam decederet, nobilissimum sibi monumentum ibidem construi

Sæc. XVII. frui curabat; qui etiam Romæ die de-
 A. C. 1603. cima quarta Junii Vir æterna memoria
 dignissimus mortalitatem exiit.

§. LXX.

Sylvii Antoniani Cardinalis extru-

*Ciacon. in
 vit. Clem.
 VIII. t. 4.
 Maracc.
 Purp.
 Marian.
 Attichy Hist.
 Card. Jan.
 Nic. Pynac. x.*

Hunc pari fato sequebatur Sylvius An-
 tonianus communi bono Romæ An-
 no reparatæ salutis millesimo quingentesimo
 quadragésimo die ultima Decembris felici omine natus; ejus quædam
 Mater in somnio audire sibi videbatur, se puerum parituram, qui par-
 tibus solatio, Ecclesiæ ornamento, omnibusque virtutum exemplo futurus esset: ne-
 inane erat hoc vaticinium; a tenet enim annis pietatis studio addictissimus
 nondum expleto decimo ætatis suæ annis in humanioribus non solum disciplinis
 sed præcipue literis græcis, arte poetica & Musica tantum profecit, ut carminibus
 suis ex tempore recitatis, aliis ingenii momenti sibi Cardinalium, aliorumque
 rumque Principum favorem conciliaret unde a Pio IV. cujus adhuc Cardinalis
 laudes extemporaneo carmine ad hæc præcipue
 ram olim canebat, Romam accersitus inter
 Palatii Pontificii familiares cooperatur, postea
 Carolo Borromæo Cardinali Magister, & latinarum
 epistolarum a secretis tribuitur, quocum etiam dum
 Medicus

Mediolanensis Archipræsul nominatus Sæc. XVII.
 est, Mediolanum profectus ibidem acta A. C. 1603.
 Diæcesanæ Synodi conscripsit. Ro-
 mam iterum a Papa vocatus literas ele-
 gantiores in publica Academia trade-
 bat, postea sese totum Theologiæ stu-
 diis, Sanctorumque Patrum Lectioni
 sacrabat, quem paulopost Pio V. man-
 dante Sacrum Cardinalium Collegium
 sibi a secretis elegit, quo munere per
 annos quatuor supra viginti constantia
 prorsus singulari, diligentia ac fide illi-
 bata fungebatur. Demum a Gregorio
 XIII. Sixto V. & Gregorio XIV. variis,
 iisque perquam honorificis muneribus
 præficietur, in omnibus sese pietate,
 innocentia, sobrietate ac prudentia pror-
 fus eximium exhibens. Tandem a Cle-
 mente VIII. Pontificii Cubiculi Præfe-
 ctura, arcanarum literarum munere,
 ac Vaticanæ Ecclesiæ Canonicatu de-
 coratus est, ubi non Ecclesiæ, sed suis
 stipendiis militasse videtur, eo quod fer-
 me totum, quod ex quotidianis distri-
 butionibus perceperat, in pauperes &
 ædes Sacras profunderet: Oblatam in-
 super Papiensem Infulam, commissi
 gregis rationem Deo reddere veritus
 recusabat, Abbatiam vero sibi a Cle-
 mente delatam ea lege acceptabat, ut
 illam sumptibus suas facultates exce-
 dentibus instauraret, ornaretque, ob
Hist. Eccles. Tom. LIII. Cc quam

Miræus
Script. Sac.
XVII.

Sæc. XVII. quam prodigalitem a quodam amico
 A. C. 1603. reprehensus respondit: *nomine memini
 hilarem datorem a Deo diligi: Sacerdotibus
 nobis creduntur, non quo locupletemur, sed
 quo Ecclesiasticorum bonorum dispensatores
 simus, quæ partim Ecclesie, partim pau-
 peres sibi vendicant: Demum anno Do-
 mini millesimo quingentesimo nonage-
 simo sexto die tertia Martii Cardinalis
 tit. S. Salvatoris in Lauro renuntiatus
 Confessarii sui preces, Deique operam
 profusis lacrimis implorabat, ne collata
 Purpura suæ salutis noceret, cum, ut
 ajebat, ad dignitates elati ruinæ proxime
 sint: Eapropter ab illo tempore imper-
 fectus adhuc humilitatem, necnon vitam
 ac vestitus parsimoniam colebat, num-
 mos in pauperes & loca Sacra libera-
 lissime effundens. Romanum quoque
 populum Tyberis inundatione afflictum
 pio subsidio recreabat, totoque illo an-
 no nil nisi paululum carnis vervecina
 & jusculum, pyrumque coctum sua
 mensæ apponi patiebatur, ut omnem
 pecuniam in miseros abundantius ero-
 gare posset: Munera tamen quævis, et
 tiam honesto titulo oblata semper con-
 stantissime respuit, sibi soli austerus, er-
 ga omnes vero munificus, charitatis
 fervens, officiosus, & liberalis præce-
 pte erga Religiosos. Insuper præter
 singularem in Deiparam Virginem re-
 morem*

morem ac pietatem, perpetuo Virginitatem, ac conscientiae nitorem tam fedulo coluit, ut nullius unquam lethalis culpae sibi conscius esset. Annum denique agens aetatis suae sexagesimum tertium mortis horam praesentens, Sacellum ac tumulum sibi parabat, & mense Julio lethali morbo correptus, atque ad vitae exitum se comparans omnia sua bona pauperibus testamento reliquit, demum Pontificia Benedictione munitus die decima quinta Augusti Beatae Virgini in caelos assumptae Sacra, uti optaverat, in Domino obdormivit, sepultus in aede Virginis Deiparae in Vallicella, nullo, uti caverat, Epitaphio nobilitatus.

Saec. XVII.
A. C. 1603.

§. LXXI.

Hujus Cardinalis Scripta.

A deo excultum in omni arte ingenium, defaecatumque judicium Silvius gerebat, ut ejus aetate Roma neminem se doctiorem, magisque eruditum numeraret: Praeterquam enim, quod tersae latinitatis, limataeque dictionis stylique nitidissimi praestantia celebris esset, tanta etiam ingenii ac memoriae felicitate, necnon judicii soliditate praepollebat, ut intra paucas horas integrum literarum acervum pluresque lucubra-

*Possev. ap. parat.
Bentivol.
mem. c. 7.*

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

cubrationes, tam absoluto opere conficeret, ut nihil aut demere, aut mutare, vel lituris obducere necesse esset, sed cuncta verba inventis admodum apte responderent. Unde haud mirum, quod plurima eaque prorsus egregia ingenii sui monumenta posteris reliquerit, inter quæ potissimum celebrantur. Tractatus de Christiana Puerorum educatione Veronæ editus. II. De obsequitate solis in morte Christi. III. De successione Apostolica. IV. De Stylo Ecclesiastico, seu de conscribenda Ecclesiastica historia, V. de Primatu Petri VI. Symbolum Apostolicum Concilio Romano insertum. VII. Responsum ad Oratores Alexandrinos VIII. Lucubrationes in Rhetoricam Aristotelis. IX. Commentaria in orationes Ciceronis: X. Orationes tredecim XI. complura varii generis Brevia Apostolica. XII. Volumen epistolarum præter varia poemata sacro-profanæ aliaque carmina.

§. LXXII.

Bonvisii Cardinalis fatum.

*Ciacon. vit.
Clem. p. 340.
tom. 4.*

Sexto post Silvii obitum die trigesimo prima Augusti naturæ debitum legitur vit Bonvisus Bonvisius natione Tuscorum patria Lucensis, qui generis sui splendore

dorem præclaris animi dotibus conjun- Sæc. XVII.
gens jactis humaniorum literarum fun- A C. 1603.
damentis mox ad jurisprudentiæ stu-
dium animum adjecit, postea Romam
delatus, morum affabilitate, judicii re-
ctitudine, scientiarum fama, ac præ-
primis virtutum laude adeo clarus e-
vasit, ut utriusque, ut vocant, signa-
turæ Referendarius, mox Cameræ Apo-
stolicæ Clericus, ac demum Provinciæ
Anconitanæ Præfectus a Clemente VIII.
nominaretur: nec hic steterat merito-
rum cursus, ac proin nec præmiorum
copia; hic idem enim Pontifex, cum
hujus Viri prudentiam, ac rerum bene-
gerendarum dexteritatem sibi sat per-
spectam haberet, eundem Ecclesiastici
exercitus, ductore Francisco Aldobran-
dino, Generalem Commissarium in Hun-
garia constituit, quo munere Bonvi-
sius strenue perfunctus, ab eodem Papa
Cardinalis Diaconus tit. SS. Viti & Mo-
desti renuntiatur. Postea ad varia Ur-
bis negotia adhibitus, anno post Chri-
stum natum millesimo sexcentesimo se-
cundo die decima octava Martii ad Ba-
rensem Archiepiscopatum evectus est,
quem tamen nonnisi annum unum, men-
ses quinque & dies duodecim tenuit,
atque exiguo illo tempore copiosam
animarum messem collegit; quippe to-
tus in eo erat, ut populum Salutaribus
do-

Sæc. XVII. doctrinis imbueret, verbum Dei prædi-
 A. C. 1603. caret, Sacramenta ipsius administret.
 & Clerum ad severiorem disciplinam
 revocaret. Insuper pupillos, viduas
 & pauperes liberali manu sublevare
 pœnitentium confessiones excipere inter
 primas curas habuit, verus æque
 indefessus animarum Pastor. Tandem
 meritis plenus, cæloque maturus non
 nisi anno ætatis suæ quadragesimo ter-
 tio ad æternam transiit gloriam.

§. LXXIII.

Hieronymi Matthæi Cardinalis mor-

Ciac. in vita Sixti V. t. 4. Postremus inter Purpuratos hoc anno
 defunctos erat Hieronymus ex nobilissimo
 Matthæiorum Sanguine natus, anno a partu
 Virginis quingentesimo quadragesimo sexto
 supra millesimum. Hic quamprimum adoleverat,
 literariis disciplinis enutritus, quicquid
 Poetis lepidum, apud Oratores grave
 in Historia eruditum erat, sua cogitatione
 assequebatur: nec tamen his studiis sua
 ingenii vis atque amplitudo satiari poterat,
 eapropter jurisprudentiæ præceptis apprime
 imbutus in aula Romana Protonotarius
 Apostolicus, et rursusque Signaturæ Referendarius,
 Cæmeræ Apostolicæ Clericus, ejusdemque
 Præses & Auditor supremus creatus.

batur: crescente autem nominis sui gloria, ac meritorum præstantia sub Sixto V. Cardinalis Diaconus titulo S. Adriani nominatur, quo tamen relicto illum S. Agathæ, dein S. Mariæ in Cosmedin, ac tandem S. Eustachii optavit. Abbantias quoque Amolensem & Nonantulanam administrabat, necnon Sacræ Congregationi præfectus, aliisque muneribus non sine laude defunctus magnam justitiæ, ac prudentiæ famam sibi comparabat. Sub Clemente VIII. anno Pontificatus sui primo ex Diaconorum Ordine ad Presbyterum Cardinalem tit. S. Pancratii die decima tertia Februarii evectus, inter Cardinales, qui septimum Decretalium librum concinnabant, annumeratus est. Pluribus interfuit Comitibus Pontificiis, iis scilicet, in quibus Urbanus VII. Gregorius XIV. Innocentius IX. & Clemens VIII. Romani Pontifices renuntiati sunt. Edidit quoque multa, digna & præclara opera: tandem vero die octava Decembris anno ætatis suæ quinquagesimo septimo improvisa morte vivis ereptus est, sepultus in Ecclesia Aræ cæli in prosapiæ suæ Sacello.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

§. LXXIV.

Francisci Vietæ obitus.

Cc 4

Nec

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

*Thua 1.
l. 129.
Vossius de
Math.
scient.*

Nec omittendi sunt Viri literis clarioribus eodem hoc anno fati functi, ex quibus præprimis memorandus venit Franciscus Vieta Fontenaio in inferiore Pictonum Provincia natus, qui a tenera ætate studiis liberalium artium imbibendis assuefactus, totum sese Mathematicis disciplinis dicabat, tam celestemque copioso proventu, ut quicquam a veteribus eo in genere olim inventum, sed temporum injuria deperditum vel obsoletum fuit, ipse assidua mentis applicatione aut rursus invenerit, restauravit; tam profundæ enim meditationi immerfus erat, ut non raro integrum triduum in cogitatione defixum ad pulpitem tam pertinaciter sedere solus esset, ut cibo vel potu, naturam refocillare negligeret, capto quidem somno nisi per intervalla. Debetur etiam huic Viro gloria, quod præteris prior adinvenerit ita dictam *Analytin speciosam*, cujus inventionis felicitas huic Viro tantam conciliabat estimationem, ut nihil suæ cognitionis impervium esse crederetur, quocirca cum Hispani tempore Fœderis Gallici plures literas ignotis characteribus exaratas ad Fœderatos mitterent, ac cum eis arcanas consiliorum rationes per secretam hanc consensionem excoquerent, Franciæ Rex interceptas ejusmodi

modi literas ad Vietnam mitti jubebat, ^{Sæc. XVII.}
 ut illarum sensum assequi satageret: A. C. 1603.

nec inanis erat concepta in hunc Vi-
 rum fiducia; ipse enim nullo ferme ne-
 gotio arcanas detexit notas, literasque
 dexterrime interpretatus est. Eadem
 facilitate quosdam etiam errores in Ca-
 lendario Georgiano detexisse ratus, no-
 vam, quæ in Ecclesia Romana recipi
 posset, normam ad Ecclesiastica festa
 ritusque accommodam Epactis aureo
 numero subrogatis concinnabat, typis-
 que editam anno Christi quingentesimo
 sexagesimo supra millesimum Cardinali
 Aldobrandino Lugduni obtulit, irrito
 tamen successu; eoquod in ejus syste-
 mate adhucdum nonnulli contra Nicæni
 Concilii Canonem errores reperirentur,
 quibus tamen haud leviores Franciscus
 noster P. Christophoro Clavio Jesuitæ
 præcipuo novi Calendarii Architecto
 exprobrabat, suumque de hoc Viro ju-
 dicium his verbis exprimebat: *Opti-
 mus est Mathematicorum elementorum in-
 terpres & eximia facilitate, quæ ab inven-
 toribus obscurius in quavis eorum parte tra-
 dita sunt, explicat. Ceterum, quantum
 ad scientiam, ita scribit, ut scribendo, quæ
 scribit, primum discere videatur, nihilque
 de suo ingenio addat, sed describat omnia;
 suppressis vero eorum, a quibus proficit,
 nominibus, nullo operæ pretio, nisi quod
 sparsim,*

Sæc. XVII. *sparsim, confuse & minus dilucide ab aliis*
A. C. 1603. *scripta, ipse colligit, ordinat, & ita perspicue proponit, ut ex alienis propria efficiat.*

Vicissim vero Vietnam Josephus Scalliger, dum de cyclometricis cum ipso disceptabat, acrius reprehendit, postea tamen cognitio Viri meritis honorificis palinodia seipsum castigavit. Obiit Franciscus hoc anno in patria sua die vigesima tertia Februarii. Edidit quidem plurima opuscula, quæ tamen admodum rara sunt; eoquod illa suis sumptibus cudenda curasset, atque exemplaria penes se retineret, non nisi inter Amicos suos distributa: præcipue tamen celebrantur ejusdem *Canones in Calendarium Gregorianum perpetuum, non relatio Calendarii.* Exstant etiam *tractatus de æquationum Recognitione & emendatione nova, & de Algebra* præter ipsius *responsa de rebus Mathematicis, & tractatum de numerosa potestatum resolutione.*

§. LXXV.

Guido Coquillius fatis fundus.

Thuan. l. c.
Journal des Scavants
Ephem. 34.
Teissier elog. tom. 2.
Eodem fato sublatus est Guido Coquillius Romanei Toparcha Noviodunensis Æduarum, quod hodie Nivernium dicitur, anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo tertio natus. Is Luce

tiæ Parisiorum primum literis humanioribus, dein juri utrique operam dedit, atque in Parisiensi foro Caussidicum aliquamdiu agens, Patavium contendit, ut sub Mariano Socino Juniore, cujus nomen tum celebre erat, in jurisprudentiæ studio magis adhuc sese perficeret, inde Aureliam, ac paulo post Nivernium reversus, supremi Procuratoris munere decoratus sæpius Aureliam, & Blesas ad Gallicana Ordinum comitia ablegatus est: tandem vero Mense Majo octogenario major, Vir de sua ætate & posteritate optime meritus decessit. Quoniam vero, dum viveret, opera a se elucubrata typis mandare haud curaret, dudum ea in scriniis variis dispersa delitescabant, unde post ipsius obitum in iis colligendis multum laboris ac temporis insumptum: tandem vero post sedulam inquisitionem maxima pars illorum inventa est, duobus voluminibus comprehensa, quæ anno supra millesimum sexcentesimo sexagesimo quinto Parisiis Billaneis, ac postea millesimo septingentesimo tertio anno Burdigallensibus literis excusa prodire. Primum volumen continet reflexiones ad status Ecclesiastici reformationem utiles. Sequitur tractatus de Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus, in quo Author demonstrat, quous-

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæc. XVII. quousque Regis potestas in administra-
 A. C. 1603. tione politiam Ecclesiasticam conce-
 nente se extendat. Sunt præterea in
 eodem volumine plura alia opera, quo-
 rum maxime memoranda est Nive-
 nensium Historia, in qua præter illa
 res, quæ hanc Provinciam concernunt,
 varia de annexis Regionibus, & fami-
 liis hunc Ducatum olim possidentibus
 recenset. Alterum volumen varios
 jurisprudentiæ tractatus complectitur
 ac præcipue *Institutiones Juris Galliæ*,
 quod opus ob summam utilitatem ma-
 ximi habetur. Postea sequuntur
 numeræ Juris quæstiones, omnes pro-
 funda eruditione agitæ, ac non sine
 magno judicio decisæ. Denique ad-
 tus habetur Commentarius in Nive-
 nensium statuta, qui tantæ auctoritatis
 est in illa Provincia, ut decisiones tum
 datæ hodie pro norma habeantur
 ad dirimendas difficultates, quæ in
 statutorum illorum interpretationibus
 occurrunt.

§. LXXVI.

Joanni Petri Masei extrema.

Erythræus
Pinac. 2.
pag. 348.
Alegambe
Bibl. Script.
S. J.

Hunc pariter annum exitialem
 habuit Joannes Petrus Maseus na-
 tione Italus, patria Bergomas, qui ho-
 nesto genere progerminatus utriusque
 Zanchii

Zanchii, Basiliæ & Joannis Chrysoſtomi Sæc. XVII.
 Regularium Canonorum Magisterio A. C. 1603.
 uſus Tuſcas, latinæ, Græcæque literas ſumma facilitate didicit, poſtea Romam profectus magnam ſibi exiſtimationem conciliavit: tandem a Republica Genuenſi accerſitus, urbis illius Nobilibus præcepta Rhetorices tradidit, quo munere tanta cum eloquentiæ & eruditionis laude fungebatur, ut eadem Republica illum arcanorum omnium participem conſciumque faceret: poſtea annos triginta natus die vigefima ſexta Auguſti anno Domini milleſimo quingentefimo ſexageſimo quinto Romæ Societati nomen dedit, ac ſexto poſt anno profefſionem emiſit; præceperat enim Pius V. ut Societatis Novitii, elapſo probationis anno, publico ſolemni ritu, ſicut ceteri Religioſi, profiterentur, quæ tamen lex poſtea a Gregorio XIII. ſublata eſt. Poſtquam Romæ pereleganti ſtylo vitam S. Ignatii Loyolæ ſcripſerat, Ulyſſiponem profectus eſt, inde vero in Italiam reverſus Hiftoriam Indicam cum ſelectis epiftolis ex India elucubravit: Juſſus dein a Gregorio XIII. hiftoriam Eccleſiaſticam ſui Pontificatus contexere, eam tredecim libris abſolvit: accerſitus poſtea a Clemente VIII. in ædes Vaticanas, ut inchoatam hiftoriam Eccleſiaſticam, & uſque ad Gre-

Sæc. XVII. Gregorii obitum protractam ad sua tempora protenderet, manum quidem admovit, tresque libros confecit, calamm tamen paulopost mors excussit; die enim vigesima Octobris Tibure anno ætatis suæ sexagesimo septimo mortuus est.

§. LXXVII.

Varii Societatis Scriptores hoc anno denati.

*Alegambe
l.c. Miræ:
Script.
Sæc. XVII.*

Plures adhuc e Societate Scriptores occurrunt, qui hoc anno e vitam prægrarunt, quos inter præcipui sunt. I. Antonius Vivianus, qui Petracorii natus, Tolosæ in ipso hujus anni limite anno ætatis suæ quinquagesimo septimo decessit: edidit gallice librum de imitatione Christi, epistolas Generalium Societatis, necnon libros de Angelocustode, de Virginitate, de oratione quadraginta horarum, & de Pietate erga Deiparam. II. Joannes Arnbruster natione Germanus, patria Francoqui Spiræ die vigesima septima Martii quinquagenarius decessit. Exstat ejus *Olivetum Spirense* rogatu Canonicorum Spirensium editum. Descripsit etiam metro divos quatuordecim *Auxiliares publico cultu celebres in Diœcesi Bambergensi* præter orationem in mortem Danielis Archi-

Archiepiscopi Moguntini. III. Andreas Vermadius natione Belga, patria Arnhemius, qui die vigesima quinta Augusti naturæ debitum solvit, posteris relicta epistola ad *Justum Calvinum*, qua novem ipsius quæstionibus de fide respondit. Sæc. XVII.
A. C. 1603.

IV. Emanuel Pimenta Lusitanus, qui varia poemata, necnon epigrammata de Regibus Lusitanis conscripsit, præter elogium de die Purificationis B. V. Obiit Eboræ die prima Octobris. V. Gregorius de Valentia, de cujus fato jam supra mentionem fecimus. Hic multa opuscula de fidei controversiis contra Sectarios, necnon de rebus fidei suo tempore controversis elucubrabat. Scripsit etiam plura contra Antonium Saedel & Fortunatum Grellium Calvinistas, quod opus Ingolstadiensibus literis excusum prodiit: Exstant etiam ejusdem Authoris commentarii Theologici, & Disputationes in summam D. Thomæ Aquinatis. VI. Joannes Azor natione Hispanus, patria Marcianus ex oppido Lorca die decima Februarii Romæ fati functus. Scripsit libros III. Institutionum moralium, & Commentaria in Cantica Canticorum. VII. Joannes Oranus Leodiensis latine reddidit librum Petri Ribadineiræ de Principe Christiano adversus Machiavellum; edidit quoque apologiam pro Societatis
 inno-

Sæc. XVII. *innocentia præter literas Japonicas, Mo-*
A. C. 1603. *gorenicas & Sinenses: Vitam cum*
morte commutabat Montibus Hanno-
niæ die trigesima prima Maji.

§. LXXVIII.

Desiderii Buffet Carmelitæ mors.

Biblioth.
Carmel.
Jos. Falco
Chron. Car-
mel. Lud.
Jacob. de-
script. Prov.
Narbon.

His merito accensendus est P. Desiderius Buffet natione Gallus, in Pago Dommariensi Diæcesis Lingonen- natus. Hic iis artibus, quibus ætate puerilis informari ad humanitatem sollet, apprime excultus Divione Philosophicis æque ac Theologicis disciplinis egregiam navabat operam; secus vero serio reputans humanarum rerum caducitatem, arctioris vitæ cupiditate exarsit, ac ibidem Carmelitarum Religionis nomen dedit, ubi emenso studiorum curriculo Parisios missus, ob præclara ingenii sui specimina Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo nono in Academia Parisiensi Doctoratus Laurea decoratus est: postea honorifica sui Ordinis munia obiens, tandem anno Domini supra millesimum quingentesimum octogesimo secundo per Universitatem Franciæ Regnum Vicarius Generalis nominatur. Erat Vir inter literatos zelosissimus, inter suos Zelosissimus, stren-

nus Religionis Catholicæ Defensor, Sæc. XVII.
 Hebraici, Græci, Latinque idiomatis A. C. 1603.
 peritissimus, omnique scientiarum ge-
 nere excultus. Decessit tandem Divio-
 ne annis meritisque plenus, ibidem se-
 pulchrum in sacello S. Desiderii, quod pro-
 priis sumptibus construi fecerat. Re-
 liquit posteris inter alia ingenii sui mo-
 numenta sermones quadragesimales,
 nec non alias Conciones præter carmen
 quoddam contra hæreticos, & epistolas
 ad diversos. Exstat quoque Laurentii Bu-
 relli Episcopi Sistaricensis elogium a
 Desiderio concinnatum. Ex eodem Or-
 dine hoc anno defuncti sunt alii Scri-
 ptores, uti P. Didacus Martinez, Pe-
 trus Lucius, Martinus a Martyribus,
 Petrus Roivela & alii.

§. LXXIX.

*Joannis Demetrii Sollikowskii
 decessus.*

Silentio haud prætereundus est Joan-
 nes Demetrius Sollikowskii Léo-
 politanus Archipræsul, qui Siradiæ
 natus in Cracoviensi Academia inge-
 nium suum omni eruditionum genere
 excoluit, crescente autem meritorum
 gloria Sigismundus Augustus Poloniæ
 Rex eundem a secretis habere voluit,
 ac paulo post anno a partu Virginis mil-
 lesexcentis sexagesimo

*Lexicon hi-
 stor. lit. S.*

Hist. Eccles. Tom. LIII. Dd lesimo

Sæc. XVII. lesimo quingentesimo septuagesimo pro
A. C. 1603. concilianda pace Danos inter & Suecos

Steuinum ablegavit: variis tamen ad
 versæ fortunæ procellis Joannes
 Henrico III. Valesio jactatus clam una
 cum eodem Franciæ Rege in Gallias
 contendit, inde autem anno restauratæ
 Salutis millesimo quingentesimo septuagesimo
 quinto in Poloniam reversus, Stephano Bathorio in
 Regem recepto electo sequenti anno ad Maximilianum
 Cæsarem Legatus decernebatur, quæ
 legatione defunctus, ac honorifice
 missus tertio tamen lapide ab urbe Bar-
 tisonensi unacum Sociis suis captus
 Lincium abducebatur, integro quatuor
 mestri ibidem detentus, postea verò
 libertati redditus, ac in patriam rever-
 sus ab eodem Rege Henrico una cum
 Georgio Radzivilio & Ernesto Weyher
 sub annum Domini millesimum quingentesimum
 octogesimum secundum Legatus in Livoniam
 decernitur, has Provincias in obsequium
 revocaturus: inde redux ab Henrico Leopoli-
 tanus Archiepiscopus præsul nominatur, qua
 dignitate conspicuus Romam contendit, ibidem
 nomine Regis summo Pontifici filialis obsequii
 homagium præstiturus: Præterea operam
 suam impenderit in componendis dissidiis
 inter Sigismundum Regem & Maximilianum
 Austriæ Archiducem Regum

Regni competitorem: Tandem celeberrimus hic Vir, postquam quatuor supra viginti Legationes summa cum laude obiisset die decima septima Junii anno ætatis suæ septuagesimo quarto animam Deo reddidit. Edidit plura opuscula, inter quæ præcipue celebrantur ejus Commentarii in Psalmum sexagesimum septimum, necnon illius *fasti Christiani*. Elucubrabat pariter commentarium rerum Polonicarum, Prussiam Ducalem, jus Livonicum & Topographiam ejusdem Provinciæ præter alia ingenii sui monumenta.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

§. LXXX.

Petri Charronis extrema.

Mensem Novembrem hujus anni suæ vitæ postremum habuit Petrus Charron anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo primo Parisiis natus, ubi etiam literis bonisque moribus eruditus omnes diligentiae partes explevit, præcipue jurisprudentiæ operam navans, quam etiam disciplinam Aureliæ & apud Biturices professus lauream Doctoratus promeruit: postea Lutetiam reversus aliquamdiu Caussidicum egit, forenses tamen strepitum pertæsus Sacrationibus disciplinis addixit animum, non sine maximo profectu,

*Naudæus Bibliopolit.
Sorel Bibl.
Franc. p. 92.*

D d 2

Sæc. XVII. factu; quippe in concionando ad popu-
 lum tam fervens, tam eloquens ac effi-
A. C. 1603. cax evaserat, ut non modo auditorum
 mentes & affectus raperet, sed & ce-
 ratim a variis Episcopis ad obeunda
 Theologicæ Cathedræ exercitia in Ca-
 nonicis eorum Collegiis expeteretur
 ipsa quoque Margaretha Regina Petrus
 conscientia suæ Moderatorem esse vo-
 luit, & Armagnacus Cardinalis Paris
 Legatus Avenione hujus Viri conser-
 tio delectabatur: Tandem in hac pu-
 blica exercitatione insumptis circiter octo
 decim annis primum Carthusianis post
 ea Cælestinis instituti vitæque societatis
 se jungere anhellabat, ab iis tamen
 minime receptus, eo quod proventus
 ipsius ætas ferendis Religiosæ disci-
 plinae austeritatibus impar esse videretur
 mutata ergo animi sui sententia Burdigala
 iam contendit, ubi arcto amicitia vinculo
 jungebatur Michaeli Montano Ordinis
 Senatorii Principi, qui Scepticismum
 resuscitasse dicebatur: ibidem quoque
 Petrus anno Salutis nostræ millesimo
 quingentesimo nonagesimo quinto Le-
 gationem suam conscripsit *de trina veritate*
 cujus lucubrationis præstantia tantis
 sibi comparabat famam, ut Divitiis
 Cadurcorum supremus Episcopi Vice-
 regius & in Collegio Canonorum Theo-
 logicus nominaretur; nec tamen tantum
 muse-

muneris amplitudo a studiorum assiduitate Petrum avocare poterat, anno enim millesimo sexcentesimo tres libros de sapientia conscripsit, quæ tamen lucubratio ei fatale negotium facefferat, a P.Francisco Garasso, Scipione Dupleix, aliisque insimulatus, quod impia, erronea atque Atheismum redolentia libro suo inspersisset, quem tamen ex eruditis nonnulli ac præcipue Gabriel Naudæus vindicare nitebantur. Obiit Petrus apoplexia in publica platea tactus die decima sexta Novembris. Profluxit quoque ex hujus Scriptoris calamo præter jam recensita sermo de *Divinitate*.

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

§. LXXXI.

Ægidii Hunnii interitus.

Inter celebriores Sectæ Lutheranæ Theologos, qui hoc anno decesserunt, memorari meretur Ægidius Hunnius Winenda Wittembergius, qui die vigesima Decembris anno partæ Salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo natus a suis modicæ fortunæ parentibus ad sectæ suæ ministerium destinabatur, eo quod Mater ipsius gravida in somno culmum sensim in crassam Templi columnam excrescere vidisset. Lapidei hujus vaticinii ductu puer ad Scholam

Melch. 'A-
dam Vit.

Theol.

pag. 723.

Hist. Eccles.

Weisman.

p. 2. §. 34.

Sleid. Cont.

lib. 9.

Sæc. XVII. lam Adelbergensis & Maulbrunnensis
A. C. 1603. Monasterii, quod primum olim Praemonstratensium, alterum Cisterciensium Domus erat, mittitur, ibidem humanioribus literis eruditus, ac postea ad Wirtingensem Academiam profectus est, dum vigesimo tertio ætatis anno Magistri honore decoratus Theologiæ operam dedit, juxta Matris somnium Ministrorum cætui adlectus: Haud multo post tempore in Marpurgensi & Wittebergensi Academia Professor crebras cum Flaccianis contentiones habuit, nam magis pacificum se exhibuit adversus Calvinistas, quos unacum Leonar. Krentsheimio eorum, ut vocant, Superintendente a Silesia exterminare nitentibus: anno autem e partu Virginis millesimo quingentesimo septuagesimo septimo acriter Samuelem Huberum Pareum insectabatur, calamumque strangebatur adversus Anhaltinas immutationes, eo quod ibidem ritus, quos adiphoros appellant, scilicet imagines, Altaria & organa e Templis eradicare juberentur. Intererat etiam colloquio Ratisbonensi ante biennium celebrato. Ceterum Georgius Calixtus Helmstadiensis Theologus Hunnio imputat, quod ipse per suas opiniones particulares systema de Prædestinatione hucusque inter Lutheranos & Calvinistas

Vid. supra
Lib.
CLXXXV.
§. 53.

vinistas concors immutarit: Pariter Sæc. XVII.
 Hunnius *Calvino suo Judaizante* sicut A. C. 1603.
 & ceteris suis Scriptis contra Calvinistas editis vehementer offendit Reformatos, ex quibus Andreas Rivetus, ut
Comment. ad Genes.
 suum Calvinum tueretur, acriter eum perstrinxit his verbis: *iniquissimum est inter alia, quod calumniose traduxerit tanquam prævaricantem, cui vitio nemo minus obnoxius fuit, quam Calvinus, sed argumentorum pondere potius agere voluit, quam numero, quod certe fuit strenui disputatoris, non ignavi blateronis, quales plerique fuerunt, qui leoni mortuo timidi alioqui lepores barbam vellicare ausi sunt.*

Mox tamen Hunnius vindicias vulgavit adversus Rivetum. Ceterum hic Scriptor plures elucubravit tractatus, qui quinque voluminibus comprehensit typis prodire: ex quibus tamen præcipue celebrantur ejus commentarii in Epistolas D. Pauli, necnon tractatus *de Majestate S. Scripturæ*. Perit Hunnius hoc anno die quarta Aprilis, ætatis suæ quinquagesimo tertio.

§. LXXXII.

Theophili Glaseri obitus.

Huic annectimus Theophilum Glaserum, qui Renersdorffii in Misnia
Christian Schlegel vit. Glas.
 anno

Dd 4

Sæc. XVII. anno post Christum natum millesimo
A. C. 1603. quingentesimo quinquagesimo tertio
 natus, in patria sua humanioribus literis
 operam dabat, Georgii Fabricii magisterio usus: anno autem millesimo quingentesimo septuagesimo primo Wittenbergam profectus ibidem tanto profectus se sacratioribus Musis dicabat, ut Magistrum promoveretur: Eo tempore nova Protestantium secta velut urfi cæculus adhuc informis erat, ac ipsius met Lutheri Proto-parentis discipuli præcipue Melanchton circa articulum de cæna Domini, de ubiuitate seu omni præsentia Christi Domini & de communicatione Idiomatum inter se acerbè collidebantur, imo præfatus Melanchton per Lutheri metum suæque conscientie injustam vim illam fuisse querebatur, unde Lutherana reformatio potius factio, quam Religio esse cæperat, indies crescente numero illorum, qui Melanchtoni adhaerant, ac propterea Crypto-Calvinistæ appellabantur: cum autem Lutherani ac præcipue Jacobus Andrea & Chemnitius concordie formulam ederent, hanc quoque Glaferus suo firmabat chirographo. Creverat inde tantopere hujus Theologi auctoritas, ut in Reinhartsheimensem Pastorem eligeretur, atque anno Incarnationis Domini

minicæ millesimo quingentesimo octo-
 gesimo Super-intendens nominaretur,
 quam tamen dignitatem humilis vir eo
 tempore recusabat, ut postea pinquiori
 proventu majorique honore Dresdæ
 tertii post dictam Reformationem Su-
 perintendentis, ut vocant, officium a-
 quiret, quo etiam obtento circa an-
 num millesimum quingentesimum nona-
 gesimum primum magno sectæ suæ fer-
 vore functus est, atque adversus Cal-
 vinistarum dogmata, quæ bini sui Præ-
 decessores fors ad accensam Lutheri
 facem cæcutientes clam invexerant,
 strenue decertabat, donec die secunda
 Martii ad supremum Judicem Deum
 evocaretur. Scripsit varia, ac præpri-
 mis *Lutheri doctrinam contra Sacramen-
 tarios, necnon Aristeam de versione Se-
 ptuaginta virali* edidit. Hujus viri vi-
 tam elucubravit Christianus Schlegel
 Dresdæ anno Christi millesimo sexcen-
 tesimo nonagesimo octavo typis edi-
 tam, quæ tamen tot fabulis, insulsis-
 que adulationibus inspersa est, ut in
 densissimo ignorantæ sæculo scripta
 videatur.

Sæc. XVII.
 A. C. 1603.

§. LXXXIII.

Thomæ Carturiti decessus.

D d 5

Obiit

Sæc. XVII.
A. C. 1603.

Obiit pariter hoc anno Thomas Cartwrightus seu Carturitus præcipuus Puritani Schismatis Author, qui Herfordiæ natus emenso studiorum curriculo Cantabrigiensem Theologiæ Cathedralam moderabatur: cum vero Elizabetha Angliæ Regina circa quædam res inter Episcopales & Puritanos controversas Academicam Disputationem instituisset, & Carturito Prestonum antagonistam suum palam præposuisset ipse in rabiem actus in Hierarchicos præsentem Regina impotenti insania delibacchabatur, quocirca Witogisti Episcopi jussu sua cathedra amotus Genevam recessit, ubi Calvinii sectam probe edocuit ac Theodori Bezæ, cujus gratiam occupabatur, patrocinio suffultus deinde Angliam repetit, ac paulopost ab Amwerpiæ Mercatoribus Concionatoris munere decoratus, aliquandiu ibi subsistit evoluto autem aliquot annorum curriculo in patriam reversus est, magisque quam antea exulceratus animo in Hierarchicos palam tumultuabatur, moreque insanientis more in eos probrata proferere, & quicquid in buccam venerat contra Episcopalem Ordinem, Liturgiam, usum Albæ, aliosque ritus iter concionandum evomere cæperat adeo, ut Academicorum plurimi publicis precibus interesse noluerint nisi inha-

*Nicol/sius
Def. Eccl.
Angl. p. 20.*

bitu profano, aliique efferata licentia Sæc. XVII.
 contra Ecclesiasticam Angliæ discipli- A. C. 1603.
 nam ausi sint insurgere: aucto autem
 suorum numero libellum supplicem Se-
 natui Anglicano porrexit, in quo inter
 cetera exposuit, „quod Ordines partium
 „studio abrepti ab æquo bonoque reces-
 „serint, ac propterea sanctissimi omnes
 „cives eorum comitia velut corruptas
 „& conjuratas hominum impiorum coi-
 „tiones deinceps evitaturi essent, qui
 „in futuro iudicio Sodomæ & Gomoræ
 „magis impuniti erunt, quam in An-
 „glicano Senatu, nisi eis, quæ ipse jam
 „antea monuisset, Senatus se vellet
 „componere: de cetero ipsi parati es-
 „sent, Senatu licet invito hanc disci-
 „plinam a Deo præceptam constituere: „
 Tandem vero non veritatis amore, sed
 vindictæ & novitatis fanaticismo abreptus
 publicum schisma invexit, factaque
 spe opimæ admodum prædæ Episcopo-
 rum Collegium evertere statuit. Pa-
 riter Nicholius Carturito imputat,
 quod seditionis in Reginam conflatae
 conscius haud parum concurrerit ad fu-
 rores Hacketi, qui palam Londini a
 suis pro Rege Angliæ renuntiatus est.
 Hanc quidem calumniam a Carturito
 abstergere nititur Peircius secta Purita-
 nus; utut autem res se habuerit, id
 tamen certum est, quod Carturitus ob
 accen-

Sæc. XVII. A. C. 1604 accensam novi schismatis facem in cerem detrusus paulopost Varvici decesserit. *Edidit commentarios in Proverbia & Ecclesiasten Salomonis, item epistolas D. Pauli ad Colossenses, harmoniam Evangelicam contra novum Testamentum Rhemense: admonitiones duas Parlamento oblatas, necnon earum apologum adversus Witogistum Episcopum.*

§. LXXXIV.

Probrosa Societati Pyramis everti Lutetiæ.

Serran. hist. Franc. Juvenc. hist. Soc. l. 12. part. 5. **H**ic annus millesimus sexcentissimus quartus Jesuitis in Francia opprobrium faustus fluxerat; tanta enim apud Regem gratia atque auctoritate valebant, ut ab eo probrosam Pyramidem, conveli obtinerent. Erat illa in æternum detestandi Regicidii monumentum Parisiis ante valvas Curix novem ante annos erecta, cujus basi statuæ quatuor insidebant, quibus decretum de ejiciendis Jesuitis insculptum legebatur. Vix autem Rex die decima tertia Februarii hoc monumentum everti iussit, cum illico quamplurimi maximæ auctoritatis Viri sese opponerent, caventes, gravem hoc facto maculam Parisinæ Curix inuri, ac præpostera misericordia statuum destrui, quam Justitia

tia erexisset, nihilominus cedendum erat Regis mandato, qui totam molem non noctu, uti quamplures petebant, sed luce palam convelli iussit, ut Jesuitas ab hoc crimine omnino innocios fuisse, luce meridiantē clarius pateret. Ergo demolitioni manus imponitur, atque in pyramidis locum fontis receptaculum collocatur, abolita penitus nefandi criminis memoria.

Præterea Jesuitis die vigesima nona Aprilis Collegium Parisiense reddebatur, obtenta etiam facultate literas publice docendi: Verum Parisinæ Universitatis Rector vehementer obstitit, causa in forum delata; nec defuerunt opponentibus insignes Patroni, imo ipsemet Cardinalis Peronius ceteroquin Jesuitis addictissimus permoleste tulit hoc diploma se incio impetratum: unde Regi significabat, multos jam esse Parisiis Theologiæ Doctores, quibus præripi discipulos non conveniret. Horum igitur repugnantia factum, ut Jesuitæ per plures annos scholas suas aperire inhiherentur.

§. LXXXV.

Contentio inter Andegavensem Episcopum & Senatum innovata.

Non

Sæc. XVII.
A.C. 1604.

Sæc. XVII.

A. C. 1604.

*Thuan. hist.**Franc. l. 132.**Vid. Lib.*

76. S. 4.

Non multo post Pater Cotonus Jetic
 ta arguebatur, quod Pontifici
 Nuntium instigasset, ut hic cauffis
 ante biennium motam, quæ hætenus
 quieverat, innovaret, & adversus Scholæ
 Theologicæ censuram contra Can-
 lum Mironem Andegavensem Episcopum
 a Collegio Andegavensi, uti fæ-
 jactabatur, latam reclamaret, eoquo
 Ludovicus Servinus Regius Advocatus
 plurima contra honorem Sedis Aposto-
 licæ, ejusque auctoritatem huic scrip-
 inferuisset. Igitur die decima septima
 Februarii Henricus Petraviva in Sto-
 bonæ Aula Theologorum conventum
 solemniter habuit, in quo decretum
 quod scriptum istud Collegii nomine
 vulgatum sit fictitium, & supposititium
 neque unquam ab eo profectum, ex-
 verso autem omnino temerarium, fæ-
 sum, offensionis plenum, erga Sedem
 Apostolicam injuriosum, schismaticum
 impium esse, ac hæresin sapere confes-
 Id vero cum a Cognitore regio ad Se-
 natum perlatum esset, censuerunt Pa-
 tres, ut duo Theologi ex illis, qui præ-
 fato conventui intererant, proximo die
 unacum Collegii Syndico comparere
 juberentur, interdicta interim conven-
 tum celebrandi facultate, donec ibi
 comparuissent. His biduo post adven-
 tantibus Harlæus Præses a Petraviva
 quæ-

quærebat, cujus jussu & auctoritate conventus esset habitus: eo autem respondente, id jussu Regis factum, Harlæus petiit, ut de decreto seu potius libello famoso nuper condito rationem redderet: mox Petraviva intrepide reposuit, quod ipsemet conventum celebrari institisset, accepto mandato ab eo, qui & in eum & in Senatum jus imperii habet. Hanc audaciam indignatus Præses, eum in crimen læsæ Majestatis incurrisse pronuntiat, moxque converso ad Apparitorem sermone acta deliberationis sibi exhiberi petit, rursumque Petravivam interrogat, a quo mandatum conventus indicendi emanasset, quo respondente, quod illud a Rege ex ore Cancellarii exceptum, & per illum Cardinali Gondio intimatum fuerit, de novo interrogabatur, cur tam infrequenti cætu id factum esset, reposuit Petraviva, triginta septem Theologos interfuisse, hunc autem idoneum esse numerum ad decretum sanciendum. Dimissis itaque illis Senatus censuit, ut Curia de tota re decerneret. Ita suppressis Sorbonicæ censuræ actis amplius suspensa est a Senatu deliberatio.

§. LXXXVI.

Varii Religiosorum Ordines in Regno Franciæ admissi.

Sub

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

Sæc. XVII.
A.C. 604.

Thuan. l. c.
Calmet Hist.
Univerf.
Abregé de
l'hist. Ecclef.

Sub idem tempus Henricus France Rex non modo Jesuitis, sed variis etiam aliorum Ordinum Religiosis se propitium ostendebat, atque inter eos Recollectis in via, quæ ad Vicenarium castrum ducit, Parisiis Monasterium exstrui concessit. In suburbio Sancti Germani Fratres de Misericordia, quæ ægrotos curant, valetudinarium fundere construxere: Fundatum quoque ut vicinariorum, sic & foeminarum Fuliacensis Tolosæ cœnobium. Theresianæ ex Hispania accersitæ, quæ Carmelitarum Regulam profitentur, in S. Michaelis suburbio ad S. Mariæ in Campis domicilium struxere, præter alium amplissimum Conventum in suburbio S. Jacobi Parisiis. Demum Capucinæ ex Bituricensi urbe ad Pontem Esiaë fuerunt translatae, constructo Regiis sumptibus cœnobio, ubi Aloysiæ, quæ Henrici III. Regis uxor erat, corpus Molinio Bonorum asportatum terræ mandatum est.

§. LXXXVII.

Continuatæ Congregationes de auxiliis.

Hist. Congr.
de Auxil.
l. 3. c. 30.
Hist. Contr.
l. 5. c. 28.

Disputationes hucusque ob solemnissimam Epiphaniæ festam interruptæ ad initium hujus anni summo cum fervore reassumebantur, & quidem die vigesima Januariæ.

Januarii in Congregatione quadragesi- Sæc. XVII.
 ma prima summus Pontifex præsentibus A. C. 1604.
 tam Cardinalibus, quam Episcopis,
 Censoribus, & Theologis, & FF. Præ-
 dicatorum Generali binas quæstiones
 mature dijudicandas proposuit, qua-
 rum prima erat hæc: *An sit de expressa*
S. Augustini sententia, aut saltem de ejus
mente, vel potius contra ipsius doctrinam,
quod interna Dei vocatio ad fidem, licet
donum Dei sit, multum tamen pendeat a
libero arbitrio ejus, qui vocatur?

II. *An interna vocatio fidelis ad pœ-*
nitentiam maxime pendeat a Ministris Ec-
clesiæ, atque a libero arbitrio.

Circa utramque propositionem diu
 adversus Patrem Thomam Lemos Fer-
 dinandus Bastida acriter disputabat,
 suppetias ferente ejus socio Patre Joanne
 de Salas, finita autem disputatione
 in Congregatione quadragesima secun-
 da die sequenti decisum est, *propositio-*
nem Molinæ (Vocatio Dei interna ad fi-
dem, & excitatio ad pœnitentiam mul-
tum pendet a libero arbitrio) non esse se-
cundum Doctrinam S. Augustini, neque ex
illa deduci.

Die decima sexta Februarii indica-
 batur Congregatio quadragesima ter-
 tia, in qua Patre Lemos adversa vale-
 tudine præpedito Didacus Alvarez di-
 sputabat circa hunc articulum: *An sit*
Hist. Eccles. Tom. LIII. Ee de

Sæc. XVII. de expressa sententia S. Augustini, aut
A. C. 1604. tem de ejus mente, vel potius contra
 doctrinam, quod dum sumus in via, semper in manu liberi arbitrii sit nostra salus, perque nos ipsos stet, quod ad Deum convertamur?

Hanc assertionem Pater Bastida confirmare haud dubitabat, reclamans Didaco Alvaresio, qui salutis nostre potestatem ex auxilio gratiæ in nostro arbitrio positam concessit, pelagianum autem esse demonstravit, quod semper ideo in manu nostra sit salus, quia fecerimus, quod in nobis est, præter Deus nobis aderit ad consequendam gratiam: Egregie autem Pater Bastida præfatam propositionem vindicabat. Nihilominus soluto congressu in congregatione quadragesima quarta decima septima ejusdem Mensis fuerunt Consultores, quod expendendo hæc propositionem, prout asseritur a Molina ejus proprium & genuinum sensum ab autore intentum esse, quod dum sumus in via, ea ratione in manu consilii nostri est nostra salus; quia si ex solis viribus nature fecerimus totum quod in nobis est, gratiam infallibiliter consequemur ex certa lege, quam operemur, ut ad salutem oportet.

Conferendo itaque istam propositionem cum doctrina S. Augustini, sub isto sensu a Molina intento, resolvit Congregatio,

non esse de mente *S. Augustini prædictam* Sæc. XVII.
A. C. 1604.
 propositionem, ut sic ab illo assertam,
 sed potius doctrinæ illius omnino contra-
 riam, & Pelagii dogmati quoad utram-
 que partem maxime consonam.

Huic tamen censuræ non subscri-
 plere Episcopus Aquilanus & Collegii
 Carmelitarum Regens. Acrior erat di-
 sputatio die vigesima secunda Martii in
 Congregatione quadragesima quinta,
 cui Pater Lemos pristinæ sanitati resti-
 tutus interfuit, proposita quæstione:
An sit expressa sententia S. Augustini, vel
saltem de ejus mente, aut potius contra ejus
doctrinam, quod Deus leges ordinarias do-
norum suorum adultis distribuendorum, ma-
gna ex parte usui liberi arbitrii accomoda-
verit? Pater Lemos ad hanc doctrinam
 confirmandam duos hujus propositio-
 nis sensus exposuit, juxta quos Moli-
 na Dei dona libero nostro arbitrio ac-
 commodans Pelagianæ hæresi accedere
 videbatur: nec parcius Bastida Prædi-
 catorum Doctrinam Calvinismi non se-
 mel insimulabat: denique Lovaniensis
 Academix censuram rursus suo Anta-
 gonistæ obtrudit Lemosius.

Id vero indigne ferens Bastida mi-
 ror, inquit, quod Reverendus Pater in
 conspectu Sanctitatis Vestræ produxerit in
 hac materia Lovanienses: cum ab hac Sancta
 Sede fuerit eis impositum silentium, quia
 E e 2 injuste

Sæc. XVII. injuste accusabant Patres Societatis de quibusdam propositionibus doctrinæ sanæ.
A. C. 1604.

His vero mox Lemosius repositus certe miror, quod hæc audeas proferre, cum nihil fuerit ab hac Sancta Sede contra definitum: nam per illam Bullam tantum impositum fuit silentium Patribus illis, et vobis etiam, ne de propositionibus sanæ dei esset controversia, non ait, vestras propositiones fuisse sanæ fidei, sed controversias super rebus sanæ fidei, Et ideo precepit utriusque partibus, ut datis rationibus Sedi Apostolicæ, expectent quod ab ea fuerit definitum.

Postremo objecit Jesuitis censuram latam in Petrum Rivium S. Theologiae Licentiatum, qui propter Divinæ gratiæ efficaciam futurum contingens negabat, ex qua damnatione pariter sententia Jesuitarum, qui per efficaciam gratiæ antecedentem tolli libertatem arbitrii existimant, damnata videtur. Tandem Clemens Papa disputationem imposuit, ac die vigesima septima ejusdem Mensis Censores deciderunt hanc propositionem in sensu Molinae non esse secundum doctrinam S. Augustini, sed potius esse Pelagianam: excepto Regio Collegii Carmelitarum, qui asseruit Molinae sententiam esse probabilem.

§. LXXXVIII.

Congregationes XLVII. XLVIII.
XLIX. & L.Sæc. XVII.
A. C. 1604.

Die vigesima prima Aprilis in Congregatione quadragesima septima in quæstionem vocabatur sequens articulus: *An Deus essentialiter, exigat ab homine, ut prius faciat quod in se est, antequam fidem donet? quamvis enim Deus fidem non conferat propter ea, quæ antecedunt, nihilominus illam concedere non solet, nisi antecedant, ut dicit Molina.*

P. Livin.

l. 5. c. 32.

P. Serry

l. 3. c. 33.

Non diffitebatur Bastida, quod Molina affirmavit, Deum nunquam denegare gratiam facienti ex suis naturalibus, quod in se est: demonstrabat tamen, eum nunquam admisisse, quod Deus ad dandam gratiam effectualiter exigat, ut homo prius faciat, quod in se est. Verum hanc fuisse Molinæ sententiam comprobare nitebatur Lemofius, eoquod hic Author statuatur, Deum ex certa lege gratiam prævenientem conferre, quoties homo viribus naturæ facit, quod in se est, simulque actus liberos moraliter bonos interiori vocationi præexigat. Absoluto hoc congressu die vigesima tertia Aprilis in Congregatione quadragesima octava decisum, hanc propositionem non esse consonam

Ee 3

nam

Sæc. XVII. nam doctrinæ S. Augustini; sed ab ea quæ
A. C. 1604. longissime discedere, & continere errorem
 Pelagianorum. Molinam vero in sensu Pelagiano illam docuisse, ut ex pluribus locis illius **CONCORDIÆ** ad invicem collatis constabat. Nihilominus tamen Dominicus Episcopus Aquilanus censuit propositam esse Pelagianam; sed addidit sibi non constare, quod Molina illam asseruerit. Petrus Rada dixit se non invenisse hanc propositionem apud Molinam totidem & formis verbis; legisse tamen aliam deteriore, qua illa facile deducitur. P. Regens Collegii Carmelitarum dixit, hanc propositionem Molinæ non esse alienam a Doctrina S. Augustini.

Porro in Congregatione quadraginta nona die trigesima ejusdem Mensis disputatum est de actibus credendi & diligendi Deum, quos (licet supernaturalis atque ex fine bonos & ad salutem conducentes) Molina tamen libertati arbitrio tribuisse dicebatur: unde in Congregatione quinquagesima die prima Maji decisum, actus hosce eliciri propter Deum, & cum omnibus bonis circumstantiis, esse actus prout oportet: atque adeo elici non posse, sine Spiritus Sancti gratia, & idcirco Molinam errasse, asserendo, posse hominem ex sola facultate naturalis credere, sperare & diligere.

§. LXXXIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1604.Congregationes LI. LII. LIII.
& LIV.

Postmodum die septima Maji in Con- *Acta Secret.*
gregatione quinquagesima prima *Argentor.*
agitabatur sequens quæstio: *In quo dif-* *collect. Jud.*
ferant motivum pietatis Christianæ, & Univers.
motivum, quod actus fiant intuitu & con- *tom. 3.*
templatione bonitatis & justitiæ Dei: cum *p. 169.*
ii actus fiant ex timore & amore Dei, e-
tiam super omnia?

Circa hoc dubium Bastida Molinam vindicaturus, discrimen posuit inter motivum Christianæ pietatis, & motivum justitiæ & bonitatis Dei super omnia dilecti: idem vero esse utriusque motivum judicarunt Censores in sequenti Congregatione die octava ejusdem Mensis habita. Rursus vero de eodem dubio actum est die vigesima octava Maji in Congregatione quinquagesima tertia, quam sequebatur censura die vigesima nona ejusdem Mensis in Conventu quinquagesimo quarto pronuntiata, his verbis: *Quoniam Patres Societatis, ut vindicarent propositiones Molinæ a nota erroris, constituebant in præteritis sessionibus, tanquam principium sibi certum: Hoc obiectum, Deus est summe bonus & justus, & propterea summe amandus, quia magna at-*

Sæc. XVII. que innumera in nos contulit beneficia, de

A. C. 1604. ditque pro nobis Filium suum in mortem

esse objectum indifferens ad actum naturalem & supernaturalem: voluit Sanctissimus Dominus Noster, ut expenderetur, quæ veritatem hoc principium haberet; potestque de hac re singulare quoddam dubium videlicet: an quando intellectus proponit voluntati Deum amandum & colendum, summe bonum & justum, præmiantem virtutem præmio vitæ æternæ, & propriè summe amandum, quia pro nobis vitam & sanguinem profudit, & scelera puniendam æternam damnatione; possit dici, quod proponat eum tanquam objectum naturale tantum, an etiam supernaturale; aut tanquam indifferens ad actum naturalem & supernaturalem? & an hoc modo dicatur illud proponere, tanquam rem ad fidem pertinentem & sic tanquam objectum fidei?

Circa hanc propositionem resolvitur Congregatio, objectum prout proponitur in Dubio, non esse naturale, aut indifferens ad actum naturalem vel supernaturalem; sed omnino supernaturale, & ad supernaturalitatem restrictum; ita ut attingi non possit a voluntate humana, sine gratiæ divini auxilio, maxime cum complectatur Mysterium Incarnationis Filii Dei, & mortis ipsius, quam pro nobis passus est: quod S. Augustinus docuit lib. 7. Conf. cap. 9.

Extol-

Extollebant sæpius Molinæ vindices, Sæc. XVII.
A. C. 1604.
quod Moguntina, Herbipolensis, Dilingana, Ingolstadiensis, Viennensis, Græcensis, Trevirensis & Mussipontana Universitates pro Molina iudicium suum tulerint: ast flocci habebatur earum sententia, eoquod harum Academiarum Magistri nec ab Episcopis, nec a summo Pontifice hac super re consulti undantaxat parte rogante, imo postulante suam protulerint sententiam, aliunde vero omnes hæ Universitates a Jesuitis, eorumque pedissequis regerentur.

§. XC.

Congregationes LV. LVI. LVII.
LVIII. LIX. & LX.

Ad diem trigesimam Junii indicitur Congregatio quinquagesima quinta, ad quam & deinceps novi aggregabantur Cardinales Anna Descars de Givri, Ferdinandus Taberna, & Anselmus Monopolitanus. His igitur, ceterisque pro more præsentibus Clemens Papa postrema hæc quæstionis nuperæ verba *an hoc modo* &c. discuti voluit, ex quibus concludi videbatur, quod si intellectus proponat voluntati Deum ut summe bonum & justum, proponat ipsum tanquam rem pertinentem ad fidem, proin tanquam objectum fidei superna-

*P. Serry
hist. Congr.
l. 3. c. 37.
& seqq.*

Sæc. XVII. *pernaturale. Re utrinque discussa*
A. C. 1604. dem die secunda Julii in Congregatione
 ne quinquagesima sexta sequens pronuntiabatur
 iudicium, quod *objectum propositum in dubio sit res ad fidem pertinens, & absolute supernaturalis, ac propterea objectum fidei: atque adeo non proponi voluntati ab intellectu sub abstractione ratione naturali; multo minus voluntati ad illud amplecti sine lumine supernaturali, & auxilio gratiæ divinæ.*

Quarto & quinto post die habitæ sunt binæ Congregationes, in quibus præsentem Didaco Alvaresio, qui Generalis sui infirmitate detenti vices agebat, decisum est, quod in sententia Molinæ liberum arbitrium gratiæ præponderet, cum tamen juxta S. Augustinum & veritatem Catholicam gratia prima habeat partes. Postmodum Clementis summi Pontificis ægritudo proximam Congregationem ordine quinquagesimam nonam usque ad vigesimam septimam Octobris diem distulit, qua die de scientia media actum, hocque propositum est dubium: *An sit sententia S. Augustini, quod ante absolutum Decretum divinæ voluntatis, detur in Deo cognitio certa & infallibilis contingibilium dependentium a causa libera, qualem Molina per scientiam Mediam Deo tribuit?*

Præp-

Præprimis summus Pontifex Jesui- Sæc. XVII.
 tas admonebat, ut propositæ difficul- A. C. 1604.
 tati satisfacerent, indagandæ veritatis
 amore: Itaque Bastida scientiam Moli- Coronell. in
 nisticam pro aris & focus in hoc con- compend.
 ventu propugnavit, nondum tamen de art.
 hac quæstione differens, an ea admit-
 tenda sit scientia, quæ Deo tribuit cer-
 tam cognitionem contingentium depen-
 dentium a causa libera *ante omne decre-*
tum absolutum Divinæ voluntatis, hinc
 Lemosius sic argumentabatur: certum
 est, quod D. Augustinus contra Pela-
 gianos damnarit certam in Deo præ-
 scientiam, qua Deus cognoscat, quid
 liberum arbitrium ex innata libertate
 facturum sit boni, Deo non donante &
 faciente ut faciat: ast id statuit Molinæ
 scientia media: hanc igitur damnat hic
 sanctus Doctor. Hujus dicta rursus Ba-
 stida impugnare conatus, Lemosio ob-
 jecit, quod has propositiones: *Si Tho-*
mas disputat, loquitur, si currit, movetur
 inter conditionatas liberas numerare
 videatur, id vero negante Lemosio,
 Bastida inconsultæ accusationis suæ
 veniam petens ait: *forte deceptus sum,*
animum imponendi non habui, nec habeo:
 mox tamen eundem urgebat, ut, qua-
 liter Deus *abstrahendo ab omni decreto fu-*
tura libera cognoscat, declararet: ve-
 rum cum Lemosius hanc abstractionem
 mere

Sæc. XVII. mere metaphysicam esse ostendens alle-
A. C. 1604. reret, quod Deus futura contingenti-
 ut sunt mere in suis caussis, ante de-
 cretum cognoscat, non tamen certo &
 infallibiliter, post decretum autem in-
 fallibiliter & certo, Bastida se in se-
 quenti Congregatione hanc doctrinam
 impugnaturum edixit: Ad hæc Lema-
 sius ad Papam conversus ait: *Semper
 hic Pater quærit dilationes, aliasque Con-
 gregationes: Pontifex vero longiores se-
 monum ambages declinaturus Conven-
 tum solvit: Die autem vigesima nona
 ejusdem Mensis sequens ferebatur he-
 dicium: non datur in Deo ante Decretum
 Divinæ voluntatis certa & infallibilis cogi-
 tio futurorum contingibilium pendentium à
 causa libera, qualem Molina Deo tribuit
 per Scientiam mediam; hæcque de Scientia
 Media Doctrina tradita fuit a Molina non
 secundum Doctrinam S. Augustini, sed po-
 tius contra illam, quam contra Pelagianos
 & Semipelagianos docuit; & ex hac de
 Scientia Media Doctrina multa sequuntur
 incommoda & absurda contra Philosophiam
 & veterem Theologiam, atque etiam con-
 tra fidei principia; & propterea maxime
 oportet, ut omnino exterminetur.*

Huic censuræ omnes tam Episcopi
 quam Theologi subscripserant, restra-
 gante solo Bovio Carmelita, qui hac in
 re Molinæ sententiam esse probabilem,
 modum

modum vero, quo eam hic probavit, Sæc. XVII.
 haud probandum fore asserbat. A. C. 1604

§. XCI.

Postremæ quatuor Congregationes.

In nupera Congregatione Bastida pe- P.Livin.hist.
 tierat, ut sibi comprobatum reddere Controv.l. 5.
 liceret, quod Deus futura conditionata cap. 46.
 nunquam *conjecturali*, sed semper certa Hist. Congr.
 & infallibili cognitione cognoscat, hinc l. 3. c. 40.
 ea de re, quam tamen de certo futuris
 nemo unquam negabat; fusius, in præ-
 senti Congregatione differere cæpit,
 nondum explicans, quo medio Deus in
 iis cognoscendis utatur: cum autem
 Lemosius sub exitum proxime antece-
 dentis Congregationis dixisset, quod
 Deus futura contingentia ante decre-
 tum cognoscat; *non tamen certo & infal-*
libiliter, Bastida Lemosium acrius ex-
 agitabat, ex his verbis inferens, quod
 Deus hæc futura *conjecturaliter* cogno-
 scat: hinc Lemosius reposuit, se qui-
 dem dixisse, quod Deus futura condi-
 tionata ante decretum non cognoscat
 esse certo futura, nunquam autem as-
 seruisse, quod ea cognoscat *conjecturali-*
ter: Bastida autem fortius instabat, in-
 terrogans, num saltem hæc futura cer-
 to futura crederet ex vi conditionum
 suarum? ad hoc respondit, Lemosius:
 quis

Sæc. XVII. quis dixit illa futura ex vi illarum con-
 A. C. 1604. ditionum esse certo futura? dixi: Deum
 cognoscere illa esse certo futura condi-
 tionata, *quæ certo futura sunt*, si tales
 conditiones apponentur: non autem
 dixi, esse certo futura ex vi condi-
 tionum: objecit tamen Bastida, respec-
 tum hoc contradictionem involvere, cum
 in objecto futuro conditionato detur
 tum absolutum involveretur. Lemnius
 autem reponente, quod hæc mera
 necessitas hypothetica infallibilitatis, que
 libertati non officit, solutus est congrega-
 tus, pronuntiato sequenti iudicio: *Con-
 gregatio, certam & infallibilem
 esse scientiam, qua Deus cognoscit futura
 contingentia dependentia a causa libere
 tam absoluta quam conditionata, quæ cer-
 to sunt futura, si tales apponantur con-
 ditiones, quales prædicantur, quia tam
 Patres Societatis non attigerunt, ex quo
 capite ejusmodi futura habeant quod certo
 futura sint, id acturi in proxime futura
 Sessione, perstiterunt omnes in sententia
 prout in Sessione sexagesima.*

Die autem sexta Decembris in Con-
 gregatione sexagesima tertia summus
 Pontifex Jesuitis præcepit, ut semina-
 tergiversationibus exacte propositæ que-
 stioni de scientia media satisfacerent.
 mox Bastida summa animi alacritate
 exclamabat: *illuxit optata dies, qua nobis
 compre-*

comprobandum est, quod Deus ante abso-
lutum decretum certam & infallibilem co-
gnitionem futurorum conditionalium habeat.

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

Hanc in rem per tres facile horas per-
orabat, tandem ita concludens? Suffi-
cit demonstrasse, certum esse, cognitionem
hanc certam & infallibilem esse in Deo ante
decretum absolutum divinæ voluntatis sim-
pliciter absolutum, sufficiat impugnasse Do-
minicanorum unicum asylum de decreto ab-
soluto, de objecto conditionato, & ejus
incommoda detexisse. Absoluta hac ora-
tione Lemosius hoc argumentum op-
posuit: nihil apertius impugnat Augu-
stinus contra Pelagianos, quam certam
in Deo præscientiam, qua Deus co-
gnoscat, quid liberum arbitrium ex se
facturum sit, Deo non donante & fa-
ciente ut faciat: nihil autem scientiæ
mediæ nomine intelligit Molina, quam
scientiam, qua Deus certo cognoscat,
quid liberum arbitrium, si in tali rerum
ordine constituatur, libere operaturum
sit ex innata libertate, Deo non dante
& faciente ut operetur: igitur &c. id
vero Lemosius probabat ex Molinæ con-
cordia 9. 14. & 15. disp. 98. & 50.
P. Livinus ex suo suppetias ferens, addit:
juxta Molinam Deus cognoscit, quid li-
berum arbitrium, si in tali rerum or-
dine constituatur, dependenter ab au-
xilio gratiæ bene operaturum sit, adeo
ut

Sæc. XVII. ut gratia in ipsa conditione imporetur
A. C. 1604. His agitatis, solutaque Congregatione
 die septima Decembris in Conventu
 sexagesimo quarto Consultores conveniunt
 esse, *persistendum in sententia, quod
 sit in Deo ante decretum absolutum sue
 luntatis, certa & infallibilis cognitio
 turorum contingentium dependentium a
 libera, qualem Molina Deo tribuit
 scientiam mediam.*

§. XCII.

*Hamptonianum Colloquium inter
 glia Episcopos & Pres-
 byterianos.*

Nichol. Def. Eccl. Angl. pag. 15. Toyras hist. d' Angl. l. 18. Vid. supra Lib. CLXXXV. §. LVII. Jam anno reparatæ Salutis millesimo
 sexcentesimo primo ad sapiencia
 fida inter Puritanos & Episcopales
 blicum indicebatur colloquium, quo
 & hoc anno in Hamptoniana Aula
 decima quarta Januarii celebratum
 Intererat Witogiftus Cantuariensis
 chiepiscopus præter octo alios Episco-
 pos, & totidem Decanos & Doctores
 aliquot, qui Episcopaliū partes tue-
 bantur: ex adverso propterea Purita-
 norum comparuere Joannes Raynoldus
 & Thomas Sparcius ex Academia Ox-
 niensi Theologiæ Doctores, necnon ex
 Universitate Cantabrigiensi: Chatter-
 nus, & Cneustubustius Liberalium

tium Magistri. Simul ac colloquio da- Sæc. XVII.
 tum esset initium, mox Jacobus Rex A. C. 1604.
 Episcopos ad se accersiri iussit, ac post
 concessum deliberandi tempus ex eis
 sciscitabatur, quisnam esset Ecclesiæ
 suæ status? his autem omnia bene com-
 polita esse reponentibus, Rex non sine
 animi commotione eisdem introductas
 novitates, excitatasque turbas expro-
 babat: Ad hæc Episcopi in genua pro-
 voluti impense rogabant, ut nihil im-
 mutari permetteret, ne Catholici æque
 ac Puritani sese justam ipsis insultandi
 ansam habere existimarent, perinde ac si
 illos ad eorum sectam cultumque vi co-
 gere coacti fuissent, in quibus jam ipsi
 met se hallucinatos fuisse faterentur.
 Nihilominus Rex, qui solus ipse singu-
 lis pene tacentibus Theologis per quin-
 que ferme horas disputabat, Episcopis
 manifestum fecit, quod juxta Chritia-
 norum Principum exemplar Regni sui
 auspicia stabiliendis Religionis capiti-
 bus consecrare intentus esset, huncque
 in finem tam Episcopos, quam Puri-
 tanos convocarit, ut restaurata Eccle-
 siæ disciplina tandem scandalosæ inter
 eos dissensiones dirimerentur, & cor-
 ruptelæ in Ecclesiis investæ tollerentur:
 de cetero autem Ecclesiæ regimen, ut-
 pote optimum atque a Deo approbatum,
 uti sperare fas esset, nullatenus immu-
 tare

Hist. Eccles. Tom. LIII.

Ff

tare

Sæc. XVII. tare velit, sed duntaxat eorum que-
 A. C. 1604. las excipere, ac discutere, necnon fu-
 turis contentionibus fomitem præripere
 intendat, ac propterea cuncti libere
 proponerent gravamina: His diebus
 Raynoldus Puritanorum nomine hæc
 exposuit: dogma atque fidei articulus
 Ecclesiæ Anglicanæ in aliquibus
 obscuri, in aliis vero manci atque im-
 perfecti: postea sigillatim hosce arti-
 culos proponens Regi supplicabat, quæ-
 ritus tenus adeo clare, ut omnis ambigendi
 locus præcluderetur, hos exponi, et
 hos autem suppleri juberet: Ergo inter
 utriusque partis Theologos mox accen-
 ditur verborum contentio, ac mutua
 disceptatio, quam Rex sæpissime inter-
 rumpens ad Ministrorum argumenta
 partim rationibus, partim auctoritate
 minarumque vi respondit, singulasque
 Puritanorum cavillationes contra Ec-
 clesiam Anglicanam allatas evertit: Hæc
 vero, cum præter omnem expectationem
 Regem contra ipsos insurrexisse ce-
 nerent, velut pisces obmutuere, sine
 satisfactum esse fingentes: Tum vero
 Rex eisdem magnam exprobat temerari-
 ritatem, qua ei ob ejusmodi nugam me-
 lesti esse haud dubitassent: his diebus
 ab eis postulabat, ut quæ circa Eccle-
 siæ Regimen externumque cultum pro-
 ponenda haberent, in hoc confesso pro-
 ferrent:

ferrent: tremula igitur voce exponunt, Sæc. XVII.

A. C. 1604.

I. quod Ecclesiis Ministri nec docti nec tanto muneri idonei præficerentur, non sine magno populi damno, II. *liber Precum communium* seu liturgia Ecclesiæ Anglicanæ ipsis ab Episcopis vi obtruderetur, cum tamen in hisce precibus non pauca continerentur, quæ salva conscientia approbare haud possent. III. Clerus per Deputatos, qui sibi per summum nefas supremam Regis potestatem in Sacra arrogant, Laicorum censuræ subiceretur. IV. Tollendus esset usus signi Crucis in administratione Baptismi, item annulus in Matrimonio cum certis ritibus, necnon *Alba*, qua Ministri induti Officio funguntur, pluresque aliæ res superstitionem redolentes. Rursus circa hos articulos utrinque acriter disceptatum, ac ipsemet Rex ad cuncta Puritanorum objecta respondit, quin Episcopis loquendi tempus superesset: Hæc agendi ratio, quam Rex tenebat, tam grata Episcopis, eorumque fautoribus accidit, ut supremus Regni Cancellarius hanc Regi suo adu-landi occasionem haud prætermittendam ratus exclamaret, quod *Sacerdotalis dignitas Regiæ Majestati sit annexa hucusque crediderit, nunc autem de hoc articulo convincatur ob doctissimos Regiæ suæ Majestatis sermones*: Witogistus quoque

Sæc. XVII. Cantuariensis Archiepiscopus adulationis studio inferior haberi nolens, quod Spiritus Sanctus ex Regis ore locutus esset, assererat. Cessante deînum infalsa hac adulantium vociferatione Rex soluto confessu Episcopis æque ac Puritanorum Ministris præcepit, ut tertio post die ad eandem reverterentur aulam.

§. XCIII.

Hujus colloquii continuatio atque successus.

*Thoyras
Rapin l. c.
Wilson. Rog.
Coke p. 7.*

Die igitur decima octava Januarii prius soli Episcopi ad Regem accerit, eidem Liturgiæ Anglicanæ expositionem porrigunt, atque ad propositas quæstiones de excommunicatione, sacramento, Deputatorum Curia, & libere precum communium eidem satisfaciunt. postea Jacobus Rex Puritanis ad hæc jussis scriptum ab Episcopis oblatum prælegi mandat: Ad hæc Ministri, si reclamare vellent, se oleum operamque perdituros rati, omnino obmutuerunt. duntaxat eorum paucis sua dubia jam satis esse eliquata asserentibus. Adveniente nempe ad fortunæ flatum volubilis eorum animus, qui sectam profitentur, quam ipsimet duntaxat tandiu veram esse credunt, quamdiu ea privatis eorum commodis deservit. His ita paratis Rex

Rex Episcopus hortabatur, ut erga hosce Sæc. XVII.
 Ministros a recta fide devios mansuetu- A.C. 1604.
 dine uterentur: Puritanis autem mina-
 bundus præcipiebat, ut deinceps sese
 Ecclesiæ magis morigeros exhiberent,
 cui hætenus ob levissimas rationes in-
 fensi fuissent, proin Ecclesiæ unitati ac-
 cederent, ac sedulo caverent, ne obsti-
 nati atque inobedientes invenirentur:
 „timeo enim, ajebat Rex, ne inter vos
 „reperiantur nonnulli, qui fanatici ac
 „cervicosi alios pervertere satagunt;
 „vestra enim repugnantia, quam con-
 „tra librum *Precum communium* osten-
 „distis, ex animi vestri imbecillitate
 „oritur: inter vos tamen prudentiores
 „magisque moderati progressu tempo-
 „ris lenitatis via ad saniora reducentur,
 „illos vero qui immorigeri & obstinati
 „persistent, expellere necesse erit; ma-
 „gis enim expedit, ut tales e régno eji-
 „ciantur, quam quod Ecclesia per ipso-
 „rum dissidia perturbetur: Certus sum,
 „quod Episcopi vos ad obediendum non
 „illico sint compulsuri, sed sensim pa-
 „ternis suis monitis ac amico colloquio
 „ad saniora revocaturi: si autem inter
 „vos animo turbidi atque obstinati e-
 „runt, hos, ut ceteris consentiant, vi
 „compelli jubeo: nullus mihi objiciat,
 „quod signum sanctæ Crucis aut Albam
 „approbando jacturam suæ famæ atque

Sæc. XVII. „existimationis incurrat: hisce negotiis
 A. C. 1604. „detineri nolo, sed præcipio, ut Episcopi
 „scopi certum temporis terminum præ-
 „figant, quo evoluto pertinaces ex Ec-
 „clesia ejiciantur; indignum enim est
 „privatorum famam universali paci Ec-
 „clesiæ præferre.„ Nihilominus Rescriptum
 in Puritanorum gratiam novam Sacra-
 Codicis versionem adornari indulgit, so-
 lisque Clericis jus baptizandi vindicari
 iussit. De cetero autem Hamptonianus
 conventus decreta acceptare cogebatur,
 & primo quidem, ut Antiquitates
 & Sacerdotes inaugurentur, & Vigili-
 liæ festorum colantur, diesque festi ab
 operibus immunes sint, dein ut infusa
 stolis, albis, & cucullis initiati induantur,
 nomini Jesu nudo vertice, genua
 que flexo assurgatur, ac nonnisi a genu
 flexis Synaxis sumatur, signo Crucis
 frons muniatur, & per esuriales dies
 quadragesimæ, & variantium tempo-
 rum quatuor vices a carnibus abstinere-
 tur. Præterea aqua Baptismali tincta
 postquam adoleverint, juratam fidem
 in fontè lustrico per alios emissam ipsi
 met profiteantur & confirmant. Hæc
 & plura alia Catholicæ Religioni con-
 sona Puritanis præscribebantur, quibus
 stabilitis tandem absolvebatur hoc collo-
 quium, cujus unicus erat scopus, ut
 vulgo persuasum fieret, quod Puritani
 Mini-

Ministri essent convicti, ac pro futura Sæc. XVII.
 credendi norma eis necessaria mandata A.C. 1604.
 fuissent data, proin ipsi ex sola animi
 pertinacia hucusque sese ab Ecclesia se-
 gregassent. Attamen Puritani in sua
 sententia & schismate ut antea obsti-
 nati persistere: nec amplior ex hoc
 colloquio redundabat utilitas, quam ut
 tandem Puritani clare agnovissent, quod
 spe sua de Regis patrocínio concepta de-
 lusi fuissent.

§. XCIV.

Puritani in Anglia vexati.

Insuper Regis indignatio in Puritanos Rapin. l. 18.
 magis accendebatur per Richardum
 Brancroftum, qui Witogisto Archiepi-
 scopo Cantuariensi die vigesima nona
 Februarii fati functo successerat; hic
 enim turbidæ indolis vir Jacobum Re-
 gem in eos identidem concitabat, his-
 que Sectariis nunquam damnum in-
 ferre cessabat, nisi dum eis se benignum
 exhibere, e re sua esse censeret. Hujus
 quoque exemplum plus æquo imitaban-
 tur ceteri Episcopi, qui hujus sectæ op-
 pressionem duplex reportabant emolu-
 mentum; hac enim ratione Regis, qui
 Puritanos plusquam vatiniano insecta-
 batur odio, favorem aucupabantur, si-
 mulque Hierarchiam firmabant, quam

Ff 4

Pres-

Sæc. XVII. Presbyteriani evertere nitebantur. Hæc
 A. C. 1604. autem vexatio, qua Bancrofto Clerum
 moderante premebantur, plures fami-
 lias eo adegerat, ut spontaneo exilio
 sese multantes e Regno excederent
 alibi existimata conscientiae libertate
 quæ in patria sua ipsis interdicebatur
 potituri.

§. XCV.

*Edictum de Jesuitis ex Anglia
ejiciendis.*

*Rapin Thoy-
ras l. c.
Juvenc. hist.
Soc. l. 13. p. 5.
Calmet hist.
Univers.
l. 152.* **H**aud mitius Jacobus Rex cum Jesu-
 tis, aliisque Romanæ Ecclesiæ Sa-
 cerdotibus egerat; quippe die vigesima
 secunda Februarii omnes Jesuitas, ce-
 terosque Presbyteros, qui ab exte-
 rno Episcopo sacris initiati essent, promul-
 gato edicto ex Anglia proscripsit; Ce-
 terum Rex præfati edicti verba arti-
 ciosè temperabat, ne Jesuitas ex odio
 fidei Catholicæ, sed unice propter pro-
 fessionem illius dogmatis, quo Ponti-
 fici absolutum Dominium in Principes
 vendicant, expulisse crederetur: hanc
 quoque simulationem toto Regiminis
 sui tempore præferre gestiebat, pro-
 fessus, quod Religionem Catholicam in
 se ipsa nec damnaret, nec eorum dog-
 mata proscriberet, sed duntaxat eam
 tanquam regimini politico adversam ob-
 præ-

præfatum dogma reprobarer, quantum Sæc. XVII.
 vero ad ceteros articulos lubenti ani- A. C. 1604.
 mo, quicquid vellent, credendi liber-
 tatem Catholicis indulgere vellet, dum-
 modo profiterentur, quod Papa nullam
 in Reges auctoritatem haberet: Paulo-
 post alio edicto Rex Puritanis præce-
 perat, ut ad Ecclesiæ Anglicanæ ritus
 legibus stabilitos sese conformarent:
 ubi tamen observandum, quod Rex in
 hoc edicto ad honestandam hanc vexa-
 tionem non eodem usus fuerit modera-
 mine, quo in priori diplomate se tene-
 ritudini conscientiæ & Catholicis, qui
 doctrinæ in Ecclesia Anglicana receptæ
 sese accommodare nequeunt, consuluis-
 se ajebat; in postremo enim edicto ne-
 quaquam respiciebat ad teneras Puri-
 tanorum conscientias, sed hos tanquam
 præfractos depingebat, qui omni indul-
 gentia sese indignos reddidissent.

§. XCVI.

*Jacobi Regis oratio in Regni co-
 mitiis habita.*

Apertius vero idem Rex suum erga Ca- *Sleidan.*
 tholicam fidem animum manifesta- *Contin. l. 10.*
 bat in oratione, quam die decima no-
 na Martii in comitiis ad Regni Ordines
 habuit; postquam enim se hunc con-
 ventum ideo indixisse ajebat, ut bene-

Ff 5 volen-

Sæc. XVII. volentiaæ amorisque sui necnon gratitudinis suæ erga omnes testimonium redderet, fufius enarrata felicitate, quæ ex unione Lancaſtriensis & Eboracenſis Domus enata eſt, tandem ita perſequebatur: *Religionem quod attinet, quæ de ea ſentirem, privatim & publico pronuntio manifeſtum feci: nihilominus ſententiam meam hoc loco repetam, nec unquam Religionem meam fateri erubeſcam; licet in Regnum ingreſſus, unam tantum, quæ quidem exercitium legibus permiſſum eſt Religionem invenerim, præter hanc tamen & alterius cujuſdam itemque tertie inſiſſe deprehendi. Prima illa, orthodoxa eſt Religio, quam & ego profiteor. Secunda eſt, quam Sæctatores ejus Catholicam, Pontificiam appellant. Tertia Puritanorum eſt ſive Novantium, quorum dogmata non ita multum a noſtris diverſa ſunt, Conſilia & inſtituta Reipublicæ pernicioſa quippe qui præſentium rerum pertæſi noſ ſemper ſtudent, & inviti admodum leges præſcribi patiuntur, eamque ob cauſam bene conſtitutis Rebuspublicis minime ferre ſunt. Quod ad Romanam ſive Pontificiam attinet, non eadem eſt ratio circa ſingulari fidei meæ profeſſionem quam ad animæ meæ ſalutem teneo & circa eam, quæ eſt civitatis adminiſtrationis pro Reipublicæ tranquillitate neceſſariæ; nam in fidei confeſſione eadem mea tanquam **CAPITIS**, quæ veſtra*

ut **CORPORIS**, est sententia: nunquam Sæc. XVII,
 tamen in Religionis hoc negotio contumax A. C. 1604.
 & præfractus sui, nec in ea perseverassem,
 nisi illam Dei Verbo congruere animadver-
 tiffem. Romanam Ecclesiam ceterarum Ma-
 trem esse libenter agnosco, sed multis jam
 erroribus contaminatam: quemadmodum
 vero eum quis odisse non potest, quem vi-
 tiosis & corruptis hominibus purgatum
 cupit, ita nostrum in eam odium ulterius
 non procedit, quam quod eam, a quibus
 potest & debeat reformari, atque emendari
 optamus sine ipsius Templi destructione.
 Qua enim fronte invitare nos audeant
 domo nondum purgata? Hac quidem in
 re sicut nullus honor aut commodum exter-
 num tanti apud me est, ut propterea
 Conscientiæ vim facturus sim, ita nun-
 quam commiserim, ut invitos ac reluctan-
 tes subditorum animos vi adhibita nostræ
 sententiæ subscribere cogam: neque enim
 unquam mihi animus fuit diversa sequen-
 tes persequi & exagitare, aut in conscien-
 tias inquirere & dominari, idque spero
 non diffiteri eos ipsos, qui diversam se-
 ctantur Religionem, quorum onus levius
 reddidi, quin etiam hoc ipso tempore le-
 ges de iis latis diligenter excutere, ea-
 rumque causas conventui huic ventilandas
 proponere volui. Exempli gratia: subdi-
 torum nostrorum, qui eam, de qua dixi-
 mus, Religionem profitentur, partim Cle-
 rici,

Sæc. XVII. rici, partim Laici sunt. Hos quidem
 A.C. 1604. præ illis pro excusatis habendos semp
 duxi, utpote quorum Religio nulla cer
 ratione nititur, & instar Sali, fluctuat
 quod vel Ecclesiæ auctoritatem suis op
 nionibus obtendant, vel simpliciter iis, qu
 a Doctoribus suis accipiunt, fidem hanc
 dam putent, qui certe hæreticarum op
 nionum, & pravitatum assimilari no
 queant, quas Magistri ipsorum animis
 stillant. Sed horum quoque duplex gener
 est; alii enim sedati sunt, & pacis que
 diosi. Hos quidem ob errorem ad par
 trahere, inhumanum existimo: sed præter
 hos alii sunt novarum rerum, turbam
 & seditionum cupidi, quorum consilia
 dicta & facta acuratus investigandi
 contumaciamque puniendi mihi tanquam
 Regi incumbit necessitas. De Clericis
 Ecclesiasticis hoc dicam, quamdiu in doctr
 na quædam non mutaverint, ne ferre
 nec velle, nec posse. Hujus doctrine qu
 dam pars est de Romani Pontificis Pot
 matu, qui non duntaxat in omnes Ecc
 sias, verum etiam Reges ac Principes
 perium sibi arrogat, eorumque Regna
 que ditiones pro libitu dispensat, impro
 quidem, sed illa multo improbius, qua con
 tra Reges & Principes subditos suos
 mant, eisque a Romano Pontifice anat
 mate percussis, non modo obedientiam
 negari, sed Regnum quoque eripi, imo

tiam vim & necem impune afferri posse præferunt. Sed hunc sermonem libenter abrumpo, illud unice a Deo exoptans, ut me faciat ejusmodi membrum in Catholica Ecclesia concordiae, in qua extinctis odiorum seminibus alter alteri in medio, quod centrum est, occurrat. Et cum illis quidem, si medicinam non respuant, sed errores emendent, amice me & humaniter acturum polliceor, ut ita, sublatis omnibus novitatibus, utrinque medium secetur: nam sicuti nihil dubito eam, quam profitemur, antiquissimam esse Catholicam Apostolicam Religionem, ita vicissim censuræ & potestati Ecclesiasticæ subicere me non verebor, hacque ratione cavebo, ut nec in fide hæreseos, nec in disciplina schismatis crimen mihi posset objici. Illud vero Pontificios, qui in Regnis sunt, moneo, atque cavere jubeo, ne in mansuetudine nostra (neque enim Persecutor dici, aut haberi velim) nimio plus fiduciæ reponant, eaque fenestram sibi ad reducendam & propagandam, tam sub nostro, quam Successorum nostrorum Imperio, Religionem apertam sibi putent. Ne, inquam, ne tale quid sperent. Nam quemadmodum Personis ipsorum (si pacate, & ut fideles subditos decet se gesserint) eandem tutelam & amorem, quem ceteris, promittimus, ita erroribus ipsorum perpetuum bellum jam ante denuntiamus: neque enim hujus Religionis incrementa

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

Sæc. XVII. mentis ferre possumus, nisi & conscientiam
A C 1604. nostram prodere, & universæ Insulæ
 vitutis jugum jam olim a Prædecessoribus
 nostris excussum rursus imponere velimus
 quocirca omnibus nostris subditis, qui
 ejusmodi erroribus versantur, illud a
 optamus, ut animum veri studiosum
 rant, neque scintillas operantis spiritus
 tinguant, si vero nullos adhuc motus
 tiant, suademus, ut sacra scripta legant
 doctorumque sermones audiant, & eam
 insistant, qua ad veritatem pervenire possunt
 quamdiu enim non idem nobiscum sentiant
 in Religione, ex semisse tantum nostri
 subditi, atque ex semisse tantum subditi
 officia præstant; cum meliorem sui partem
 animam scilicet nobis subtrahant. Hoc
 occasio se offert, ut vos, o Episcopi, officium
 vestri commonefaciam; pæna enim, cui
 admonitio, institutioque sit conjuncta, quæ
 admodum in hodierna concione Duranensis
 recte dixistis, meram sapit tyrannidem, &
 strum ergo est, omniumque vestri officium
 majorem curam, & sollicitudinem in
 mabus, tam Doctrinæ, quam vitæ sancti-
 tate Deo lucrandis ponere, quam lucrandis
 a vobis factum est, ac profecto prudens
 est, cum illi nullum laborem in deprimenda
 veritate, nullumque ne vitæ quidem periculum
 lum subterfugiant, vos in vestro munere
 ministrando remisse ac segniter versari,
 quimini regulam illam a D. Paulo præscriptam

ptam, docendo, monendo, instate oportune Sæc. XVII.
 atque importune: segnes antea & negligentes A. C. 1604.
 fuistis, at jam tandem vigilate, ac Ze-
 lum adhibete, Deo eventum commendantes,
 qui cum diversis horis mature quosdam, se-
 rius alios vocet, omnes tamen ex tequo ad-
 mittit, omnibusque eundem dabit denarium.

Denique Rex sermone ad Judices & Rapin Thoi-
 ras lib. 18.
 Magistratus converso eos ad legum cu-
 stodiam, atque obedientiam hortatus
 est. Ceterum hæc Regis oratio mino-
 ri, quam sperabatur, applausu fuit ex-
 cepta: ea enim, quæ circa Religionem
 proferebat, neutri parti probabantur;
 Catholici enim probe cognoverant, quod
 vita, eorumque bona in tuto posita haud
 forent, nisi Papam Tyrannum atque
 Antichristum appellitent. Puritani ini-
 que ferebant, ab eo palam fuisse pro-
 nuntiatum, quod in Republica bene
 stabilita eorum secta tolerari nequeat,
 ceteri vero Protestantes Regem Catho-
 licis nimium indulgentem, atque in
 suis hac de re dictis sibimetipsi repugnan-
 tem carpebant, eo quod una ex parte
 Religionem Anglicanam se profiteri,
 suamque Religionem sacris literis inniti
 asseruisset, altera vero ex parte dixisset,
 se adeo paratum esse ad seponen-
 dam omnem pertinaciam in Religionis
 negotio, ut Catholicis in medio semitæ
 occurrere & concordia membrum in
 Eccle-

Sæc. XVII. Ecclesia Catholica fieri vellet. Præterea
 A. C. 1604. ipsorum erroribus bellum perpetuum denuntiabat, cum tamen totum, quod erroneum esse dixit, ad opinionem de immodica Pontificis potestate restringere quocirca tam Puritani, quam ceteri Protestantes indignabundi in hæc prurumpere verba audiebantur: *Quid vult sponso Papistis facta, illis in mediocritate occurrendi, postquam dogma Principum auctoritati adversum ejuraverint? quanam ratione medium itineris ipse percipiet? fors in Hierarchia? attamen si Pontificis auctoritas cessaverit, forte nullum amplius erit discrimen Catholicam inter Anglicanam Ecclesiam? Aut fors existimamus, quod Catholici per ejuratam inviolabilem Papæ potestatem jam medium itineris consecerint? Si ita esset, nos, ut viciniam medium faceremus, ceteros omnes articulos, in quibus ab ipsis discrepamus, probare deberemus?*

§. XCVII.

Ejusdem Regis querelæ contra Pontificis Nuntium.

Mem. secret.
part. 4.

Sub idem tempus Nobilis quidam nomine Standenus Jacobi Regis iustitiam carceri dabatur, quæsito obtentu, quod contra ipsum clandestina fabricasset confilia, re tamen ipsa, eo quod frequenter litera-

literarum commercium habuisset cum **Sæc. XVII.**
 Patre Persono Jesuita, quem Rex ca- **A. C. 1604.**
 pitali odio infectabatur. Præterquam
 enim, quod præfatus Standenus ha-
 bita quæstione falsus esset, quod cum
 Aldobrandino, Marcello & Borghesio
 Cardinalibus diuturnum Colloquium
 Florentiis habuisset, factaque Purpuræ
 spe fidem dedisset, se nulli parciturum
 labori, ut Angliæ Regina Jacobi uxor
 sese Catholicæ Ecclesiæ filiam declara-
 ret, hocque sub obtentu Jesuitis adi-
 tum ad aulam panderet, insuper ejus-
 dem Standeni epistola ad Patrem Per-
 sonum Parisiis scripta proferebatur, in
 qua is eidem significabat, quod hoc in
 negotio ingens Pontifici obsequium se
 præstiturum speraret, ac de omnibus,
 quæ Londini agerentur præcipue Al-
 dobrandinum Cardinalem certiore red-
 diturus esset. Ut autem Rex Standeni
 captivitatem honestare posset, hunc
 velut periculosi commercii reum infi-
 mulabat, totam culpam in Pontificis
 Nuntium in Galliis agentem rejiciens,
 cui etiam per suum Oratorem hæc si-
 gnificari iussit: „Etsi ob summi Ponti-
 ficis, quem sincere colo, veneratio-
 nem, Tecum amicitiam fovere para-
 tus fuerim, imo & quamvis tu ipse
 met literis tuis sinceræ amicitiae tuæ
 obsequium obtuleris, non dubitasti ta-
Hist. Eccles. Tom. LIII. G g „men

Sæc. XVII. „men clandestina Standeni promovens
A. C. 1604. „consilia, eumque muneribus ac blan-
 „ditiis urgere, ut hic & Reginam in
 „tuas partes pertrahat. Hæc omnia
 „in scio Pontifice facta arbitror, illius
 „que prudentiæ ac moderationi confido
 „sibi persuasum habere Pontificem
 „quod semper ea erga ipsum benevo-
 „lencia, quæ Principem erga Prin-
 „cipem decet, usus sim, de cetero
 „applicuit mihi, quod apud Staden-
 „literæ Cardinalis Aldobrandini fu-
 „erint repertæ, in quibus hic Staden-
 „urget, ut Reginæ uxori meæ gratias
 „referat, eoquod ipsa in die inaugura-
 „tionis suæ cum hæreticis communi-
 „care recusaverit: illam igitur impe-
 „rogaret, ut nil intentatum ipsa re-
 „queret, quatenus & me ad fidem Ca-
 „tholicam reducere queat. „ Hæc post-
 „rema verba Rex pariter Franciæ Ot-
 „tori insinuabat, qui ut Regi complac-
 „ceret, excusata Regina totam culpam
 „in Hispanos & Nuntium Apostolicum
 „in Franciæ Aula commorantem rejecit
 „uti patet ex Bellomontii literis ad He-
 „ricum IV. die decima quinta Februarii
 „hoc anno datis.

§. XCVIII.

Ostendancæ obsidionis progressus.

Cum

Cum in Anglia secretæ adhuc indi-
 gnationes audirentur, interim sub
 ingressum anni hujus millesimi sexcen-
 telimi quarti majori quam antea furore
 belli flamma in Belgio exarserat, dum
 nec hyemis rigor, nec lues acerrima,
 nec funerum horror, nec crebra tam
 ab igne quam aquis pernicies obfesso-
 rum pertinaciam, & obsidentium vir-
 tutem, Ostendamque expugnandi avi-
 ditatem frangere poterant: Diu machi-
 nis, arte, industria, ac munitionibus
 adversus maris æstuantis tempestatem,
 ventorumque impetum pugnatum, pari
 utrinque damno: Multum sibi de vi-
 ctoria pollicebantur Catholici, expu-
 gnato feliciter propugnaculo, quod Can-
 gregum appellitant, vicissim Fœderati
 Protestantes in novam spem erigeban-
 tur, ingenti exercitu ab Hollandis re-
 cens contracto, equitum trium millium,
 peditumque quatuordecim millium,
 quas copias Mauritius Princeps Fœdera-
 torum Bellidux navibus imposuit, ac
 Flandriam versus deduxit.

Sæc. XVII.
 A. C. 1604.

Sleidanus
contin.lib.10.
Gallut. de
Bello Belg.
l. 26.
Tuan.
l. 130.
Grotius Hist.
l. 13.

§. XCIX.

Slusa a Mauritio obsessa, captaque.

Incertum erat, quo tandem novus hic
 armorum apparatus spectaret, unde
 Spinulæ Marchionis sedulitas in omnes

Sleid. &
Gallut. l. c.

G g 2 casus

Sæc. XVII. casus intenta vigilabat, tandem vero
A. C. 1604. per exploratores compertum, quod

Mauritius die vigesima quinta Aprilis
capta Isendika urbe atque Insula Catsan-
danda Flissingense Fretum cum clas-
sua ingressus esset, auctoque navium nu-
mero ad ostium Slusensis alvei consisti-
ret. Ergo Justinianus Catholicorum
Bellidux hosti exscensionem paranti
se opponere nititur, novo militum sub-
sidio roboratus, atque opportuno loco
dispositis belli tormentis hostium naves
quaterere incipit, tam prospero successu
ut Fœderati terram attingere non possent,
navesque ex alveo reducere, et milites
Catsandam redire cogere. Certior de hoc
successu factus Spinola ad ipsum locum
sibi accurrendum cœsit, utque ab ea parte,
quæ magis hosti erat obnoxia, Slusam defendere
posset, Coxiam insulam petere, novamque
aggeribus munire constituit; Præcipuum
enim faciebat ad expugnationem Ostendæ,
aliquamdiu distinere Fœderatos a descensione;
quippe nullo negotio, ubi exscendissent,
validum subsidium Ostendam intulissent.
Quocirca Albertus Archidux, Spinola ad
Ostendam obsidionem remisso, Aloysium
Velascum cum numeroso milite Slusam
decernit, ut pontem aggeri impositum
ne hostis transire posset, munimento firmaret.

*Contin. hist.
Hisp. Ferreras t. II.*

maret, ac strenue tueretur: re com-
 perta confestim Mauritius, ne hosti per-
 ficiendi operis spatium concederet, in-
 structo agmine ad pontem movet, suo-
 que equitatu impetum a latere in Ca-
 tholicos Equites facit, illosque utpote
 numero longe inferiores sternit, fugat-
 que. Qua cæsi, qua faucii fere quadrin-
 genti, captique trecenti. Accepta hac
 clade Velascus cum suis Damum se re-
 cepit, illamque ripæ partem, ad quam
 alveus vado transiri poterat, erecto ag-
 gere infedit, non improvido consilio;
 quippe Fœderati paulopost duo peditum
 millia illic immisere, qui tamen simul
 ac ripam alvei tenuerant, paratos in
 altera ad obsistendum Catholicos offen-
 derunt: Igitur displosis utrinque sclopetis
 aliquamdiu dimicatum est: neque ten-
 tandum censuit Mauritius vadum tam
 strenue propugnatum, qui tamen de-
 lusa Velasci solertia alia ex parte al-
 veum feliciter transibat, tormentis Slu-
 sam contendens, quam urbem obses-
 surus, primo Georgianam arcem adori-
 tur, eaque metu magis quam necessi-
 tate dedita, jam expeditior erat Mauri-
 tio Slusæ obsidio; unde circumjectis
 propugnaculis ferme omnibus potitus
 post crebras cum hoste velitationes, ur-
 bem, cui ne ad unum quidem diem ali-
 menta suppetebant, die vigesima Au-

Sæc. XVII.
 A. C. 1604.

G g 3

gusti

Sæc. XVII. gusti fame ad deditionem compulsi.
A. C. 1604. pactis conditionibus, ut Præsidarii pe-
 ne quater mille cum armis, signis, im-
 pedimentis, tympanisque strepenti-
 bus emigrarent, ex quibus tamen potissimum
 cum ob omnium rerum penuriam non
 nisi herbis, fevo, corio, foedisque ali-
 malibus victitare coacti fuissent, in vi-
 nere defecerunt.

§. C.

Ostenda a Catholicis expugnata.

Interim Spinola Marchio ad Ostendam
 castra rediit, majoremque expugnanda
 urbis spem concepit, dum munimen-
 tum, cui Erinacei nomen est, in
 ptis cuniculis ab Hispanis occupatum
 cognoverat; inde enim occulti subter-
 rum meatus obsessores pervie-
 rant, Italique ac Belgæ Helmontis propu-
 gnaculum adorsi, cuniculum suffode-
 runt, qui ubi flammam in pyrio pulvere
 concepit, impositumque murum dis-
 jecit, aperto idoneo ad irrumpendum
 hiatu in propugnaculum irruerant, et
 absdubio potituri, nisi obsessi tormen-
 tis suis eos retrocedere coegissent, je-
 ctisque ignibus Belgarum aggeres, ce-
 terosque labores evertissent: paulo post
 tamen Itali, Hispani ac Germani varia
 hostium munimenta continuato profus

vincendi ardore occupant, postremam, **Sæc. XVII.**
 hancque infaustam eruptionem tentan- **A. C. 1604.**
 tibus obsessis, qui, cum in extremas
 redacti essent angustias, de facienda
 deditione deliberarunt. Igitur Hertra-
 nius Marquetus Urbis Gubernator, ne
 maris violentia, ac infracta Catholico-
 rum virtute iniquioribus pactis suorum
 vitam redimere cogeretur, die vigesi-
 ma Septembris proclamari iussit, ut de
 deditione ageretur. Missis igitur utrin-
 que obsidibus Marquetus dierum ali-
 quot inducias postulabat, verum illas
 omnino Catholici pernegarunt, jam nu-
 per in eo sibi fraude impositum expro-
 brantes: tormenta quoque ut avehere
 secum liceret, rogantibus Ostendanis,
 duo tantum fuere concessa. Tandem
 in easdem, quibus Slusa dedita, con-
 ventum est conditiones. Hic demum
 Ostendanzæ obsidionis exitus fuit, in
 qua ad tertium annum protracta in Al-
 berti castris fato Martique concessere
 plusquam septuaginta duo millia, ex
 hostibus autem longe plura, haud alio
 ferme Victorum compendio, quam
 quod plusquam dimidiam Urbis partem
 tormentorum ictibus, & maris flucti-
 bus prostratam, atque in ruinis, saxo-
 rumque fragmentis sepultam occupa-
 rint, ac residuæ partis omnia sic quas-
 fata disjectaque deprehenderint, ut

Gg 4

nec

Sæc. XVII. nec unicum quidem in veteri urbe
A. C. 1604. ætium nullumque prorsus parietem
 constare compagibus mirarentur. Ta-
 to impendio stabat piscatorii tugurii
 verius arenariæ molis possessio, quam
 tot sumptibus aquisierunt Hispani,
 illis integra regna emere potuissent.

§. CI.

*Res in Transylvania ob Religionis
 dissensionem turbata.*

Pet. de Reva cent. 6. de Monarch. Vid. Lib. CLXXXVI §. LXII.
 Postquam Georgius Basta Cæsarei
 exercitus Imperator Transylvaniam ab
 extero hoste liberaverat, dimicandum
 ei erat cum incolis ac præcipue Pro-
 testantibus, qui cognito Principum Aca-
 tholicorum foedere adversus Cæsarem
 inito horum potentia freti, suæ sectæ li-
 bertatem armorum vi extorquere no-
 liebantur, hac seditionis suæ causam
 terposita, quod Episcopi aliique Præ-
 fules in comitiis Posonii habitis arti-
 culum de Protestantibus regno profecti-
 bendis absque eorum præscitu promul-
 gassent: Horum igitur ausus, ut tem-
 pestive reprimere Basta, promulgato
 dicto omnem alterius quam Catholice
 Religionis usum inhibuit, utque Nobi-
 libus Stephanopolitanis, & Claudio-
 politanis, qui sua potentia in publicæ
 tranquillitatis perniciem abutebantur,
 turbas

turbas concitandi nervum præcideret, Sæc. XVII.
 eorum non paucos, magisque præfra- A. C. 1604.
 ctos bonorum amissione mulctabat, ea
 tamen lege, ut si deinceps Cæsari fide-
 les sese exhiberent subditos, quartam
 bonorum partem certa pecuniarum sum-
 ma redimere possent. Hæc tamen fe-
 veritas tunc intempestive contra Pro-
 testantes adhibita censebatur, ipsaque
 dissidia Imperium inter & Religionem
 augebantur per ipsamet illa media, quæ
 ad illa potentius tollenda fuere adin-
 venta; Cassovienses enim Protestantes,
 in quibus sectæ suæ fanaticus sanæ
 rationis, debitique obsequii studio præ-
 valebat, seditionem concitare aggredie-
 bantur: quocirca Joannes Jacobus Bar-
 bianus Belliosæ Comes Protestantibus
 itidem Concionum publicarum usum
 interdiceret, ac Præconibus graviores
 poenas ni iis abstinerent, interminare co-
 gebatur: cum autem hi parere detre-
 ctarent, resque ad publicam seditionem
 spectare videretur, machinis bellicis ad
 Tempa, ubi rebelles convenerant, ad-
 motis, Gregorium Sabam civem locu-
 pletissimum ceterisque magis temera-
 rium pecuniarum multa castigare, tres-
 que e nobilitate seditionis conflatae reos
 in monasterium detrudere, necesse erat.

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

§. CII.

*Stephanus Botskaius a Protestantibus
in Seditiois Juce Caput electus.*

*Thuan. l. 131.
Sleid. Cont.
lib. 10.
Sagredo de
Monarch.
Ottom. Pa-
nonicæ Hist.
Pacis belti-
que p. 1.
cap. 14.*

Sub idem tempus Bethleem Gabor, a Transylvani Principatus spes a Turcis facta erat, trucidati Mosis Ziculi seditio- nem resuscitans Transylvaniam molestare aggreditur: ast a Tambericæ Comite ad Temasum fluvium inopis impetu in castris suis invasus non sine magna clade auffugere cogitur, nequam in opem accurrente Temesvarien- Bassa, qui in itinere ab Hungaris circumventus in Temesvaricæ compes- trucidatus est: haud minori quoque clade plura Turcarum millia a Radul- Valacho cæsa fuere: Nec inde tam ter- ritati Protestantes suam sectam, quam vitæ licentia adinvenerat, & pertinacia fovebat, ferro armisque tueri constituebant, hancque in rem Stephanum Botskaium Lutheranicæ hæresi addictum tanquam factionis suæ Principem nominabant. Hic ob nuper impositam pecuniarum multam acriter in Belliosum commotus, non modo tria Heiducorum rebellium millia sibi adjunxit, sed & Turcarum opem inito foedere imploravit; adeo impotens est furor hominum Deo, Principi suo, atque Ecclesie rebel-

rebellium, qui divinas humanasque le- Sæc. XVII.
 ges conculcare ac non sine humanæ nat- A. C. 1604.
 turæ horrore civium suorum sanguine
 se inebriare non verentur, solo sub ob-
 tentu tuendæ sectæ, quam ipsimet dun-
 taxat ideo veram credunt, quia ipso-
 rum licentiæ, ac ulciscendi aut con-
 tradicendi libidini deservit. Hac ra-
 tione animatus Botskaius Vir inter Hun-
 garos Primarius Cæsareorum bona in-
 vadit, eaque militi suo in prædam con-
 cedit, cunctaque ferro flammaque sæde
 depopulatur vicem redditurus, ob ar-
 cem Szent - Job, aliamque nomine Ke-
 reky, in quam se præsidii gratia rece-
 perat, a Belliosa Comite expugnatam:
 Ut autem horum sævitia in tempore re-
 primeretur, Belliosa adversus Bots-
 kaium copias suas educit, adjuncto sibi
 Tamberiensi Comite unacum suis Hei-
 duccis, qui tamen clam ob sectæ socie-
 tatem Botskaio favebant, ac quampri-
 mum ad manus ventum, ad eum trans-
 fugiebant. Initur igitur atrox æque
 ac utrinque pertinax certamen, tandem
 vero victoria penes Botskaium stetit:
 Hic scripsit ad Serdarem Turca-
 rum Præfectum, sex Christianorum
 millia fuisse cæsa, captaque aliquot ve-
 xilla, quæ in perfidiæ suæ testimonium
 ad eundem submisit. Hujus victoriæ glo-
 ria elatus captis pluribus locis Tran-
 sylvanos

Sæc. XVII. sylvanos & Cassovienses unacum præcipuis Regni Magnatibus in suas partes pertraxit, ac promisso quinque Joachimicorum stipendio menstruo ad sectæ rebellionisque suæ societatem quamprimum pellexit, ut vero tantæ infamie & vidiam effugeret, subdole eosdem admonuit, ut nec arma contra Cæsarem sumi, nec ad Turcarum arbitrium nemis se propensos ostenderent. Inter Cassovienses Cives utrumque Templum, ceteraque bona a Cæsareis lege recuperabant, ut deinceps in Cæsaris obsequio fideles persisterent, nullo minus datam fidem frangere assuetum clam datis literis Botskaio denuntiavit, quod Lippaium Cæsarei vexilli, Religionisque desertorem cum aliquot suorum centenis in urbem recipere decrevisset: re comperta confestim Georgius Basta cum quatuordecim Cæsareorum millibus Cassoviam contendit, rebelles Heiduccos in Cæsaris fidem revocaturus. Prius vero die undecima Novembris ipsemet Botskaius urbem ingreditur, non modo a civibus, sed & Turcarum Legatis perhonorifice exceptus, Botskaius vero die vigesima quarta ejusdem Mensis adversus Bastam moriens profligatus est, cæsis suorum tribus millibus, trucidatisque septingentis Heiduccis rebellibus, qui quoddam castellum

*Paul. Han.
vita Rudolphi.*

lum tuebantur: Demum Basta Caffo-
 viam cingit, obfidionem tamen solvere
 cogitur, postea tamen reliquo hoc anni
 tempore sæpius cum rebellibus confi-
 ctabat, æquata utrinque clade. Post-
 quam vero Botskaius se tanquam re-
 bellem Pragæ proclamari compererat,
 mox eo Oratores suos ablegat, qui pro
 rebellium more sævitias ac perfidiam
 extremæ necessitatis obtentu tegerent,
 caussati, quod in rebus humanis nihil
 Religione & libertate pretiosius esset,
 utraque autem indignis modis fuisset
 labefactata, ac propterea consilium
 auxiliumque Cæsaris implorarent. At-
 tamen Botskaius, etsi eidem Basta &
 Colonitius varia pacis pacta proposuis-
 sent, pertinax in sua defectione persistit.

§. CIII.

*Motus in Stiria ob Lutheranam se-
ctam concitati.*

Nec unica hæc erat rebellio, quam
 sectæ Lutheranæ furor inspirabat;
 postquam enim Ferdinandus Archidux
 Protestantium novitati addictos per suas
 ditiones interminatis gravibus pœnis
 profligaret, mox funesta seditionis consi-
 lia civibus eorum Ministelli implantabant,
 a quibus velut a venenata origine vi-
 rus hoc in Marcomannos & Quados
 effun-

Thuan. l. c.

Sæc. XVII. effundebatur. Accurrebant quanto

A. C. 1604. cius Basta, Hohenloensis Comes, de

Covitzius eorum motus repressuri; Al
hi. licet avitam fidem severius propu
gnari, illatamque vim vi repelli dane
nent, novam tamen sectam suam seditio
armis invehere non erubuerunt. Progre
su quoque temporis horum rebellium po
tentia tantum excreverat, ut Lib
zenses, Zobani, Neotorfiani & Epp
rienses nonnisi pacta sectæ suæ pro
tendæ libertate ad Cæsaris legitimi
Principis obsequium reduci potuerint.
Frustra interim a Sigefrido Collonio
Botskaius ad fidem Cæsari servandam
monitis ac precibus inducebatur, que
nimo summa gratulatione recepit Hun
garos, qui numero mille quingenti
cum ad repellendos rebelles Heidas
cos emitterentur, ipsi Duces suos in
vadebant, ceteros vero in fugam age
bant, totamque circum Regionem fruce
depopulabantur. Per hos autem mo
tus tam horrenda fames ibidem ac præ
cipue in Transylvania desæviit, ut om
nibus consumptis Matres Filios, Filii
Matres exuto omni pietatis sensu devo
rarint: tot vero malorum causa extitit
Lutheri secta, quæ suis affectis non
nisi vexationes in Catholicos, bonorum
direptiones, seditiones contra legitimos
Principes, necnon tumultus cædesque
quæ

quas liberæ conscientiæ obtentu honestare non erubescunt, instillat, ubi valde ridiculum videtur, Catholicis ab omnibus Novatoribus objici, quod avitam fidem in sua quieta ac octodecim ferme sæculis continuata, firmaque possessione persistentem legum severitate ulterius propugnare, armaque a Sectariis illata armis repellere contendant: cum tamen ipsimet ubique sectam suam hodie ex unius hominis cerebro enatam seditiosis etiam armis, ac innoxii sanguinis profusione intrudere audeant.

Sæc. XVII,
A. C. 1604.

§. CIV.

Pestum a Christianis ignominiose relictum.

Jam sæpius Turcæ belli inducias petebant, eoquod Persæ Babylonem & Ægyptum invadentes Euphratem usque progressi, Bagadetum necnon Taurim Persarum olim Regiam occupassent: cum autem compertum esset, quod induciarum beneficio Budensem urbem annona, bellicque apparatu muniendi tempus nancisci quærerent, hinc subdolæ illorum artes atque iniquæ conditiones eludebantur: insuper Sedares Janiffierorum Præfectus Achmetis I. jussu cum ingenti exercitu in Hungariam descendere dicebatur, dato negotio, ut præprimis Pestum caperet, atque

Lundorp. in
Cont. Sleid.
lib. 10.
Thuan. l. c.

Sæc. XVII. atque ea ex parte Budam liberaret
A. C. 1604. Priusquam vero hic Purpuratus Pestum
 obsidere moliretur, Jagenreuterus Pesti Præfectus
 Tartarorum pro motu suo excurrentium conspectu
 territus vestigio urbem deserere constituit, sed
 lam tot insequentis hostilis exercitus viribus
 resistendo imparem caussatus igitur incensis
 aliquot domibus quinta Septembris cum validissimo
 præsidio per summam ignaviam Pestum egreditur,
 relictis in oppido belli tormentis unacum cetero
 armorum apparatu. Vix milliare progressus,
 quingentos obviam habuit Hungaros, quos
 Althemius Strigonii Præfectus unacum annona
 subsidio mittebat, qui urbem esse derelictam
 intelligentes cum Pestum præsidio rediere:
 quo competitorum Wilhelmus Radislavius
 Hatvanam que incensis cuniculis evertit,
 ac perititer cum suis aufugit, Turcæ vero
 Budenses mox Pestum ingressi incendium
 restinguere conati sunt. Jagenreuterus
 autem interim Strigonium petens
 veniens in vincula coniectus est.

§. CV.

Strigonii obsidio a Turcis soluta.

Panon. Hist.
pag. 1.
Thuan. l. c.
Calmet hist.
Univerf.
l. 153.

Paulopost Turcæ ad locum, qui Tordanam
 inter & Papam interjacet, pervenerant,
 duas naves annona onustas quas

quas Strigonienses Hungari derelique- **Sæc. XVII.**
 rant, deprædati: die autem decima **A. C. 1604.**
 octava Septembris cum toto exercitu
 ex adversa Danubii parte castra meta-
 bantur, Strigonium obsessuri: verum
 continua tormentorum displisione Vice-
 gradum usque retrocedere coacti mon-
 tem, cui a Divo Thoma nomen, vallis
 aggeribusque muniebant, quo comperto
 Mathias Archidux cum Satellitio suo
 Regio mox accurrit, Basta vero, qui
 non ita pridem advenerat, validum ag-
 gerem hostili oppositum erigi jubet, ma-
 joremque agminis sui partem prope
 Rascianorum oppidum collocat, ne ho-
 stis ea ex parte irrumperere posset: Die
 vigesima secunda ejusdem Mensis Tur-
 cæ navium pontem tormentis disji-
 ciunt, nostrumque aggerem adoriun-
 tur, non sine magna utrinque cæde:
 nec tamen inde territi propugnaculum,
 quod paulo ante Mansfeldius Comes
 occupaverat, iterata irruptione, in-
 cassum tamen, invadunt. Aderat in
 tempore Sigefridus Collonitius cum
 mille Equitibus, suisque Heiduccis,
 quorum numero animati Catholici die
 vigesima octava ejusdem Mensis Turcas e
 suis fossis obsidionalibus deturbant, qui
 tamen periculi contemptu longius incau-
 tiusque abrepti cum ingenti clade re-
 pelluntur: hujus victoriæ fiducia exci-
 tati

Hist. Eccles. Tom. LIII.

H h

tati

Sæc. XVII. tati Turcæ rursus montem adoriuntur, A. C. 1604. sed quingentis suorum desideratis repulsi die nona Octobris propugnaculum invadunt, pari fato recedere coacti: detecto dein hostili cuniculo, ac detracti inde pulvere pyrio rursus de pace agere cæperunt, cum autem præ ceteris Strogonium sibi cedi peterent, spe sua frustrati supposito igne alium cuniculum accendunt, successu ipsis Turcis admodum exitiali. Demum die decima Octobris redintegrata verberatio, visque acriter in præfatum propugnaculum facta, sed rursus irritò conatu: cum igitur Christianorum fortitudinem frangere desperarent, sequenti die obsequium solverunt, Budam contendentes.

§. CVI.

Etruriæ Ducis conatus in Algerienses Terras.

Thuan. l. 131. Verno tempore forte quidam Navarchus natione Anglus ex Libia Liburni portum appulsus nuntiabat quod in Algeriæ ad Cæsaream Je- liam in opposita Africæ ora portu octo Turcarum naves defixis anchoris contempentes hærerent, secundiorem expectaturæ flatum: re comperta Ferdinandus Magnus Etruriæ Dux hæc trirames comburendi consilium cepit, hæc

que in rem suas triremes milite, sclo-
 pis, ignitis jaculis variisque nitrati
 pulveris machinis instrui, atque in ima
 nave abscondi, earumque superficiem,
 ut hostem falleret, sale contegi iussit:
 Igitur hæc triremes cum Navarchi nave
 aliisque Anglicis triremibus Algeriam
 contendunt, moxque Equites Etrusci,
 qui Hollandicos Mercatores simulabant,
 ex improvise quasdam Turcicas naves
 adoriuntur, ejaculatisque ignibus exu-
 runt, ceteras absdubio combusturi, nisi
 Judæorum perfidia res detecta fuisset:
 unde reliqua classis Liburnum relegere
 compulsæ haud aliud audacis conatus
 sui emolumentum retulit, nisi quod to-
 ta illa æstate Africani prædones pirati-
 cam agere haud potuerint.

Sæc. XVII.
 A. C. 1604.

§. CVII.

*Plures Calvinistæ a S. Francisco Sa-
 lesio ad veram fidem conversi.*

Uberiori animarum proventu S. Fran-
 ciscus Salesius Genevensis Episco-
 pus in Sabaudia & præcipue Tononi,
 ubi Pontificia Sedes Geneva transfere-
 batur, hæreticos sacrorum dogmatum
 veritate imbuere satagebat: Præter-
 quam enim, quod quemdam Calviniani
 Verbi Præconem, necnon Davalium
 Virum Nobilem ac præter alios quam-
 Hh 2 plu-

Maupas vit.
 S. Franc.
 Sales. p. 2.
 cap. 6.
 Sleid. cont.
 lib. 10.

Sæc. XVII. plurimos etiam Tononensem Syndicum
 A. C. 1604. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituerit,

insuper hoc anno duos cives Laufanenses Claudium Buccardum & Petrum Gilletum Calvinianæ sectæ ferme immortuos ad veræ fidei vitam revocabat, qui etiam ex omni vicina Regione accitis, inspectantibusque populi suam hæresin in Tononensi Templo exorabant his verbis: *Nos sincere in mysteriis fidei Catholicæ & Apostolicæ, publice in Numinis, & spectantium conspectu hæreses omnes, Calvinianam præcipue ejuramus, damnamus, devovemusque, qua fascinati olim fuimus, quæque ceterorum caput est, interque eas, quibus scilicet blasphemias, Missam propitiatoriam, sacrificium, Christi Corpus verum, in Synaxi inficiatur, mortalesque sola fide vos fieri affirmat, at nos hac pravitate & tandiu imbuti, delusique, postquam vera lux nobis affulsit, Romanæ Ecclesiæ nunc adoptati filii, ut veluti membra capiti nostro cohæreamus, in posterum Sedi Apostolicæ obnoxii devinctique ore confitemur & corde credimus universa & singula, Christianis ex Synodi Tridentinæ decretis credenda sanxit: postea singula profiteentes fidei capita Dei opem implorabant. His postea Sanctus Episcopus his verbis bene precabatur: *Gratias agamus Domino Deo meo per Jesum Christum**

omnibus vobis, quia fides vestra annuntia- **Sæc. XVII.**
 tur in universo mundo. Sequenti demum **A. C. 1604.**
 anno idem Præsul Ministros Calvinistas
 ad publicam disputationem Anecii pro-
 vocabat, qui tamen moras alias ex aliis
 neccentes certamen declinabant.

§. CVIII.

*Octodecim Cardinales a Clemente VIII.
 creati.*

Hoc anno Clemens VIII. die nona Ju- **Ciacon. in**
 nii in Basilica Sancti Petri octo- **vita Clem.**
 decim creabat Cardinales, quorum pri- **VIII. p.345.**
 mus erat Seraphinus Olivarius Razalius
 natione Gallus, patria Lugdunensis pri-
 mum Auditor Rotæ ac demum ex Pa-
 triarcha Alexandrino Presbyter Car-
 dinalis tit. S. Salvatoris in Lauro. II.
 Dominicus Ginnasius patria Romanus
 Sipontinus Archipræsul, necnon Papæ
 Legatus apud Hispanos, atque ex Epi-
 scopo Ostiensi Cardinalis, qui sæpius
 Ecclesiæ suæ titulum mutabat. III.
 Antonius Zapata Cisneros natione Hi-
 spanus Pampilonensis Episcopus, postea
 Burgensis Archipræsul, ac demum Pres-
 byter Cardinalis tit. S. Crucis in Jeru-
 salem, & postremo S. Balbinæ. IV.
 Philippus Spinellus patria Neapolita-
 nus Archiepiscopus Colossensis ac Pres-
 byter Cardinalis tit. S. Bartholomæi in

Hh 3

Insula.

Sæc. XVII. Insula. V. Carolus de Comitibus Romanus, ex Anconitano Episcopo Cardinalis Presbyter tit. S. Chrylogoni primo, mox S. Clementis, & demum S. Laurentii in Lucina. VI. Bernardus Maczieiowski patria Polonus primus Episcopus Luccoriensis, postmodum Cracoviensis, ac postremo Gnesnensis Archipræful, Cardinalis tit. SS. Joannis & Pauli. VII. Carolus Madrutius Ludovici cognominis Nepos Episcopus Tridentinus Presbyter Cardinalis tit. S. Cæsarii, & postea sub Urbano VIII. S. Laurentii in Lucina. VIII. Jacobus Davy Perronius natione Gallus, Ebricensis Antistes Presbyter Cardinalis tit. S. Agnetis, postea Senonensis Archiepiscopus. IX. Innocentius Bubiolus de Cancellariis patria Romanus Episcopus Camorinensis Presbyter Cardinalis tit. S. Thomæ in Parione. X. Joannes Delphinus nobilis Venetus, Vicentinus Episcopus, ac Cardinalis Presbyter tit. S. Matthæi in Merulana, postmodum S. Marci. XI. Jacobus Sannus patria Belfortensis Diæcesis Camerinensis Presbyter Cardinalis tit. S. Stephani in Cælio monte, postea regnante Paulo V. Episcopus Urbevitanus. XII. Erminius Valens sive de Valentibus Trivii in Umbria natus Presbyter Cardinalis tit. S. Mariæ Transpontem

pontem. XIII. Hieronymus Agucchius Sæc. XVII.
A.C. 1604.
patria Bononiensis Presbyter Cardinalis tit. S. Petri ad vincula. XIV. Hieronymus Pamphilus nobilis Romanus, Presbyter Cardinalis tit. S. Basilii de Annulo. XV. Franciscus Taberna nobilis Mediolanensis Presbyter Cardinalis tit. S. Eusebii. XVI. Frater Anselmus Marzatus natione Italus, patria Surrentinus ex Ordine Capucinatorum, Concionator Apostolicus, Presbyter Cardinalis tit. S. Petri in Monte aureo XVII. Joannes Doria seu ab Auria natione Italus, patria Genuensis Cardinalis Diaconus S. Hadriani, postea Presbyter S. Petri in Monte aureo, & Panormitanus Archipræful. XVIII. Carolus Emanuel Cardinalis Diaconus Sancti Nicolai in Carcere, postea S. Mariæ in via Lata, ac demum Presbyter Cardinalis renuntiatus tit. S. Laurentii in Lucina.

§. CIX.

Cardinales hoc anno defuncti.

Ex Purpuratis, qui hoc anno mortalitatem cum vita æterna commutarunt, non nisi tres numerantur, quorum primus est Lucius Saxus Neapoli Nobilibus parentibus anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo secundo

*Ciacon. in
vita Clem.
pag. 277.*

Hh 4

na-

Sæc. XVII. natus. Is ibidem literis humanioribus
 A. C. 1604. Philosophia & jurisprudentia apprime
 excultus magnam nominis sui famam
 ob eximiam prudentiæ atque eruditi-
 nis laudem sibi comparabat: unde me-
 ritorum suffragio ad varias Neapolitanæ
 Regni Præfecturas feligitur, atque in
 Hieronymo Verallo Cardinali Romanæ
 accersitus Pauli III. Auditor renuntia-
 tur, in arcanis etiam consiliis, ardua-
 que negotiis adhibitus. Præterea a
 Julio III. Pio IV. & V. variis muneribus
 honoratus anno Domini millesimo quin-
 gentesimo septuagesimo primo die ter-
 tia Octobris ad Episcopatum Ripariensis
 sedis evectus est, quam Ecclesiam
 pius æque ac doctus cum indefessis
 animarum Zelo ac proventu, exem-
 potius quam verbo quatuor annorum
 spatio regebat: postea a Gregorio XIII.
 Romam evocatur, Lateranensis Basilicæ
 quam omni Sacra sua suppellectili atque
 que donis locupletabat, Vicarius, Sacra-
 que Pœnitentiariæ Præses creabatur, qui
 in munere per viginti & amplius annos
 sponte etiam dimisso suo Episcopatu, in
 pigra sedulitate desudans sub tribus
 Pontificibus Urbano VII. Gregorio XIV.
 & Innocentio IX. Datarie ut vocatur
 officium obibat: tandem vero in
 laborum præmium anno ætatis suæ se-
 ptuagesimo secundo a Clemente VIII.
 Card-

Cardinalis tit. SS. Quiriaci & Julitæ in Sæc. XVII.
 sepulcri potius quam vitæ honorem no- A. C. 1604
 minabatur, qui hac sua creatione ex
 amplissimo Purpuratorum Ordine mi-
 nus accepit, quam eidem retulit orna-
 menti: tandem cujus vita omnium
 exemplo atque admirationi fuit, etiam
 mors omnibus mœroris, piæque invi-
 diæ argumentum exstitit. Obiit Romæ
 die vigesima octava Martii annos natus
 octoginta tres. Illius cadaver in Ec-
 clesia Lateranensi, cui Lucius præter
 plura pretiosa omnem suam suppellecti-
 lem Sacram testamento reliquerat, in
 tumulo a se parato absque ulla inscri-
 ptionis sepulcralis pompa requiescit.

§. CX.

Arnaldi Ossati Cardinalis obitus.

Alter erat celeberrimus Arnaldus Ossa- *Ciacon. l. c.*
 tus natione Gallus, Cassanaberii *pag. 321.*
 Auxitanæ Diæcesis pago anno Salutis *Thuan.*
 nostræ millesimo quingentesimo trige- *l. 131.*
 simo septimo in lucem editus, obscu- *Nic. Erythr.*
 ris adeo natalibus, ut nullum posset *Pinacoth. I.*
 cognatum neque affinem demonstrare,
 nullamque gentilitiam hæreditatem
 Successionis lege ad se redeuntem cer-
 nere; unde amplissima ejus laus hoc
 unico elogio comprehendi videtur, quod
 sine ulla Majorum commendatione.

Hh 5

abs-

Sæc. XVII. absque aliqua generis claritate, ac fine
 A.C. 1604. favore & divitiis, sed solo virtutis
 fragio in eum amplitudinis locum per
 venerit, ad quem sæpe numero
 nec Regiæ stirpis Majestas nec
 abundantia evehere poterat. Adde-
 scens divinarum humanarumque sci-
 tia, summa eloquentia, & profana
 juris cognitione, quam a Jacobo Cui-
 cio tum Bituricensis Academiæ Pro-
 fore hauferat, imbutus ad publicas
 risprudentiæ Lectiones, forique ex-
 citationes uberrimo fructu accessit: ne-
 que ab ea ingenii felicitate mores
 screpabant, sed mire cum ea congrue-
 bat integritas vitæ & innocentia, quam
 ab ineunte ætate usque ad ultimam
 nequitiam nec fortunæ illecebris nec
 spuendis voluptatibus, aut alia unquam
 turpitudinis labe fœdasset. Postea
 Paulo Foxio Archiepiscopo Tolosano
 dum Regis Franciæ ad Pontificem Ora-
 tor decerneretur, forenses strepitum
 caussarumque agendarum curam dimi-
 ttere admonitus Romam pervenit, ubi
 suo Patrono a Secretis, mira doctrinæ
 prudentiæ, raræque in rebus agendis
 dexteritatis specimina edidit, quibus
 veluti feminibus fœcundissimam hono-
 rum ac dignitatem segetem colligens
 Foxio obeunte ab Henrico III. Gallia-
 rum Rege ejus apud Pontificem Orator
 decer-

*Sleid. Con-
 tin. l. 10.*

decernitur, Rhedonensi Episcopatu de-
coratus: occiso autem Henrico Rege
ac Francia civili bello misere dilacerata
gravissima quæque hujus Regni negotia
ad Offatum deferebantur, illudque om-
nium maxime arduum non tantum de
matrimonio inter Ducem Barensem &
Regis Sororem, sed præcipue de ipso
Rege Henrico IV. qui auctoritate Pon-
tificis, a quo olim desciverat, cum Ec-
clesia conciliari, Catholicamque fidem
restitui efflagitabat. Postmodum Gal-
liæ rebus ex Henrici sententia compo-
sitis a Clemente VIII. Bajocensis Epi-
scopus, ac die tertia Martii anno post
Christum natum millesimo quingentesi-
mo nonagesimo octavo Cardinalis Pres-
byter tit. S. Eusebii renuntiatus est.
Intererat etiam gravissimis de Triden-
tino & librorum delectu Consultationi-
bus, Prioratu Bellismensi & Abbatia
Nentiaca necnon Divi Nicolai Virodu-
nensis commenda a Rege decoratus,
quas dignitates, ipsamque Purpuram
non opibus, luxu aut donis tutatus est,
sed duntaxat innocentia, æquitate, ju-
stitia, animi moderatione ac temperan-
tia, sine ulla cupiditatis aut avaritiæ su-
spicione. Insuper Bajocensem Eccle-
siam, quam nonnisi quadriennio posse-
derat, tanto divini cultus augmento
illustrabat, quale intra quadraginta an-
norum

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

Sæc. XVII. norum spatium ejus Prædecessores
 A. C. 1604. sperare poterant. Proficuum quoque

opem tulerat Congregationis Follinæ
 tinæ Religiosis, ac præcipue Jesuitis
 ad quorum revocationem tam apud Pa-
 pificem, quam Franciæ Regem
 parum contulerat, quamvis, ut Regi
 famæ, causæque studium unice in-
 dere videretur, ac Regi omnem
 cionem de suo affectu in Jesuitas

Juven. Hist. Societ. 1. 12. meret, in suis ad Villaregium Henrici
 Ministrum literis professus esset, quod

part. 5. pag. 122. tribus Societatis non sit deditus, & si

Miræ. Script. Sæc. XVII. sit, eos esse Regis hostes, corruptores
 ventutis, & auctores occidendorum Regum

nihil habeat, quod defendat, nec illos si
 peccarunt, excusatos, & immunes
 esse velit. Tandem Ossatus Romæ

decima quarta Martii anno ætatis
 gesimo octavo vitæ officio functus

in Templo Divi Ludovici, suæ nati-
 nis, sepultus cum præclara tumuli

scriptione, qua tamen longe magis
 morandum est elogium, quod Jaco-

bus Augustus Thuanus sanctioris
 filii ac Regiæ Curiæ Præses, qui

ctam cum Ossato amicitiam fovebat,
 verbis expressit: Sic in hac aula totius

ginta & uno annis se gessit, ut nemini
 sentienti dubium reliquerit, quin si

originalis fomes non obstitisset, qua
 ratione maximos honores in ea citra

bitio

bitionem decurrerat, eodem in stadio per- Sæc. XVII.
gens ad summum Ecclesiasticæ potestatis fa- A. C. 1604.
stigium inoffenso pede curreret. Ceterum
defuncto parentabat oratione funebri
Tarquinius Gallutius Jesuita.

§. CXI.

Hujus Cardinalis opera.

Reliquit Posteris celebratissimus hic,
omniumque rerum experientia ver-
satissimus Cardinalis partim Gallico,
partim Latino & Italo sermone non-
nulla eruditissima opera, quæ ingenii
sui amplitudinem luculenter testantur,
ac præprimis exstat illius expositio in *Sammarth.*
disputationem Jacobi Carpentarii de Me- *in elogiis*
thodo, in qua contra eundem Dialecti- *Dupleix in*
cam Rami propugnare videbatur, post- *hist. Hen. IV.*
quam vero inglorio prorsus calamo Car-
pentarius Ossatum refellere nitebatur,
hic adversus eundem aliquot scripsit
epistolas: Prostant etiam quædam lu-
cubrations de Medicina, præter alias
nondum excusas. Ceteris vero palmam
præripiunt libri aliquot eruditissimarum
epistolarum, quæ in difficillimis variis-
que negotiis ad Principes, aliosque
Viros nobilitate ac eruditione clarissi-
mos exaratae compendium Historiæ sui
ævi dici merentur, earumque Aucto-
rem Virum in Principum studiis versa-
tissimum,

Sæc. XVII. tiffimum, summeque prudentem de
 A. C. 1604. monstrant. Has literas Amelotus
 la Houssaie Historicis annotationibus il-
 lustratas unacum Ossati vita iterato pe-
 lo excudi curavit. Asservantur quocumque
 Parisiis in Regia Bibliotheca variae
 lationes de Ligistarum turbis Italo
 mone ab eo conscriptæ.

§. CXII.

Simon Talliavia Cardinalis mortuus

*Ciacon. in
 vita Greg.
 XIII.*

Tertius erat Simon Talliavia de An-
 gonia Siculus, ex cognomine
 Marchionum genere die vigesima
 in oppido Paternæ ditionis Castro
 ctiano circa annum Domini millesimum
 quingentesimum quinquagesimum na-
 tus. Hic a suis piis optimisque Paren-
 tibus quamprimum adolevit, dignis
 celso genere moribus imbutus, nulla
 mora in ludum literarium emittebatur
 studiis humanioribus operam navans.
 Sed tanti ingenii vis diu domesticis pa-
 vatorum larium angustiis concludi haud
 poterat: unde anno ætatis suæ decimo
 septimo in Hispaniam missus in Com-
 plutensi Gymnasio Philosophiæ ac Theo-
 logiæ studio tam felici progressu ince-
 buit, ut utriusque facultatis lauream
 promeritus reliquo vitæ curriculo in-
 genii, doctrinæ, morumque laudibus
 minime

mineret. Eapropter meritorum fama **Sæc. XVII.**
 Romam usque personante a Gregorio **A.C. 1604.**
 XIII. die duodecima Decembris anno
 supra millesimum quingentesimo octo-
 gesimo tertio Cardinalibus Diaconis an-
 numeratus est, qua dignitate fulgens
 singularem in rebus gerendis pruden-
 tiam, in dandis consiliis soliditatem,
 ac in vitæ instituto sanctimoniam præ-
 ferebat. Præfuit tam sub Urbano VII.
 quam Gregorio XIV. gravissimis Eccle-
 siæ negotiis, iisque consultationibus,
 in quibus causæ Episcoporum & Re-
 gularium, necnon Tridentinæ Synodi
 discuti solent: Interfuit sæpius Pontifi-
 cii comitiis, iis videlicet, in quibus
 Sixtus V. Urbanus VII. Gregorius XIV.
 Innocentius IX. & Clemens VIII. ad Pe-
 tri Cathedram evecti sunt, quibus om-
 nibus tam percarus erat Simon, ut il-
 lum de gravissimis causis consulere non
 dubitarent, utpote quem noverant ve-
 ritatis studiosum, simulationibus infen-
 sum, & iudicio ac consilio sincerum,
 cuius vita ut a fuce aliena, ita senten-
 tia purior, constans ac solida semper
 ipsis videbatur. Tandem Sabinensis
 Episcopus, ac designatus Panormitanæ
 Ecclesiæ Præsul die vigesima Maji Ro-
 mæ annum agens quinquagesimum
 quartum supremum diem obiit.

§. CXIII.

Sæc. XVII.

A. C. 1604.

§. CXIII.

*Carmelitæ Discalceati a Clemente VIII
in Persidem ad prædicandam fi-
dem Catholicam ablegati.*

Histor. Miss. P. Joan. part. I. Annal. Carmelit. tom. I. lib. 3. c. 1. Balduin. ad Sæc. XVII. Chron. Moral. Fidei lumen, quod S. Simon Ap-
tus in Persidem invexerat, refrig-
escente Fidelium fervore vix non Sa-
culo VII. extinctum erat, quo tam-
dissipatis infidelitatis tenebris clarior
dei lux rursus vastissima Persarum Re-
gna illustrare cæperat, Persarum quæ
plurimis unacum Isaëmano Rege Chri-
stianorum Sacris nomen dantibus: Post
quam vero Ottomanica superstitio præ-
valuerat, Catholica Religio Incolis
plura sæcula pene incognita erat, in
quod per Institores Lusitanos rarus
modum Evangelii rumor ad hoc regnum
pervaderet, donec ad initium huius se-
culi Schiah Abbas seu Xaabas Persarum
Rex Evangelium prædicandi liber-
tatem indulserat. Pro messe autem
quæ abundantior sperabatur, deest
Operarii: quocirca Clemens VIII. pro
pagandæ fidei studiosissimus primo
suevit, qui Soæ morabantur, selegit
his vero comæatum & sustentationem
ex ærario publico sibi ministrari possi-
lantibus, Indiarum Prorex, cum eorum
voto satisfacere haud posset, Alexium
Mentem

Menesium ex ordine S. Augustini assum-
 ptum Goæ Archiepiscopum sollicitabat,
 ut sui Ordinis Fratres propriis stipen-
 diis militaturos ad opus Evangelicum
 mitteret. Attamen Pontifex, se incon-
 sulto, Divini Verbi Præcones in Per-
 fidem decretos ægerrime ferens, ex Car-
 melitis Discalceatis, ex quorum fami-
 lia jam ante viginti duos annos trede-
 cim in Regno Congi & Angolæ cum ad-
 mirabili fructu excurrerant, P. Pau-
 lum Simonem, Joannem Thaddæum,
 Vincentium, & Fratrem Joannem una-
 cum Francisco Rioliad de Peralta Sacro
 habitu induendo Persicæ Missionis Cul-
 tores decreverat, ut vero feliciter res
 succederet, ipse Pontifex non modo ad
 Nuntios Apostolicos Venetum, Germa-
 num, & Polonicum, sed etiam ad Im-
 peratorem Rudolphum, Poloniæ Re-
 gem, Moscoviæ Imperatorem, ac de-
 nique ad ipsum Persarum Regem lite-
 ras, ut vocant, commendatitias die
 trigesima Junii hoc anno dedit, ut hi
 Viri Apostolici honorifice ac tuto per-
 infesta etiam Regna deducerentur. His
 igitur literis præmuniti unacum Sacris
 Calicibus, Reliquiis, imaginibus, libris,
 tribusque præsertim Evangelii tomis
 Arabice excusis die sexta Julii Roma
 excessere, ac tandem innumeris peri-
 culis & ærumnis fortiter superatis per
 Hist. Eccles. Tom. LIII. li Mo-

Sæc. XVII.
 A. C. 1604.

Ex Arch.
 Vat. Reg.
 Brev. t. 56.

Sæc. XVII. Moscoviam, Tartariam, & Pontum
A. C. 1604. Euxinum, & denique per Armeniam
 in Persidem delati, Haspahanium Regni
 Metropolin appellunt, a Rege, ac Mi-
 nistris perbenigne accepti, eoquod S.
 Elias Propheta apud Orientales popu-
 los adhucdum magna in veneratio-
 efflet. Ibidem quoque Regis jussu non
 ac percommoda domus eisdem tradi-
 tur in monasterii formam redacta, ut
 in ea Regularia instituerentur exercitia
 demum vero succedentibus plurimis
 liis ejusdem Ordinis Fratribus ferme
 innumeri tam Infideles, quam hæretici
 præsertim Suriani seu Jacobitæ schis-
 matici ad veræ Ecclesiæ sinum revo-
 cati fuere, ac etiamnum ab eis con-
 nuato labore Evangelico revocantur.
 His quoque Clemens edito diploma-
 quod incipit *Dominici Gregis* die decima
 quarta Julii præter alia eaque amplis-
 sima privilegia concessit, ut quoscun-
 que hæreticos etiam relapsos, apostata-
 tas &c. in utroque foro, alios a calibus
 Pontifici, Ordinariis & in *Bulla* con-
 reservatis semel in vita ac urgente ne-
 cessitatis casu absolvere & deficienti-
 bus Parochis omnia Sacramenta admi-
 nistrare, necnon in votis dispensare ve-
 leant, dictorumque fratrum Conventus
 unice eorum Superioribus Generalibus
 subjaceant.

§. CXIV.

Sæc. XVII.
A. C. 1604.*Synodus Diœcesana Cameracensis.*

Hoc item anno Guilielmus de Berges *Concil. Germ. Sæc. XVII.*
Cameracensis Archiepiscopus Men-
se Octobri suam celebrabat Synodum,
in qua agebatur I. de fidei integritate
conservanda, ubi Parentes admonen-
tur, ne filios suos mercaturæ, aut opi-
ficii gratia, aut alia ex causa ad loca
hæresi infecta transmittant, nisi de eo-
rum fidei soliditate constet. II. De
Doctrina & prædicatione Verbi Divini.
III. De officio Divino, ubi deambula-
tiones in Templis etiam extra Divinum
Officium sub pœna excommunicationis
prohibentur. IV. De dierum Festorum
cultu & jejuniis: ubi observandum ve-
nit, quod Synodus feriam tertiam &
quartam Paschæ & Pentecostes, nec-
non festum SS. Innocentium & S. Mat-
thiæ inter festa minora, in quibus fide-
les Missam audire tenentur, numerarit.
Festa autem SS. Philippi & Jacobi, S.
Magdalenæ & Jacobi, Bartholomæi,
Matthæi, Simonis & Judæ, Andreæ &
Thomæ Apostolorum, necnon S. Lau-
rentii, S. Michaelis, Martini, Catha-
rinæ, Nicolai & S. Joannis Evangelistæ
majoribus festis accensuerit. V. De
Sacramentorum administratione. VI.

Sæc. XVII. De Baptismo, ubi statutum, ne quis in f
 A.C. 1604. quam præter Parochos, nisi de eorum ræ
 consensu mulieres a Puerperio purificet dei
 VII. De Sacramento Confirmationis dis
 VIII. De Sacramento Pœnitentiæ, cuius De
 quod salubriter sancitum, ne mulierum De
 confessiones nisi in loco omnibus frequ
 conspicuo, nec in ædibus privatis extra fore
 casum morbi excipiantur. IX. De est.
 Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento Oct
 ubi nimis frequens aut quotidiana et
 consuetudine potius quam ex devoti
 ne facta communio prohibetur. X. De
 Sacramento Ordinis. XI. De Sponsa
 libus & Matrimonio. XII. De Sacra
 mento extremæ Unctionis, ubi statu
 tum legimus, quod Parochi & Notarii
 olim usitatam consuetudinem aliquam
 ex testamento legandi Ecclesiæ Cate
 racensi ut Matri in usum revocari ce
 rent, ad conservandam Ecclesiæ Matri
 debitam reverentiam. XIII. De Funer
 ribus, Sepulturis, & Exequiis. XIV.
 De oblationibus & decimis, circa quos
 excommunicati declarantur, qui fructus
 dem in decimis committunt. XV. De
 recta bonorum Ecclesiasticorum admi
 nistratione. XVI. De Clericis. XVII.
 De Episcopis. XVIII. De Capitulis &
 Canonicis, qui Divina non per substit
 utos, sed per se obire jubentur. XIX.
 De Pastoribus, quibus injungitur,

in suis Concionibus, quæ breves & honoræ unius spatium non excedant, de fidei doctrina, vitiis fugiendis & sectandis virtutibus duntaxat agant. XX. De Regularibus & Monialibus. XXI. De Scholis, quas pueri & puellæ simul frequentare prohibentur. XXII. De foro & immunitate Ecclesiastica. XXIII. De Usuris ac postremo de Synodo actum est. Finiebatur hæc Synodus die sexta Octobris.

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

§. CXV.

*Concilium Namurcense a Francisco
Buisseret celebratum.*

Eodem hoc Mense die decima septima Concil. Germ. tom. 8. pag. 602.
Franciscus Buisseret Namurcensis
Episcopus in sua Cathedrali Ecclesia
Synodum celebrabat, ac oratione ad
Clerum suum habita plura admodum
salubria condebat decreta, & præpri-
mis Librarios ac Bibliopolas juramento
adstringi jubet, ne libros prohibitos in-
vehant, aut clam distrahant: Præcipit
etiam Dominicales, & Parochiales scho-
las restitui, eisque idoneos Præcepto-
res præfici, qui assignato justo pretio
gratis doceant: Pariter pollicetur hic
Episcopus, quod Clericorum Semina-
rium ex fructibus mensæ Episcopalis &
Capituli Cathedralis erecturus sit. In

Sæc. XVII. eadem Synodo statutum, ut Roman
 A. C. 1604. Breviarii usus recipiatur, simulque in-
 hibitum, ne pauperes per Ecclesias
 mendicare permittantur: Enumeran-
 tur etiam dies festi per universam Dic-
 cesin celebrandi, inter quos iidem, ut
 in Synodo Cameracensi, enumerantur
 hosque *juxta Concilii Tridentini Decre-
 tum ab omnibus etiam exemptis & Regu-
 laribus servari mandat* Synodus, quæ
 etiam damnat abusum, quo nova Spo-
 sa postridie suarum nuptiarum e Tem-
 plo egrediens excipi solebat a mimis
 & larvatis hominibus, & cum multis
 insolentiis abducebatur, donec a suo
 conjuge redimeretur. Præterea Regu-
 laribus prohibet, ne in suis Monasteriis
 vina hospitibus vendant, aut sæculari-
 bus tempore Paschatis Eucharistia Sac-
 ramentum administrent, vel mulieres
 post partum publice Benedicant. Tan-
 dem sancitis pluribus aliis decretis die
 vigesima Octobris huic Synodo finis
 imponebatur.

§. CXVI.

*Tumultus a Protestantibus Embala
 suscitati.*

*Mercur.
 Gallo. Belg.
 l. 4. & 7.* Ab eo tempore, quo Ezardus I. Fran-
 siæ Orientalis Princeps novam Se-
 ctam invexerat, tam ipse quam ejus
 Succes-

Successores gravibus seditionum & discordiarum civilium turbis agitabantur: Sæc. XVII. A. C. 1604.

Regnante autem Ennone tertio hujus nominis Comite Embdenses cives Protestantium sectæ addicti eo temeritatis

devenere, ut Fœderatorum Ordinum auxilio elati, in Principis sui ditionem populabundi excurrerent, atque op-

pido nuper ab eis devastato in Domini sui contumeliam Holandicum præsidium imponerent: denique omnibus locis

munitioribus in suam potestatem redactis ad eas angustias Comitem redigebant, ut

is frustra implorato Hispanorum auxilio se apud eosdem Ordines Hagæ purgare

cogeretur. Hi vero præstiti contra eum auxilii rationem allegantes caussabantur, ipsis nuntiatum fuisse, quod Co-

mes contra Embdanam urbem eo ex fine arma parasset, ut non modo præ-

fatam civitatem Hispanis traderet, sed & Amisæ navigationem portumque eis

aperiret, huncque in finem in vicinorum damnum multas munitiones con-

struxisset, ac propterea Fœderati Ordines periclitantibus Emdanis succurrissent. Quamvis igitur hoc dissidium an-

no priori fuerit compositum, Protestantes tamen, ut suam pertinaciam, ac

seditionem specioso obtentu honestarent, Comitem minus sincera fide cum illis in gratiam rediisse spargebant, eo-

Sæc. XVII. quod ipſius Frater in Hispanias miſſus

A. C. 1604. Archiducis caſtra ſecutus eſſet, atque

alius ejuſdem Frater nomine Joannes
Guilielmus Sabbinam Catharinam nati-
majoris Fratris Filiam ſibi matrimonio
junxiſſet, hocque conjugio Ritberge-
ſem Comitatum aliasque ditones in
contradicente Comite ſibi vendicaffe
Auxit autem horum rebellium invidiam
eoquod hic Sponſus, procurante Leo-
nardo Rubeno Abdingoviendi Archie-
mandrita, a ſummo Pontifice cum Sab-
bina contrahendi facultatem obtinui-
ſet, ea lege, ut Joannes Catholicam
Religionem ejuſque Sectatores patro-
nio ſuo adjuvaret. Tandem biennio
poſt hæc controverſia Comitem inter
civitatem Embdanam potius ſubditi-
rum potentia quam jure dirempta et
conſtitutis utrinque arbitris, qui Haga-
Comitis hæc concordie capita præſcri-
pſere: I. belli tormenta Comiti erepta
reſtituantur unacum vini veſtigali ac
ſemiſſe omnium mulctarum, inſuper ve-
natio & piſcatio penes eum integra re-
maneat: II. viciffim Comes ſubditis ſuis
liberam relinquat navigationem, ac de
ea literis traditis idonee caveat: III.
denique bona fide in omnibus boni Ma-
giſtratus ſeu Principis officium præſtet.

§. CXVII.

Sæc. XVII.
A. C. 1604.*lidem Protestantes Paderbornæ contra
Episcopum tumultuantes.*

Grassante quasi per contagionem fu-
rore Protestantes, priusquam En-
noni Principi suo leges præscribere ausi
essent, crescente audacia contra Theo-
doricum Fürstenbergium Paderbornen-
sem Episcopum sectæ suæ fanatismo ab-
repti insurrexere, ac Anseaticarum ur-
bium potentia suffulti non modo civi-
lem sed & Ecclesiasticam jurisdictionem
Episcopo adimere attentarunt, tantas-
que violentias ac nefanda indies per-
petrarunt crimina, ut ipsimet suæ sectæ
socii pudore suffusi ea detestarentur: Pro-
miscue enim Sacerdotes, civesque Catho-
lici Lutheranae vefaniæ ac crudelitatis
victima cadebant, postea ipse Episcopus
urbe expellitur, ac conculcatis omni-
bus Divinis humanisque legibus Lutheri
secta etiam invitis obtruditur. Ergo
Theodoricus iniquam vim vi repellere
coactus Joannis Guilielmi, qui Enno-
nis Frisiae Comitis frater erat, opem
implorat, urbemque consciis iis civi-
bus, qui in debito Episcopi obsequio per-
sisterant, astu intercipere tentat, post-
quam vero admoto crepitaculo jam duæ
portæ essent effractæ, in tertia hæsit

Thuan. l. c.
Fürstenberg
monum.
Paderb.
Stratteni
annal. Pa-
derborn.

Sæc. XVII. conatus, seditiosis contra nitentibus
A. C. 1604. Tandem vero Episcopus civitatem
 quam tamen ejus Prædecessores a toto
 retro sæculis firmo jure possederant
 pactis redimere compellitur: Sanctum
 itaque, ut Præsul admitteretur, de ce-
 tero nemini vis fieret, sed indulta præ-
 teritæ Seditiosis oblivione privilegia
 antiqua servarentur inviolata. Præ-
 guntur hæc leges, quibus tamen, cum
 alias addere æquitas necessitasque pe-
 stularet, Liborius Vichardus Consul
 temeritatis prorupit, ut schedam, cui
 hæc pacta erant inscripta, palam lac-
 rare pararet: id iniquo ferens animo
 Bertholdus Clevius, qui Episcopi par-
 tes tuebatur, Liborium impacta ali-
 e Sede Consulari deturbat, ac tanquam
 pacis perturbatorem, qui populum con-
 tra suum Principem accendere ausus
 esset, vincitum abstrahi jubet: concitato
 tumultu mox Joannes Princeps urbem
 ingressus mænia præsidio firmat, civem
 que in armis esse jubet: producitur
 tiam Vichardus seditiosus ille Consul
 qui quæstioni subjectus, ac deperdu-
 lione in patriam ac Principem suum
 convictus ad supplicium trahitur, in
 quatuor partes discerptus, ceteri vero
 pro criminis modo partim capite, par-
 tim bonis mulctati: urbs quoque anti-
 sis privilegiis ac jurisdictione suprema

ad aliam regiminis normam reducitur, Sæc. XVII.
 necnon Templâ Jesuitis aliisque Catho- A. C. 1604.
 licis restituantur. Accurrerat equidem
 in Protestantium opem Mauritius Haf-
 siæ Princeps, ast sero nimis; quippe Joan-
 nis copiæ jamjam omnes aditus in-
 tercluserant.

§. CXVIII.

*Detecta conjuratio contra Henricum
 IV. Franciæ Regem.*

Nec magis quieti erant Hugonottæ *Thuan. hist.*
 in Galliis, qui Bullionii Ducis au- *lib. 132.*
 thoritate freti, ac Tremollii potentissi- *Daniel hist.*
 mi Ducis, Plessii Mornæi aliorumque *de France*
 Protestantium sollicitationibus animati *tom. 10.*
 ad conflandam seditionem admodum *Ferreras*
 propensi erant: Hispani quoque, cum *Hist. Hisp.*
 Fœderatos Ordines subtractis Franciæ *tom. 11.*
 suppetiis ad ineundam pacem pronio- *Serran. hist.*
 res crederent, & Catholicorum op- *Reg. Fran-*
 pressionem exinde fisci sperarent, non *ciæ sub Hen-*
 modo ingentem armorum apparatus *rico IV.*
 contra Henricum Galliarum Regem *pag. 835.*
 in Italia instruebant, sed insuper ut ea, *Hugo Gro-*
 quæ in secretiori ejus Senatu agitaren- *tius Hist.*
 tur consilia, expiscari possent, summo- *lib. 13.*
 pere intenti erant: hanc in rem per-
 utilis erat opera Nicolai Hostæ patria
 Aurelianensis. Hic a Villaregio, qui
 Regi in rebus publicis a secretis erat,
 perca-

Sæc. XVII. percarus, ad literas arcanis notis defici- vell
 A. C. 1604. bendas adhibebatur, hacque opportu in C
 nitate arcana quævis compererat: Post sta
 ea Antonio Sillio Rupipotio, cum Ora cau
 tor in Hispaniam proficisceretur, adju Ora
 ctus a Lermâ Duce sollicitabatur, a dar
 Zunigæ, qui Parisiis Hispana fungebo ven
 tur Legatione, secretissima quæque ma fcar
 nifestaret, pacta mille ducentorum es colu
 reorum pensione annua. Ineunte hoc infe
 anno Emericus Robertus Barallius, qui tem
 Rupipotio Legatus successerat, de Car
 admodum secreta cum Pontificis Natio tibu
 tio conferre jubebatur, totius tamen val
 negotii seriem eidem manifestare a Rep dur
 prohibitus: vix autem Orator hac del
 re agere cæperat, cum illico Nuntius me
 reponeret, quod ex Hispaniæ Regi tur
 Ministris jam antea hæc & cetera, qui
 caute suppresserat, percepisset: Exo qua
 de Barallius Regis sui arcana fuisse pre fun
 dita haud obscure cognoverat, quin ab
 huc proditorem nosset, in cuius tamen
 cognitionem paulopost venerat per Joas
 nem de Lyra alias Raffium dictum, qui
 obtinendæ veniæ fiducia animatus Ora
 torem accesserat, exponens, quod ex
 literarum commercio, quod inter ipsam
 & Hostam intercessisset, perfidiæ Al
 thorem manifestare paratus esset, dum
 modo Franciæ Rex sibi ex suo exi
 lio ad patriam redeundi gratiam facere
 vellet.

vellet. Ea de re Barallius Androtium in Gallias decernit, quo conspecto Hosta proditionem suam detectam suspicatus, nulla mora datis literis Hispanum Oratorem monuit, ut Rassium carceri daret: priusquam vero ejus literæ adveniant, hic celeri fuga unacum Descarteo ex Hispania excessit, atque incolumis Fontem bellaqueum delatus insequentium insidias elusit. Hosta autem a Zuniga monitus præcipiti fuga Campaniam percurrit, sed ab insequentibus ad Fajum, ubi Matrona ponte navali trajicitur, vix non deprehensus, dum noctu vadum quærit, in paludem delapsus die vigesima quarta Aprilis submersus est, cujus cadaver postea reperi- tum die decima sexta Maji quatuor equis in totidem partes discerptum est, quæ in quatuor locis ad urbis ingressum patibulis affigebantur.

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

§. CXIX.

Alia consilia in ejusdem Regis perniciem agitata.

Vix hac molestia Rex Franciæ defunctus erat, cum nova contra ipsum consilia a suis etiam Amicis ac familiaribus cuderentur; Hic enim tam cæco amore deperibat Henricam Vernolii Marchionissam, ut eidem futuri Matrimonii

*Memoir. secret. part. 4.
Thuan. lib. 132.
Daniel hist. de France lib. 10.
Serran. hist. Franc. ad ann. 1604.*

Sæc. XVII
A. C. 1604.

monii pollicitationem tradita etiam Sy-
grapha faceret: hæc Regis imbecillitas
Henricam ad tantam impulit arrogan-
tiam, ut Mariam Mediceam Reginam
Henrici uxorem contumeliosis verbis
laceffere, suasque proles ex illegitimo
complexu susceptas cum Reginae Filiis
æquiparare haud dubitaret: nec
contenta, coram ipso Rege quadam di-
tam indigna contra Reginam rivalen-
suam effutiebat, ut Rex prævalente
indignationis impetu eidem alapam in-
fligere pararet: unde arrogans fœmit
se deinceps omne amoris commercium
Regi interdicturam comminabatur:
quamprimum Regina nonnihil de fœditate
consuetudinis affectu detractum viderat,
Regem importunis precibus exoravit,
ut Entraguium hujus Meretricis
Patrem ad reddendam promissi Sy-
grapham compelleret, numeratis eidem
viginti aureorum millibus, factaque spe
de acquirenda Marescalli Francisci dig-
nitate. Inde vero Vernolia, cum fœditate
Reginae furori ac ultioni impune expo-
sitam crederet, suæ proliumque salutem
consulere intenta, coram Rege simulabat,
quod securum in Anglia asylum
sibi suisque liberis quærere decrevisset.
Haud displicuit Regi Amasiæ suæ pro-
positum, ipsa vero in Hispaniam,
ubi sui Parentes perniciose contra Re-
gem

gem consilia clam cudebant, secedere, ibidemque Filios suos veluti legitimos Regni hæredes educare statuit, operam ad hoc spondente Tassio Hispani Regis Oratore: Rex horum ignarus ipsum quoque Alvernium Comitem uterinum Marchionissæ Fratrem datis mandati Regii literis ad eundem Oratorem ablegabat, supplicatum, ut cum bona ejus venia Vernolia unacum Gastone spurio suo Filio, quem Rex anno priori legitimum in Senatu declarabat, adversus Reginæ furorem tuta Cameraci subsistere posset. Alvernium demandato sibi negotio functus dolose Regi insinuabat, quod concessis mandati literis ad detegenda Hispanorum molimina uti vellet: Annuit Rex nociva prorsus credendi facilitate, qua Comes abutens clandestina cum Hispanis consilia adversus Regem fovere cæperat, in conjurationis societatem vocatis pluribus primæ Nobilitatis Viris, ac ipsomet Entraguio Marchionissæ Parente, qui violatam promissi matrimonii fidem, necnon illatam filix suæ injuriam Regis nece vindicare statuerat. Interim interceptis literis Rex Alvernii & Entraguii clandestina cum Joanne Tassio & Balthasare Zuniga Hispanis Oratoribus consilia edoctus mox Alvernium ad Aulam revocari jubet: cum vero is venire tergiversaretur,

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

Sæc. XVII. tur, ab Eurio Legionis Vindocinæ Te-
 A.C. 1604. buno, cui Comitatus intercipiendi cur-
 erat demandata, rogatur, ut Iulianus
 Equitum cohorti interesse vellet: Co-
 mes doli sive ignarus, sive quod eius
 sui velocitate vim effugere speraret, in
 conditum locum venit: mox vero, in
 mortalibus sæpe futuri mali præsen-
 mens est, illi cogitatio de insidiis in-
 dit, quas tamen sero nimis præsen-
 illico enim quatuor pedites, quibus
 Nerestanus rei gerendæ signum dedit,
 rat, equi habenas constringunt, equos
 summa vi Comitem dejiciunt, ac vi-
 do satellitio stipatum Parisios deducunt
 arci Antonianæ inclusum, ubi se con-
 jurationis a Bironio & Bullionio Ducibus
 conflatae conscium fassus est: Parisius
 post Rex plenius clandestina detestatur
 rat consilia, quæ Marchionissa ejusque
 Pater cum Tassio Hispano Oratore in
 Anglia, & cum Zuniga in Gallis agerent
 tabant, quocirca Entraguium & Morganum
 ganum in Palatino carcere, Henricus vero
 vero domi suæ cum satellitio custoditus
 jussit. Die prima Februarii anno sequenti
 Regii Senatus sententia Entraguus, Alver-
 guius, Alvernius & Morganus capiti
 damnantur, Vernolia vero Marchionissa
 nissa in Monialium Cænobium detrudenda
 jubetur, donec de crimine plenius consti-
 staret. Hujus tamen sententiæ executionem

tionem Rex differri præcipiens, tan-
dem mortis sententiam in perpetuum
carcerem commutabat, a quo etiam
Alvernium nonnisi undecimo post anno
liberatus est, Entraguius vero paulo-
post Malherbam ditionem suam, &
Henrica Vernolium secedere permitte-
bantur, eoquod culpa amori pristino
donata esset, & Rex in horum crimine
suum agnosceret crimen.

§. CXX.

*Franciæ Regis epistola ad Papam cir-
ca hanc conjurationem.*

Die quinta Julii Henricus Franciæ Rex
per Bethunium suum Romæ Ora-
torem literas suo chirographo munitas
ad Papam dabat, in quibus de Hispa-
nis vehementer questus totam conjura-
tionis culpam in eos rejecit, hæc expo-
nens: „Rursus Hispani Alvernium &
„Entraguium corrumpere moliti sunt per
„Tassium suum in Regia mea Oratorem,
„ejusque Successorem Zunigam: Hi in
„perversi sui consilii subsidium vocabant
„Syngrapham, quam adhuc cælebs
„Entraguius eo duntaxat sine dederam,
„ut is Filiam suam amoribus meis de-
„servire permetteret: eandem vero sche-
„dam Tassius malitiose ex Entraguii ma-
„nibus extorquere, ac Vernoliam una-
Hist. Eccles. Tom. LIII. K k cum

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

Lit. Reg.
ad Beth.
Mem. secret.
l. c.

Sæc. XVII. „cum Filiis suis, quas ex meis ample-
 A. C. 1604. „bus susceperat, in Hispaniam abduce-
 „nitebatur, eo consilio, ut Hispani-
 „rimonii mei valorem, ac posterorum
 „successionem aliquando controver-
 „reddere possent: Hac agendi ratio
 „Sanctitati suæ satis perspectum erit
 „quod haud immerito Hispanorum an-
 „citiam mihi suspectam habeam: le-
 „terim Alvernium & Entraguium carce-
 „mancipari, Vernoliam vero custodi-
 „jusseram. „ Hæ Regis literæ Clemen-
 tem Papam ab Hispaniæ Regis patri-
 cinio minime absterrebant; haud enim
 ignorabat, quod Franciæ Rex hanc
 turbas non tam Hispanis, quam pro-
 priæ suæ incontinentiæ suorumque
 ditorum indignationi attribuire cog-
 retur.

§. CXXI.

Clementis Papæ Constitutiones.

Bullar. t. 3.
Constit. 107.
Et seqq.

Plures etiam hoc anno Clemens Papa
 Constitutiones admodum salutares
 ediderat, ac præprimis quidem illos
 qui ex Congregatione Fuliensi Ordinis
 S. Bernardi ad aliam Religionem trans-
 fuerunt, denuo recipi prohibuit, edito
 desuper diplomate die decima septima
 Martii. Alia Constitutione die vigesima
 quarta Junii Congregationi Clericorum

corum a se jam antea approbatæ alios Sæc. XVII.
 Conventus & Ecclesias recipiendi fa- A. C. 1604.
 cultatem concessit. Cum vero quorum-
 dam temeritate in Missalibus plura fue-
 rint immutata, pluresque errores irrepse-
 rint, alia Constitutione die septimo Julii
 promulgata Missale Romanum a Pio V. e-
 ditum emendatissime imprimi, illiusque
 usum introduci præcepit. Ejusdem
 Mensis die vigesima tertia, necnon
 prima Decembris cum comperisset Ponti-
 fex, quod nonnulli ex Cruciferorum
 Congregatione, necnon ex Fratibus
 Eremitis Sancti Augustini diversas di-
 gnitates ac munia Ecclesiastica com-
 mendatitiis literis, aliisque viis aucu-
 pari contenderint, indictis etiam pœ-
 nis, ejusmodi ambitionem coercuit: pa-
 riter severa sanctione vigesimo Septem-
 bris & vigesimo quinto Octobris die in-
 dicta abusum, quo nonnulli ex Ordine
 Carmelitano & Eremitarum S. Augu-
 stini a Superiorum suorum decretis ad
 Tribunalia Sæcularia appellabant, su-
 stulit, declarans, quod unice ad suum
 Generalem, vel Protectorem Ordinis,
 aut summum Pontificem recurrere va-
 leant. Quinto post die idem Pontifex
 prohibuit, ne qui habitum Fratrum
 S. Augustini Discalceatorum deferre au-
 deant, nisi ejusdem Congregationis Pro-
 fessi existant, quibus etiam ad alium
 præter

Sæc. XVII. præter Carthusianorum Ordinem, tra-
 A. C. 1604. fire inhibitu. Die vigesima quinta
 Octobris Clemens Statuta ab Ordine
 Fratrum B.V. de Mercede ad reforma-
 tionem præfati Ordinis edita appro-
 bavit. Ut vero pravis consuetudinibus, quæ
 in erigendis Sodalitatibus irreperant,
 Pontifex occurreret, die septima De-
 cembris statuit, ut Superiores unum
 tantum, ut vocant, Congregationem
 de consensu Ordinarii singulis in locis
 instituere, ac Sodales aggregare, ad
 duntaxat spirituales gratias eis nomi-
 natim concessas, non vero alias com-
 municare valeant. Postremo die decima
 sexta ejusdem Mensis edito diploma-
 te, cui quadraginta sex Cardines
 erant subscripti, erectionem Ecclesie
 Bonnoniensis in Archiepiscopatum, non
 non unionem quarundam Ecclesiarum
 Archiepiscopatui Ravennateni factam
 confirmabat.

§. CXXII.

*Alicæ Constitutiones jussu Pontificis
 editæ circa S. Ritus.*

S. Congreg. Eodem hoc anno Clementis VIII. au-
Rituum thoritate plures emanarunt S. Con-
Congreg. gregationum decisiones, quibus variè
Ep/cop. & circa Sacros ritus emergentia dubia
Regul. fuerant decisa, & quidem die decima
 Januarii

Januarii declaratum, quod Episcopus Sæc. XVII.
 suos Canonicos in Ecclesia non debeat A. C. 1604.
 venerari detegendo caput, sed benedi-
 cendo manu, quodque dignitates, quæ
 habent Præbendas cum onere cantandi
 Evangelium seu epistolam non tenean-
 tur ministrare inferioribus: decretum
 pariter, quod commemoratio Sanctæ
 Mariæ debeat cum oratione fieri in of-
 ficio occurrenti in Ecclesiis eidem di-
 catis, ac si Officium parvum ejusdem
 recitatum fuerit, cum ibi sit Titularis.
 Die autem duodecima ejusdem Mensis
 Sacra Congregatio Episcoporum & Re-
 gularium declaravit, quod clavis Cu-
 stodiæ Sanctissimi Sacramenti non de-
 beat Monialibus committi, sed illi Sa-
 cerdoti, ad quem spectat cura illud ad-
 ministrandi. Postea die septima Fe-
 bruarii statutum, quod in Ecclesia Col-
 legiata exempta, præsentem uno Cano-
 nico Cathedralis cum Episcopo & Ab-
 bate Collegiatæ ejusdem cum suis Ca-
 nonicis prius incensetur Canonicus quam
 Abbas: Episcopo etiam Suffraganeo
 teneantur Canonici assistere, quando
 nomine proprii Episcopi functiones Epi-
 scopales exercet, uti declarabat S. Con-
 gregatio Rituum die vigesima prima
 ejusdem Mensis: quo etiam die statu-
 tum, quod Canonicus celebrans in Ec-
 clesia Collegiata non teneatur facere

Sæc. XVII. reverentiam Vicario præfenti in fine
A. C. 1604. Missæ ante Benedictionem. Præterea

Sacra Congregatio Episcoporum semper intenta, ut privatorum, uti vocantur Oratoriorum frequentia imminuatur, de quarta Maji statuit, quod in eodem festo latio non concedi possit, nisi unicuique duntaxat ejusmodi Oratorium. Decretum pariter die octava ejusdem Mensis, quod una clavis reliquiarum Sanctorum, qui civitatis Patroni sunt, concedi possit Magistratui Sæculari eisdem Urbis: die autem decima quinta Maji sancitum, quod Episcopus non valeat mutare diem festi, ne concursus ad Cathedralē impediatur: Abbas vero non possit extra suam Ecclesiam Mitra & Baculo, neque ante se efferre, uti die decima septima Julii declaratum legimus: Sequenti autem Mensis die vigesima prima sancitum, quod Clerus Ecclesiæ Cathedralis ultimus, postremo loco incedere debeat in supplicationibus, nec Clerus vel Canonici aliarum Ecclesiarum debeant cum dicto Clero Cathedralis incedere: possit tamen Episcopus ex causa necessitatis olea Sacra conficere cum minorum numero Ministrorum, quam præscribitur in libro Pontificali. Insuper die decima sexta Octobris decrevit Sacra Romanæ Congregatio, quod Dedicatio

Festum

Festum extra actum Consecrationis non valeat amplius mutari ab Episcopo in-
 consulta Sede Apostolica: si vero Ec-
 clesiae Dedicatio vel aliud festum pri-
 mae classis occurrat in Festo Nativitatis
 B. V. Mariae, fiat de ea Officium, Mis-
 sae quoque duae cantentur, infra Octa-
 vam autem fiat de digniori: **Stabilitum**
 insuper quod Archiepiscopus translatus
 ad Episcopalem Ecclesiam non va-
 leat retinere usum pallii, nec etiam Cru-
 cem, bene tamen nomen seu titulum
 Archiepiscopi. Postremo die vigesima
 sexta Octobris decisum fuit, quod titu-
 lus antiquus Ecclesiae mutari non pos-
 sit a Confraternitate.

Saec. XVII.
 A. C. 1604.

§. CXXIII.

*Variae decisiones circa Sacramento-
 rum administrationem.*

Eadem quoque Congregatio Episcopo-
 rum plura condidit decreta praeci-
 pue circa eos, qui Sacramentum Pœ-
 nitentiae administrant: circa quos praë-
 primis die duodecima Januarii sancitum,
 quod Regulares compelli non va-
 leant ad audiendas Confessiones extra
 suas Ecclesias, nec etiam Episcopus
 suos Clericos, ut sibi confiteantur, co-
 gere valeat, uti decisum habetur die
 decima septima Maji, qua etiam die

Congreg.
 Episcop.

Kk 4

decla-

Sæc. XVII. declaratum, quod Ordinarius non potest
 A. C. 1604 fit prohibere Confessariis, ne audiant
Confessiones eorum, qui agitant lites
 in Curia Episcopali, antequam eas con-
 fari faciant. Statutum quoque die pri-
 ma Junii, quod Papæ Nuntius nihil
 possit accipere pro absolutionibus & Dis-
 pensationibus. Die autem tertia Octo-
 bris eadem Congregatio decrevit, quod
 Confessarius non debeat habere juris-
 dictionem & regimen temporale vel spi-
 rituale externum Monasterii: pariter
 die vigesima sexta Octobris declaratum,
 quod accessus ad Moniales sine licentia
 in scriptis, non debeat esse casus rele-
 vatus: quod si tamen experientia com-
 periat, frequentiam nimium excrescere,
 poterit Episcopus statuere casus
 reservatum de accessu Virorum annis
 quatuordecim excedentium sine licentia.
 Eadem die stabilitum, quod Confessarii
 Monialium neque ab Universitate, neque
 ab ipsis Monialibus eligi debeant, sed
 ab Ordinario deputari, licet habitatio
 Confessarii Monialium debeat esse vicina,
 non tamen sit conjuncta seu contigua
 Monasterio, sed ab eo disjuncta non modo
 per parietes, sed etiam per tecta, uti die
 vigesima secunda Novembris Sacra
 Congregatio præcepit, die autem septima
 Decembris Papa statuit, quod Confessarii
 Confessarii Con-
 frater.

fraternitatum approbentur ab Ordina- Sæc. XVII.
rio, & si fuerint Regulares, ab eorum A. C. 1604.
Prælati, & absolvere possint Confrat-
res juxta privilegia Confraternitatum,
non tamen a casibus Bullæ Cœnæ vel
reservatis Papæ vel Ordinario neque ab
excommunicatione ab homine lata, ne-
que possint dispensare in irregularitate.
Alia præterea hoc anno circa discipli-
nam Ecclesiasticam statuta fuere, & qui-
dem die duodecima Januarii Sacra Con-
gregatio Episcoporum declarabat, quod
post annum Literas dimissoriales, ut
vocat, concedere non ad Capitulum,
sed ad Vicarium spectet. Sacri Conci-
lii autem Congregatio die tertia Fe-
bruarii statuit, quod Seminarium erigi
non valeat in ædibus Cathedralibus,
nisi de consensu Canonicorum, & ita
separatum, ut Presbyteri & Clerici nul-
lum commercium habeant cum Semi-
naristis: septima quoque ejusdem Men-
sis die sancitum, quod si contingat Epi-
scopum in supplicatione cum Capitulo
Cathedralis Ecclesiæ accedere ad Ec-
clesiam exemptam, ac Sedi Apostolicæ
immediate subjectam, & in eadem Mis-
sæ solemniter aut Vesperis interesse, tunc
Episcopalis Sedes in cornu dextro chori,
sive Ecclesiæ collocanda sit uno gradu
eminentior cum ornatu congruo, & si-
tu aliquatenus digniori respectu Sedis

Sæc. XVII. Abbatialis dictæ Ecclesiæ. Die decima nona Aprilis Sancta Congregatio censuit, eum, qui in concursu ad Parochiam a duobus Examinatoribus approbatus & ab aliis duobus reprobatus fuerit, si Episcopus votis approbationis accesserit juxta Concil. Trid. Sess. 24. de Ref. approbatum intelligi, ac propterea posse etiam ad Parochialem vacantem regendam Episcopi electioni alteri præferri, si eum altero magis idoneum judicaverit. Postea die octavo Maji statutum est, quod Vicarius capitularis amoveri possit, si absque causa inhibeat Suffraganeo vel ejus Vicario exercitium sui Officii, die quoque vigesima nona Novembris Sacra Congregatio Concilii declaravit, quod Capitulum & Canonici, licet exempti sint a Episcopali jurisdictione, compelli non possunt ab Episcopo ad solvendum eorum ratam pro Seminario.

Prax. Canon. de Nicoll. tom. 2. tit. O.

§. CXXIV.

Actum de Carolo Borromæo & Ignatio Loyola Albo Beatorum adscribendis.

Jussan. in vita S. Carol. Borr. t. 7. Thuan. hist. l. 131. **T**am luculenta eximie virtutis, quibus Sanctus Carolus Borromæus in vita sua eminebat, specimina, totque post gloriosum ejus obitum prodigia, velut cotidie

totidem sanctitatis oracula edebantur, ut ipsum publicus universi Orbis sensus Sancti Titulo decorarit, atque Ecclesie Dei cæleste candelabrum nominare haud dubitaret: Eapropter ipsemet summus Pontifex Clemens VIII. anno Christi millesimo sexcentesimo primo per Cardinalem Baronium datis literis Mediolanensi Præsuli præceperat, ut hic Anniversarias exequias, quas Sanctus hic Vir in majori Hospitali pro anima sua vivens fundaverat, in Solemne Sacrum die quarta Novembris commutaret: currente autem hoc anno, cum ibidem puer quidam prodigiose e naufragio ereptus fuisset, ac alius oculorum usum, quo ex Matris utero destitutus erat, meritis hujus Divi recepisset, comprobata utriusque prodigii veritate, atque rogantibus præcipue Italis ac Insubribus, necnon toto Cardinalium Collegio Clemens VIII. Mediolanensi Oratori hunc in finem ablegato testabatur, quod ipsamet mira hujus Præsulis sanctitas publicos Divorum honores exigere videatur: hanc ob causam die vigesima quarta Aprilis Sanctæ rituum Congregationi præcepit, ut in gesta S. Caroli ac prodigia juratis testimoniis inquiri curaret: ipse vero Pontifex libello supplici, quem Mediolanenses

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

*Abregé de
Phil. Eccles.
tom. 10.*

Sæc. XVII. ses hanc in rem porrexerant, propo
 A. C. 1604. chirographo hæc verba inscripserat:

Domino Cardinali Novocomiensi.

*In Congregatione Rituum hoc negotium
 pertractes velim ea diligentia & assiduitate
 ac circumspetione, quam non modo
 tanti momenti ac naturæ exposcit, sed
 super Vir in Ecclesia Dei adeo excellens
 ac eminens meretur: cum, prout pia
 credimus, nulla sit Regio in terris, quæ
 sanctitate tanti Præfulis repleta non sit. Es
 dem hoc anno de Ignatio Loyola Ro
 mæ in beatorum numerum solemniter
 referendo agebatur; cum autem
 dem tempore Caroli Borromæi causam
 impensius agitaretur, ac nondum
 variis Provinciis ea, quæ ad testandam
 Ignatii sanctitatem pertinerent, collecta
 fuissent, Sacra rituum Congregatio
 causam ad plenus examen differenda
 censuit: graves insuper difficultates
 ex Consultoribus nonnulli opposuerunt
 bant, quos inter haud contemnendus
 erat, Franciscus Pegna Doctor Hippo
 nus tam eruditione, quam humilitate
 clarissimus, qui tum Auditor Rotæ Ignat
 tii apotheosi vehementius repugnabat
 quam ob causam haud levem in se Soci
 etatis invidiam concitabat, quæ magis
 gis adhuc augebatur, dum progressu
 temporis pariter in prima Congregatio
 tione, quæ de Bellarmino Beatorum
 salu*

fastis adscribendo habebatur, acrius Sæc. XVII.
 contra hanc caussam declamabat, quam A. C. 1604.
 vis ceteri omnes Consultores non mi-
 nus ac ipse excepto uno solo obstitissent.

§. CXXV.

*Initia Ordinis militaris Equitum B. V.
 Mariæ de Monte Carmelo in
 Gallis erecti.*

Quantumvis Henricus IV. Galliarum Chevalier.
 Rex ab Hugonottis in Religionis du P. Ho-
 Catholicæ odium graviter infestaretur, noré Carme
 immoto tamen tuendæ & propagandæ dechauffé
 fidei ac Divinæ gloriæ studio semper Annal. Car-
 fervebat: id igitur novo juxta ac lucu- mel 1. 2.
 lento testaturus monumento, Equestrem Par. 26.
 Ordinem sub invocatione Beatissimæ Heliot hist.
 Virginis Mariæ de Monte Carmelo de des Ordres
 Regiis bonis hoc anno instituere decre- Giustin. hist.
 vit. Pium hoc consilium per Philiber- Chronol. de
 tum Marchionem de Nerestan, necnon orig. Ord.
 Carolum de Novavilla Halincurtii To- milit.
 parcham, qui tum Romæ apud Ponti- Bullar.
 ficem Regis Oratorem agebat, Cle- Magn.
 menti Octavo proposuit: Annuit lubenti Paul. V.
 animo summus Pontifex, remque Pa- Constit. 41.
 ter Petrus a Matre Dei Carmelita Di- Seran. hist.
 scalceatus, qui tum Pontifici a concio- Reg. Gall.
 nibus erat, complanatis difficultatibus sub Henrico
 tam feliciter promoverat, ut indies IV. p. 86.
 optatum exitum fortitura crederetur:
 verum

Sæc. XVII. verum anno sequenti summo Ecclesie

A. C. 1604.

Antistite præmatura morte vivis er-
 pto tam salutare negotium non sinema
 ximo promoventium dolore retardatum
 est. Ceterum subrogato postmodum
 Paulo V. idem Pater Petrus huic p-
 riter Pontifici carissimus & Apostolicus
 sub ipso muniis fungens, intermissum
 opus eo ferventius denuo urgebat, et
 impensius sollicitante Regis Orator
 tandem anno Domini millesimo sexces-
 tesimo septimo Pontificium erectionis
 diploma, quod incipit *Romanus Pontifex*,
 die decima sexta Februarii emanatum
 natum obtinebat. Porro novi hujus Or-
 dinis Militaris Equites nonnisi ex Nob-
 libus Gallicæ Nationis Viris selectis
 modo belli tempore Francisci Regis
 tera stipare, sed præcipue Catholicæ
 Ecclesiæ hostes debellare, necnon No-
 socomiorum curam in se suscipere de-
 nentur: insuper singulis diebus Officium
 seu coronam Marianam recitare. Festis
 & Sabbati diebus Missæ interesse,
 feria quarta ab esu Carnium abstinere,
 necnon festis B. V. Sacram Synaxim
 mere adstringuntur: demum etiam
 Crucem fulvi coloris, quæ in medio
 Iconem B. V. præferat, deferre tenentur:
 pariter castitatem conjugalem atque
 que obedientiam solemniter voto præ-
 fitentur, ac B. Virginem Montis Cæ-
 mel

meli tanquam Ordinis Patronam semper ac specialiter die decima sexta Julii venerari jubentur. Postquam vero Gregorius XIII. Anno reparatæ Salutis millesimo quingentesimo septuagesimo secundo Equites Ordines S. Lazari cum Sabaudis S. Mauritii Equitibus conjunxerat, ac Galli Sabaudis subesse renuerent, anno post Christum natum millesimo sexcentesimo decimo quinto a Paulo V. Equites natione Galli illis Beatæ Virginis de Monte Carmelo adjungebantur. Progressu temporis Ludovicus XIV. Franciæ Rex eundem hunc Ordinem adjunctis pluribus aliis minus splendidis atque Equitum numero minus insignibus auxit, ac ipsemet supremi Magistri Officium in se suscepit.

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

§. CXXVI.

Stephani Pighii obitus.

Non pauci ex Catholicis Scriptoribus Ecclesiasticis hunc annum vitæ suæ exitialem ac postremum experti sunt, quos inter primo loco recensemus Stephanum Vinandum Pighium antiquitatum peritia celeberrimum, qui patria Campensis in Transisalana Provincia natus laudatissimis Avunculi sui Alberti Pighii Viri longe doctissimi vestigiis constanter institit: Humanioribus literis

Miræus de Script. Sæc. XVII. Hanckius de Rom. rer. Script.

Sæc. XVII. ris in patria imbutus Romam contes
 A. C. 1604. dit, ibidemque per integros octo annos
 in pervestigandis antiquitatibus tam in
 defessum impendebat studium, ut hu-
 jus scientiæ eminentia paucos sibi æquæ-
 les, superiorem certe neminem nume-
 raret: inde in patriam reversus atque
 ab Antonio Perenotto Granvellano Car-
 dinali in familiam adscitus non modo
 eidem ab epistolis erat, sed suæ etiam
 quam copia & selectu librorum celebra-
 rimam habebat, Bibliothecæ præficien-
 batur: Tum vero vastissimam suam
 genium copioso pascens eruditionis pe-
 culo selectissimam quæque ex vetustis
 lamoque exaratis Codicibus eruebat
 postea ad scribendos libros animum ad-
 jiciens primo Valerii Maximi opera
 gantiori stylo edebat: demum Caroli
 Cliviæ & Juliæ Duci Romam eunti non
 modo viæ Comes, sed & vitæ, inge-
 nique Moderator adjungitur, quo
 men nimis tempestiva morte Romæ
 no Christi millesimo quingentesimo
 ptuagesimo quinto e vivis sublato
 ditissimum librum, cui titulus *Herodoti*
Prodicus, anno Salutis nostræ millesimo
 mo quingentesimo octogesimo quinto
 Antverpianis literis excusum vulgavit
 in quo non modo itineris sui fata de-
 scripsit, sed etiam Caroli defuncti
 Principis virtutes unacum universa
 Italia

Italia veluti in tabula ob oculos posuit. Sæc. XVII.
 Tanti vero officii Filio suo impensi haud A. C. 1604.
 immemor tristissimus Parens Guiliel-
 mus Dux, Pighium scriptis operibus-
 que bene meritum apud Coloniam Tra-
 janam, oppidum hodie *Sanetense* dictum,
 Canonicum & Scholarcham nominabat,
 qua dignitate honoratus Pighius nihil
 ab avito suo sciendi ardore remisit, sed
 strenue expletis officii sui muneribus
 horas subcesivas Sacrationibus Musis di-
 cavit, donec invida mors octoginta
 quatuor annos nato Seni exercitatissi-
 mum excusserat calamum. Scripsit li-
 brum *de Themide Dea, seu lege Divina*
 necnon mythologiam in quatuor anni
 partes Plantinianis literis Anno Domi-
 nicæ Incarnationis millesimo quingen-
 tesimo sexagesimo octavo vulgatam,
 præter duo volumina *Fastorum Magi-*
stratum Romanorum ab urbe condita us-
que ad tempora Vespasiani & triumphorum
a Romuli usque ad Plautii Sylvani trium-
phum; hoc argumentum Pighius, quem
 Justus Lipsius merito alterum indefessi
 calami & styli Livium nominabat, lon-
 ge copiosius quam olim Cassiodorus,
 Cuspinianus, Sigonius, & Onuphrius
 pertractavit, eapropter Andreas Schot-
 tus illud opus ob suam præstantiam se-
 cundo Annalium suorum tomo præfi-
 xit, ac Antverpianis typis anno supra
Hist. Eccles. Tom. LIII. Ll mil-

Sæc. XVII. millesimum sexcentesimo decimo quinto
 A. C. 1604. edi curavit.

§. CXXVII.

*Gabriel Vasquez aliique e Societate
mortui.*

Bibl. Script. **O**biit pariter die vigesima tertia Septembris Gabriel Vasquez natione Hispanus, patria Bellomontanus, quatuordecim annos natus die nona Aprilis anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo nono Societatem Compluti ingressus variis in Collegiis Divi Thomam Aquinatem suo modo interpretatus est, sacra hac functione integros viginti novem annos infusus cum autem Vir esset præstantis ingenii, assiduæ Lectionis, atque in persequendis, eruendisque Sanctorum Patrum sententiis diligentia indefessè hinc ad Complutensem Academiam evocatus ibidem Theologiam publice tradidit, donec tandem quinquagesimo quinto ætatis suæ anno ibidem decem ferat. Edidit libros tres de *Cultura rationis* necnon Commentarios in Thomæ summam: cetera ejus operum nomina decem tomis comprehensa Lugduni anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo typis prodire.

Haud minor eruditione erat Ema-
 nuel Acoſta natione Luſitanus Ulyſſi-
 ponenſis, qui anno reſtauratæ ſalutis
 milleſimo quingentefimo quadrageſimo
 primo natus decimo octavo ætatis ſuæ
 anno idem Societatis Inſtitutum ample-
 xus eſt, ac variis Domi officiis defun-
 ctus ſeptuagenario major die vigefima
 quinta Februarii Ulyſſipone mortalita-
 tem exiit. Scripſit hiftoriam Societatis
 in Oriente uſque ad annum mil-
 leſimum quingentefimum ſexageſimum
 octavum, qui liber a Maſſeio latine red-
 ditus Pariſiis exſtat unacum epiftolis
 de rebus Japonicis.

Sæc. XVII.
 A. C. 1604.

Ejuſdem Inſtituti, Nationis ac pa-
 triæ erat P. Ludovicus Crucius, qui
 anno a Partu Virginis milleſimo quin-
 gentefimo quadrageſimo ſecundo natus
 Latinis, Græcis atque hebraicis lite-
 ris operam navabat, ac Rhetoricæ tra-
 dendæ, necnon interpretandis Sacris
 literis ſeſe impendens, tandem poda-
 græ doloribus confectus Conimbricæ
 die decima octava Julii naturæ debitum
 ſolvit. Hic latino carmine eleganter
 expreſſit Davidis Pſalmos iterato prælo
 excuſos, edidit etiam tragædias ac
 varia poemata. Poſtremus eſt Pater
 Petrus Chirinus, qui in Philippinas In-
 ſulas a Superioribus ſuis miſſus, hi-
 ſtoriam de horum Inſulanorum ſtatu ac

Sæc. XVII. conversione ad fidem scripsit, & Mæ
 A. C. 1604. niæ annos natus septuaginta octo
 decessit.

§. CXXVIII.

P. Martini de Peraza decessus.

Bibl. Carmel.
part. 2.
Alegre Pa-
rad. stat.
V. c. 89.

His merito jure accensendus est Ma-
 tinus de Peraza natione Hispana
 Ocaniæ oppido in Castella nova sito na-
 tus, qui a suis Parentibus tam pietate
 quam Nobilitate claris in omni virtutum
 exercitio educatus pro solidioris
 pietatis augmento Monachis Cisterciensibus
 tradebatur, humanioribus literis
 ac Philosophicis disciplinis imbuendus
 postea salutis suæ providus Madriti ad
 Carmelitas antiquioris observantiæ
 habitum sumpsit, ac remisso studiorum
 curriculo tam luculenta acutissimi in-
 genii, ac vastissimæ eruditionis spec-
 mina edidit, ut Theologiæ Magister
 creatus, Sacras literas ex primariâ
 Cathedra in Salmanticensi Universitate
 Professor interpretaretur: dein Cæsar-
 Augustam vocatus, cum hebraicæ lin-
 guæ versatissimus esset, denuo Sacro-
 rum librorum Interpretem agere jube-
 batur, qua exercitatione in animarum
 lucrum conversa per viginti fere annos
 primis in Templis necnon in Regali
 Xenodochio non sine ingenti fidelium
 con-

concurſu ac proventu Conciones ad Sæc. XVII.
 populum habuit: tandem meritis ple- A. C. 1604.
 nus ac literariis vigiliis exhaustus Sal-
 manticæ in ſuo Conventu quinquage-
 nario minor defunctus eſt, ibidem per-
 honorifice ſepultus. Poſteris reliquit
 Commentarios in Canticum Canticorum,
 necnon duo volumina Sermonum
 quadrageſimalium, præter aliud volu-
 men Concionum de Adventu & Sanctis
 iterato prælo excuſum: Inſuper Davi-
 dicos Pſalmos & D. Pauli Apoſtoli Epi-
 ſtolas Sermonibus explicatas Hiſpano
 idiomate elucubrabat, duobus volumi-
 nibus comprehenſas. Exſtant quoque
 illius *ſermones Mariales*, præter Ora-
 tionem funebrem, quam in Philippi Hi-
 ſpaniarum Regis exequiis anno poſt
 Chriſtum natum milleſimo quingentefi-
 mo nonageſimo nono pronuntiat: Dein
 etiam parata habebat præclara admo-
 dum in Job Commentaria, quæ tamen,
 ut teſtatur P. Alegre, *ipſo adhuc Au-
 thore vivente typis edita fuiſſent, niſi P.
 Pineda Jeſuita præveniens ſua in lucem
 emiſſet.*

§. CXXIX.

*P. Dominici Bannez Dominicani alio-
 rumque hujus Ordinis Scripto-
 rum obitus.*

L1 3

Inſu-

Sæc. XVII. Insuper Literaria Respublica hoc anno
A.C. 1604. lugebat F. Dominicum Bannez

*Script. Ord.
Prædic.
tom. 2.*

ter præstantissimos illius ævi Theolo-
gos haud immerito numerandum, qui
natione Hispanus, patria Mondrago-
nensis humanioribus literis apprime
cultus decimo quinto ætatis suæ anno
Salmanticam venit, ibidem integrum
Philosophiæ stadium dimensus. Postea
FF. Prædicatorum Ordini adscriptus
arenam Philosophicam remetiri jubebatur,
mox vero Theologiæ operam
dabat dignissimus longe celebratissimus
Melchioris Cani Discipulus. Exin ad
altiora progressus ac studentium Magister
renuntiatus solidis quinque annis
Summam D. Thomæ interpretabatur, et
in variis Academiis per duodecim annos
publicus Theologiæ Professor tandem
Salmanticam reversus anno Christi
millesimo quingentesimo septuagesimo
nono Cathedram, ut vocant, Durantibus
publico suffragio sibi delatam regere
exorsus est: cum autem octavo post anno
Ludovicus Molina Hispanus Jesuita
suam concordiam edidisset, mox Bannez
ad S. Officii Hispanum Tribunal
plures ejusdem libri propositiones
Pelagianas denunciabat: improvidum
ut videtur, consilio; quippe nova hæc
doctrina, si contemptu ac neglectu fuisset
confutata, nec tam noxia fidelibus

bus, nec Ecclesiæ ac Pontificibus molesta evasisset: dein tamen hominum genio in vetitum proniore, atque accedente existimatam offensam vindicandi studio evenit, ut postquam propudiosis utrinque criminationibus per plures annos dimicatum, nunc quidem caussa suppressa, non tamen discordiæ finis esset. Hujus vero contentionis occasione Bannesius unacum Petro de Herrera & Didaco Alvarez doctissimam conscripsit Apologiam contra novas Molinæ assertiones earumque defensores Jesuitas, cui etiam addidit specialem tractatum *de intrinseca Divinæ gratiæ efficacia unacum libello supplici*. Interim ad primam Theologiæ Cathedram in Universitate Salmanticensi evectus eandem usque ad postremum vitæ suæ diem, qui erat vigesimus primus Octobris moderabatur, annum ætatis agens septuagesimum septimum. Illud sane in hoc Viro mirum, quod etsi per quinquaginta circiter annos scholas rexisset, totamque vitam in scholasticis exercitationibus transegisset, maxime tamen reconditas vitæ spiritualis vias sibi tantopere perspectas habuerit omnes, ut Sanctissima Virgo Theresia illum non modo sibi Confessarium seligeret, sed cordis sui intima atque arcana eidem tanta securitatis fiducia panderet, ut se

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

Sæc. XVII. nihil fuscipere posse affirmaret, nisi
 A. C. 1604 **Bannesio** antea approbatum. Scripsit
 doctissimus hic Vir præter jam recensita, quinque tomos seu *Commentarios in primam, secundam secundæ, & tertiam partem Angelici Doctoris* iterato præter in variis locis excusos: Edidit præter
 I. *Tractatum*, cui titulus: *Relectio a merito & augmento charitatis.* II. *Commentarium in Dialecticam Aristotelis.* III. *In ejusdem libros de generatione & corruptione.* IV. *Institutiones, minoris Dialecticæ, seu summulas.*

*Poffevin.
 Appprat.
 Sac.*

Ex eodem Sacro Ordine plures minus celebres obiire Scriptores, quibus primo loco recenseri meretur
 Bartholomæus Medina Hispanus summam casuum conscientia & de Sacramentis edidit. II. Decessit exeunte Mese Februario Casparus de Corduba itidem Hispanus ex Bætica, qui Philippo III. Regi Catholico a Confessionibus erat, vita functus die quarta Junii, relictis variis ingenii sui monumentis, inter quæ præcipue celebrantur ejus *quæstiones de penitentia, visione scientia & Nominibus Dei.* III. Hieronymus Almonazius per quadraginta annos publicus Theologiæ Professor, qui inter literarum studia, Sacrasque exercitationes senescens Compluti octogenario major mortalitatem exiit: Typis

vulgavit Commentaria in Canticum Sæc. XVII.
 Canticorum, necnon in quintum D. A. C. 1604.
 Matthæi Caput, epistolam Pauli ad
 Ephesios, sermonem Dominicum, &
 in Psalmos aliquot.

§. CXXX.

Cornelii Schultingii fata.

Eodem anno obiit die vigesima tertia *Miræus*
 Aprilis accerrimus Calvinianæ hæ- *Script.*
 resis Debellator Cornelius Schultingius, *Sæc. XVII.*
 Steinwichi apud Trans-Isalanos natus, *Andre. Bibl.*
 qui cuncta temporis momenta aut pie- *Belg.*
 tatis, aut literarum exercitiis impen-
 dens primam doctoratus lauream pro-
 meruit, postea Canonicus Colonix in
 Ecclesia SS. Apostolorum creatus, cum
 totus in confutandis hæreticorum erro-
 ribus ferveret, æqualis Zeli socium
 nanciscebatur Joannem Noppelium ad
 Sancti Suiberti in Insula Cæsaris De-
 canum, quocum in colligenda SS. Am-
 brosii & Augustini confessione indefesso
 studio laborabat, & quidem non sine
 maximo animarum fructu; hæretico-
 rum enim non pauci per hæc scripta
 ad veram fidem revocati fuere: Præterea
 edidit libros IV. *Ecclesiasticæ disciplinae,*
 necnon aliud opus *de variis Lectionibus*
 & *animadversionibus adversus librum pri-*
imum Institutionum Calvinii: Scripsit etiam

L. 5

refu-

Sæc. XVII. *refutationem totius Calvinianæ Theologiæ.*
 A. C. 1604

Oppugnabat quoque Magdeburgenses Centuriatores & Calvinistas, contra quos elucubravit, *thesaurum Antiquitatum Ecclesiasticarum* ex septem prioribus Annalium Baronii tomis decerptum. Exstat quoque illius Confessio Hieronymiana seu ex D. Hieronymi operibus hausta atque ad locos Theologicos coaptata: Elucubravit etiam *Hieranicam Anacrisin* adversus varios Calvinistarum libros, & contra celebratas ab iisdem Synodos: Ceteris vero ingenii sui monumentis palmam præripit eius *Bibliotheca Catholica & Orthodoxa* continens summam totius Theologiæ Calvinianæ Institutionibus Joannis Calvini & hinc communibus Petri Martyris comprehensam.

§. CXXXI.

Huberti Giphanii mors.

Timan.

l. 132.

Lambin. in præfat. edit.

3. *Lucret.*

Swertius in Athen. Belg.

Inter Scriptores Catholicos locum sibi vendicat haud postremum Hubertus Giphanius, qui quamvis pro diversitate Regionis diversam profiteretur Religionem, potissimam tamen ætatem usque ad extremos vitæ suæ dies in Catholice fidei unione transiebat. Erat is Buravicus in Geldria die vigesima quinta Junii natus, ac primis literarum rudimentis in Belgio, ac præprimis Lovanii imbutus postea

postea vero Parisios profectus ibidem
 miram in liberalibus disciplinis profe-
 ctum fecerat, dato suæ eruditionis pri-
 mo experimento, dum collectanea in
 Titum Carum Lucretium ediderat;
 Dionysius enim Lambinus, etsi Giphani
 capitalis inimicus etiam eundem
 de Plagio in suis commentariis in Lu-
 cretium infimulet, hoc tamen Laudis
 eidem tribuit, quod antiqui hujus Scri-
 ptoris opera longe magis exacta reddi-
 derit, quam Michael Marullus Byzanti-
 nus, qui tam celebrem Authorem mi-
 fere interpollaverat: Tentata hac lu-
 cubratione Giphanius anno Salutis re-
 paratæ millesimo quingentesimo sexa-
 gesimo septimo Jurisprudentiam pro-
 fessus, Aureliæ Doctoratus laurea de-
 coratur, inde cum quodam Franciæ Le-
 gato in Italiam profectus, cum in Ger-
 maniam rediret, adolescentiæ æstu ab-
 repta Protestantium sectæ tum per Bel-
 gium invalescenti nomen non animum
 dedit: nihilominus ab A catholicis, ut
 Profelytum suum melioris fortunæ spe
 detinerent, primo Argentinæ moralium
 Professor, postea Politices, creabatur,
 demum Altdorffii anno Christi millesi-
 mo quingentesimo octogesimo tertio
 Justiniani Institutiones explanare per-
 missus. Inde vero Ingolstadium Bava-
 riæ urbem evocatus secta, quam pro-
 prii

Sæc. XVII.
 A. C. 1604.

Sæc. XVII. prii commodi studio amplectebatur, e
 A. C. 1604. jurata jurispruden- iam tanto Studio
 rum applausu in Academia tradebat, ut
 ab ipsomet Imperatore Rudolpho II. am-
 plis stipendiis invitatus ad Aulam Cæ-
 saream emigraret, Cæsarei Consilii
 honore decoratus. Tandem vero
 septuagenario major die vigesima febr.
 Julii Pragæ in fidei Catholicæ profes-
 sione obiit, relictis admodum præclari
 ingenii sui monumentis, inter quæ præ-
 cipue ab ipsomet Caspare Scioppio Cri-
 tico sui ævi accerrimo deprædicantur
 ejusdem Commentarii in Institutiones.
 Edidit quoque suam *Juris Oeconomiam*,
Lecturas Altdorfsanas, *antinomiam juris*
feudalis, & *commentarium de Regulas juris*
 Elucubrabat etiam *tractatus de jure*
dorum, necnon *commentarium de reme-*
diationibus & *Ordine judiciorum* præter
 plurima alia opuscula.

§. CXXXII.

Justi Baronii obitus.

Miræus l. c.
Bellarmin.
epist. II.
 & 28.
 Quo anno Justus Baronius decesserit,
 incertum est, de eo tamen Aubertus
 Miræus scribit, quod hoc anno
 xerit, aut potius floruerit; imo ipsam
 adhuc mortuo jam Cardinale Baronio
 vita superstitem fuisse, testatur ejus epi-
 stola de dicti Cardinalis obitu ad Ni-
 colaum

colaum Serrarium scripta, quæ habetur primo Annalium Baronii tomo præfixa: quia autem hujus Viri memoria tam grata Catholicis, quam invisa Calvinistis est, illius vitæ seriem, scriptaque recensere haud pigeat. Erat is Xanthi in Cliviensi Ducatu ortus antea *Justus Calvinus* dictus, qui ab ipsa infantia a suis parentibus Calvini Propinquis in ejusdem Hæresiarchæ secta natus atque enutritus erat: cum vero præter Sacras literas mente a præconceptis opinionibus prorsus aliena, veteres etiam Patres, atque e Recentioribus Solidiores Polemicos evolveret, cunctis secum accurate ponderatis tandem per Divinæ gratiæ illustrationem aurum a scorio, lucemque a tenebris discernere cæpit, ac Catholicam fidem heroico bonorum ac vitæ etiam amittendæ contemptu profiteri constituit: Concepto hoc animi proposito Romam proficiscitur, ubi circa annum Domini millesimum sexcentimum regnante Clemente VIII. Papa veræ fidei doctrina imbutus Calvinii hæresin ejurabat: postea a Cardinale Baronio ad Sacrum Chryisma, quo eum idem Pontifex insignivit, deductus mutato cognomine Baronius vocari meruit: inde Senis Theologiam, ac postea Perusii Jurisprudentiam professus Doctoratus Laurea decoratus est; in

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

Sæc. XVII. in Germaniam vero reversus ex Heide-
 bergensi Academia Moguntiam venit
 a Joanne Suichardo Grombergio, qui
 hoc anno Archiepiscopus atque Elector
 creabatur, unacum uxore ac liberis
 benigne exceptus. Typis ab eo
 sunt sequentia opera. I. Apologia
 suo ad Ecclesiam Catholicam accepta
 seu vindiciæ pro præscriptionibus
 adversus Reinoldum. II. Tractatus
 sex Præscriptionum adversus hæreticos
 perpetuarum ex Orthodoxis Patribus
 iisdem vindiciis aucti. III. Pseudo-
 Jubilæum Wittenbergense adversus
 Hunnium & Lutherum. Insuper Be-
 larminus Justum, eo quod illum ad hunc
 laborem ceteris magis idoneum
 fuisset, ad confutandas Calvinii In-
 tentiones incitabat: Prostant etiam Mogo-
 tina literis anno supra millesimum
 centesimo quinto editæ ejusdem Au-
 thoris epistolæ Sacræ ad Pontificem
 Maximum, & Cardinales libris
 comprehensæ.

§. CXXXIII.

Viti Miletii mors.

Serrarius
de rebus
Mogunt.
Possevin.
Appar. Sa-
cer. Miræus
Script.
Sæc. XVII.

Haud magis certus est annus, quo
 Vitus Miletus Gamundianus vivere
 desiit, a Miræo tamen inter Scriptores
 hoc anno defunctos recensetur. Erat
 natio-

natione Germanus, qui Moguntiaë a Sæc. XVII.
 piis parentibus suis, quamprimum adole- A. C. 1604.
 verat, studiis humanioribus tradebatur:
 postea positus in studio Philosophico fun-
 damentis felici ad Theologiam gradu
 perexit, cujus uberiores ut conseque-
 retur proventus, Romam profectus in
 Collegio Germanico Sacratioris hujus
 disciplinæ adyta subiit, cum tanta
 ingenii sui laude, ut inde in Germa-
 niam reversus Wratislaviensis Cano-
 nicus salutaretur: nec tamen propterea
 studiis valedixit, sed potius quod semel
 ingressus studiorum iter, indefessa ani-
 mi alacritate profectus est. Erfordiam
 postea delatus ad Catholicos, qui ibi-
 dem prævalente licet Lutheri secta adhuc
 supererant, utilissimas Conciones ha-
 buit, Canonicus ad Sancti Severi no-
 minatus: Moguntiam vero redux, ibi-
 dem in æde B. Virginis primo Deca-
 nus ac demum ad S. Mauritium Præ-
 positus creabatur, Romana sæpe in
 publicis negotiis legatione perfunctus:
 Dum adhuc Erfordiaë ageret, scripsit
 librum, cui titulus: *Oculata demonstra-
 tio Speculi Jesuitici*, quod opus Erfor-
 diaë ac Coloniaë anno millesimo quin-
 gentesimo octogesimo secundo prodiit:
 currente autem hoc anno Moguntinis
 literis excudebatur *Brevis ejusdem dis-
 sensio & refutatio sexcentorum errorum,*
 quos

Sæc. XVII. quos *Tilemannus Heshusius* & *Joannes A. C. 1604. Olearius Pontificiis vanissime hæcenus tribuerunt.* Exstat etiam hujus Authoris liber de nostri temporis hæreticorum mille sexcentis erroribus in sola re Sacramentaria.

§. CXXXIV.

Richardus Hall hoc anno defunctus.

His accenseri meretur *Richardus*, qui in Anglia natus ob Catholicam Religionem, quam constanti animo turbatur, urgente *Elisabethæ* Regiæ edicto e patria sua exulare coactus unde in Belgium confugiens, cum modo in Philosophicis sed & Theologicis scientiis versatissimus esset, Doctoratus honoribus augebatur, postea Canonicus ad *S. Audomarum* electus. Scripsit librum de causis tumultuum Belgicorum, & contra coalitionem multarum Religionum, quam liberam Religionem vocant: Exstat quoque illius tractatus quinquepartita conscientia, necnon alius pro defensione Regiæ, & Episcopalis auctoritatis contra rebelles, præter opusculum de proprietate & vestiario Monachorum, aliisque ad hoc vitium extirpandum necessariis.

§. CXXXV.

§. CXXXV.

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

Pezelii Christophori interitus.

Ex Protestantibus, qui hoc loco recenserentur, unus occurrit Christophorus Pezelius, qui anno restauratæ Salutis millesimo quingentesimo trigesimo nono Plaviæ in Voigtlandia natus Lutheri doctrinam cum lacte materno suxerat; postea vero emenso studiorum curriculo per quinque annos Ludimagistrum in patria sua egit, tandem vero Wittenbergam evocatus Theologiæ Professor, ac Concionator nominabatur: cum autem eo tempore Melancthon a Lutero novam doctrinam haud satis mature excoctam deprehenderet, illamque Magistro suo adhuc vivente mutatis pluribus, iisque ut vocant, principalibus articulis in aliam longe diversam flecteret formam, ex hac metamorphosi tunc novum oriebatur schisma, cujus asseclæ Cryptocalvinistæ appellabantur: hos inter præter Henricum Mollerum, Fridericum Widebramum & Casparum Crucigerum pariter numerabatur Pezelius, qui novam hanc sectam in Saxoniam invehere adlaborans, eo ex capite multas perpeffus est calamitates; quippe insuperhabito internæ libertatis privi-

Melch. Adam in vita Widebrami.

Hist. Eccles. Tom. LIII. Mm legio

Sæc. XVII. legio non modo omnibus suis dignita-
 A. C. 1604. tibus exuebatur, sed etiam anno Do-
 mini millesimo quingentesimo septu-
 gesimo quarto Lipsiæ in Weissenburgensi
 carcere Lutherani fanatici victimam be-
 fit, primum inde liberatus, postquam
 adhibita conscientiæ suæ vi ad arbitrium
 Theologorum Saxoniorum præscriptis
 conditionibus chirographum oppolus-
 rat: Nec tamen hic steterat vexantium
 furor; quippe in sua domo tamdiu de-
 litescere cogebatur, donec raro ma-
 fuetudinis exemplo polliceretur, quod
 e Saxonia emigrare, nec unquam ce-
 lamum suum contra Electorem, Aca-
 demiam & Saxoniam Ecclesiam exer-
 cere velit: Hac igitur conditione hinc
 conscientiæ equales eluctatus, Eggen-
 confugit, inde vero patrocinante Mo-
 foviensi Comite rursus Ludimagistri of-
 ficio panem Sigenæ lucrari permittitur,
 tandem anno post Christum natum mil-
 lesimo quingentesimo octogesimo octavo
 Bremæ Professor Theologiæ & favente
 fortuna Superintendens creabatur; mor-
 tuus hoc anno die vigesima quinta Fe-
 bruarii. Scripsit contra Adversarios
 suos Lutheranos præcipue contra Eggen-
 dium Hunnium, Nicolaum Selnecker-
 rum, aliosque quamplurima, ceteris
 vero memoratu magis digna sunt opera
 seu commentarii in Genesim, & Prophetas

raſis in priora capita Evangelii S. Joan-
 nis præter ſuum *mellificium historicum.* Sæc. XVII.
A. C. 1604.

§. CXXXVI.

Infelix Fausti Socini interitus.

Hoc item anno die tertia Martii blas-
 phemam evomuit animam Faustus
 Socinus, cujus infausto interitu, si e-
 jus quoque impietas erroresque interiif-
 ſent, felix nimium orbis eſſet. Hic
 Lælii Socini Nepos ac Alexandri &
 Agnetis Petrucciæ Filius anno Chriſti
 milleſimo quingentefimo trigefimo nono
 die quinta Decembris Senis primam
 lucem aſpexit; Primis juventutis ſuæ
 annis ſegniter admodum ſeſe Studiis
 applicuit, ac nonniſi humaniores lite-
 ras, necnon Dialectices principia pri-
 moribus attigit labiis, ſatis tamen ido-
 neus ad imbibendos augendosque Pa-
 trui ſui errores, quos ei ſui affines tam
 liberaliter propinaverant, ut præcipuus
 Socinianæ hæreſis Author evaderet,
 eum vero ſuis erroribus latius liberius-
 que propagandis obſtaret Sacræ In-
 quiſitionis metus, Lugdunum in Fran-
 ciam ſeceſſit, quo tamen viginti annos
 natus comperto Patruſi ſui obitu Tigu-
 rum contendit, venenata ejuſdem Scri-
 pta veluti opimam inferni hæreditatem
 ſibi vendicaturus, inde in Italiam re-
 verſus

*Sandius
 Bibl anti-
 trinit. p. 64.
 Vita Faust.
 Socin.*

Mm 2

Sæc. XVII. A. C. 1604. versus per duodecim omnino annos in Etrusci Ducis aula hæsit, qua relicta anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto Basileæ profectus ibidem Theologiæ operam præstabat, eo fine, ut novam suam doctrinam, a Patruo haustam, quam sicut ceteri omnes hæresiarchæ sensim in suo cerebro maturius excoxerat, magis excoltam, ac sequacium numero insigniorem redderet. Evoluto triennio in Transylvaniam evocatus Georgium Blandam, qui Christi Divinitatem pernegabat, contra Franciscum Davidis tuebatur, exiguo tamen hæresis suæ propagandæ proventu: quocirca sub annum Domini millesimum Septuagesimum primum in Poloniam secessit, Unitariæ factioni sese aggregaturus, a quibus tamen indigne repulsus est, eo quod in pluribus ab eis dissideret, suasque impietates incautius proderet: cum autem adversus Jacobum Palæologum suam lucubrationem *de Magistratu* edideret, seditiosa dogmata sparsisse accusatus Cracovia expellebatur, quo tamen reversus, suosque errores diffundere intentus, anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo octavo ingens vitæ periculum incurrebat; quippe Studiosi quidam in suum cubile irruentes eundem seminudum inter multa oppre-

opprobria ac verbera in publicam raptabant plateam, absdubio trucidandum, nisi ab accurrente quodam Cracoviensi Professore eorum manibus fuisset ereptus: postea vero in quodam oppido Cracovia novem leucis distito apud Abrahamum Blonsky delituit, ubi etiam anno ætatis suæ sexagesimo quinto periit.

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

§. CXXXVII.

Ejusdem hæresiarchæ errores.

Tam periculosa erat Socini hæresis, ut ipsimet ejus Discipuli ac præprimis Gregorius Pauli gloriantur, quod Calvinus Romanæ Ecclesiæ muros, & Lutherus tectum, Socinus vero ipsa ejusdem fundamenta destruxerit; postquam enim Lutherus limites a S. Patribus positos movens, quascunque novitates pro suo arbitrio parturiverat, haud sollicitus, an suarum opinionum hostes vel Patronos, in veneranda antiquitate & communi Ecclesiæ sensu haberet, & Calvinus contempta Ecclesiæ, ac Traditionum autoritate effrænem quoscunque fidei articulos eliminandi licentiam invexerat, Socinus quoque horum Novatorum exemplo credendi libertatem sibi integram fore ratus, non modo Ecclesiæ Catholicæ

Sæc. XVII. hæc dogmata a Luthero & Calvino re-
A. C. 1604. jecta reprobabat, sed prima etiam fidei
 fundamenta, omnesque ceteros arti-
 culos, quos hi Sectarii imo ipse etiam
 ejus Patruus intactos reliquerant, ut
 judicii sui examen vocare præsumptum
 Præprimis vero ab Arianis Christo Do-
 mino plus æquo datum fuisse censens
 præexistentiam Verbi pernegabat, alle-
 rens quoque, Spiritum Sanctum non
 esse Personam distinctam, proin solum
 Patrem esse proprie Deum. Inde vero
 fateri cogebatur, quod quidem Christus
 Dominus in Sacris literis Deus vocetur,
 non in eo tamen sensu, quo Pater
 hoc enim nomine, si Christo attribui-
 tur, duntaxat significetur, quod Pater
 solus Deus per essentiam Christo de-
 berit supremam potestatem in omnes crea-
 turas, ac propterea ipsum dignum re-
 diderit, ut ab Angelis & hominibus
 adoraretur: *En quam periculosum*
 inquit de Socino quidem recentior Cal-
 vinista, *etiam meliora velle sectari, in*
Duce Spiritu Sancto, & humili fide rationem
& capacitati naturali perpetuo diffidentem,
 cui tamen Socinus reponere potuisset,
 quod ipse quoque duce Spiritu Sancto
 Sacrarum literarum sensum ac sententiam
 secutus humili fide de ratione & capa-
 citate sua naturali diffusus has Blasphemias,
 uti Lutherus & Calvinus, ex cogi-

cogitarit. Præterea Socinus pernegata Christi redemptione docuerat, quod Christus pro Salute nil aliud sit operatus, nisi quod nos veritatem docens, & virtutum exempla nobis præbens, doctrinam suam morte sua confirmarit. Præterea inter fabulas reponebat hic Blasphemus peccatum originale, Gratiam, & prædestinationem, cuncta quoque Sacramenta ad inanes ritus omni efficacia destitutos rejicit, simulque Deo abnegat attributa, quæ humanæ rationi minus congruere arbitratur, festamque suam mere ex iis conflat opinionibus, quas magis rationi accommodas existimat, parum anxius, an a primo Christianæ Religionis exordio vel ullus sicut ipse unquam senserit. Nec terrebarur difficultatibus sibi propositis, cunctas eludens, asserendo, quod omnes sui articuli non forent necessarii ad salutem: Insuper famosus hic *Simplicitatis* hodiedum tantopere decantatæ restaurator articulos, quos appellat *fundamentales* ad tam exiguum reducit numerum, ut ferme quivis hæreticus tam ex veteribus quam hodiernis juxta ipsius doctrinam ad salutem pertingere valeat: Ceterum quamvis impii hujus Viri dogmata nil nisi horrendæ essent blasphemix, nihilominus quamplurimos post se reliquerat discipulos, qui

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

Sæc. XVII. fese Fratres Polonos vocitabant, ac in
 A. C. 1604.

variis Poloniæ urbibus sectæ suæ Templa numerabant, ex quibus tamen dicto publico in comitiis generalibus anno post Christum natum millesimo trecentesimo sexagesimo deturbati in Silesiam, Boruthiam, Moraviam & Transylvaniam aufugere coacti sunt. Hi vero suis doctrinis viam præparabant Deistis, quorum quoque hodie numerus, quod dolendum maxime, plurimum excrescit, ex quorum cætu indices novi perniciosissimorum systematum fabricatores prodeunt: Inde vero manifeste deprehenditur, quod ejusmodi furfuris homines jamdudum in Christianæ Religionis excidium conspirant, eamque suis scriptis ac doctrinis velut per cuniculos a pluribus jam annis convertere conati sint: Huc collimat resuscitata de *simplicitate dogmatum & rituum*, doctrina, quam disertis verbis Stanislaus Lubinicius Eques ac Palatinus Polonus in sua Historia Reformationis Polonicæ deprædicat, dicens: *tota Christiana Religio confessione brevissima, Jesum a mortuis resuscitatum esse Christum, Filium Dei, ac Regem cælestem, & professione vitæ hac fide dignæ absolvitur, quæ ita & expressis verbis in Sacris literis testatum, & communi Christianorum judicio approbatum est, ut solum semper fuerit & futu-*

futurum sit dogma Catholicum & ad salutem eternam consequendam unice necessarium.

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

§. CXXXVIII.

Hujus Hæresiarchæ Scripta.

Idem Fratres Poloni librorum, qui potissimum in Hollandia typis impressi in ipsorum Bibliotheca asservantur, Catalogum ediderunt, in quo præprimis Socini opera enumerantur duobus majoris formæ voluminibus comprehensa, & quidem in primo continentur omnes suæ explicationes in quædam Sacræ Scripturæ loca, ac præcipue in caput septimum epistolæ ad Romanos, præter ejus opera Dialectica. In altero tomo habentur Polonicæ hujus Auctoris lucubrationes: Scripsit enim præ ceteris animadversiones in *Theses Collegii Posnaniensis, disputationem adversus Volanum, Synopsis justificationis nostræ per Christum, tractatum de fide & operibus, quod attinet ad justificationem nostram, responsionem primam ad Theses duas Francisci Davidis de non invocando Christo, ac denique examen argumenti pro trino & uno Deo unacum responsione perbrevis ad quædam Theses, Ceterum in omnibus suis operibus studiosæ argutiæ acumen, atque ad omnem malitiam ingeniosa*

Mm 5

sedu-

Sæc. XVII. sedulitas magis emicat, quam ratio-
A. C. 1604. num soliditas & iudicii rectitudo, quo
 defectu omnes ejus disputationes labo-
 rant, in quibus Auctor nil nisi fanaticis-
 mi sui stoliditatem ad explicanda Sacre
 Paginæ loca detorquere, pertinaci
 dio adlaborabat.

§. CXXXIX.

*Dubium circa S. Ordinis adminis-
 trationem summo Pontifici pro-
 positum.*

*Argentre
 Collect. judic.
 Facult. Pa-
 ris. tom. 2.*

Movebatur hoc anno quæstio de
 randis Ordinationibus, quas Lu-
 dovicus de Mouliner Sagiensis Episcopus
 fecerat; hic enim in unaquaque Sa-
 cri Presbyteratus Ordinis adminis-
 tratione duobus duntaxat sacerdotio in-
 stiandis, qui eidem magis vicini erant,
 ipsemet Calicem & Patenam attrectan-
 dam porrigebat, cæteris vero omnibus
 numero decem millibus tantummodo
 per suum Elemosynarium hæc sacra ve-
 sta tangenda tradebat: Re hinc inde
 agitata tandem hæc Controversia ad
 Clementem VIII. Pontificem maximum
 defertur, qui hosce sacerdotes denuo
 ordinandos esse declarabat: detrecta-
 bant tamen ex his quidam, sacerdo-
 tium denuo suscipere, causantes se
 tantæ dignitati impares esse. Hac su-
 per

per re Parisini Doctores in varias scin-
debantur sententias, ac eorum non pauci
existimabant, hosce sacerdotes rite esse
ordinatos, horumque vasorum tradi-
tionem manu ipsius Episcopi habendam,
merum esse Ecclesiæ ritum: Obstabat ta-
men Communior Doctorum, ac præ-
cipue Clementis Papæ sententia, cui
sele opponere facultas Parisina abhor-
ruit: eapropter hi sacerdotes ab Archi-
episcopo Aquensi, qui frequens Parisiis
aderat, iterum ordinati sunt, fors!dun-
taxat sub conditione ad præscriptum
Pontificalis Romani, sacris tantummo-
do instrumentis per ipsum Archiepisco-
pum porrectis, juxta illud: caute sup-
plendum, quod incaute fuerat præ-
termissum.

Sæc. XVII.
A. C. 1604.

§. CXL.

Nova Stiefelianorum Secta.

Ad hunc annum revocatur origo Sti-
feliæ sectæ, quæ nomen suum
hausit ab ejus Authore Joachimo, vel
ut alii volunt, Isaia Stiefelio Langen-
salzii nato, percelebri fanatico, qui
professione Oenopola, cum (veram Sa-
cræ Paginæ cognitionem sibi a Deo
abundantius quam Luthero concessam
crederet, majora illo tentare aggredie-
batur, haud contentus, si Ecclesiam,
uti

*Arnold Ket-
zer hist.
p. 3. c. 4.
Kromayerus
hist. Eccl.
cent. 17.
Ludwig
Univ. hist.
p. 599.*

Sæc. XVII.

A. C. 1604.

uti quintus hic Evangelista, fabricator
reformatam, insuper *Ecclesiam Trinitatem*
phantem Angelis, cælicolis, diisque re-
pletam in terris in privato suo Spiritu
excogitabat, ac de probroso suo no-
mine Stifel, quod ocream significat, &
rubescens, Christi cognomen scelestum
assumebat, suum vero Socium nomine
Nicolaum appellitabat Magnum Deum
pueros item duos Angelos, & ruge-
sam Ezechielis Methii seu Medeni uir-
ginem, quæ Isaiæ Soror erat, Barbaram
antea dictam, nunc Mariam de Mundo
Medenam seu Universo Salutarem orbem
lam, Deique Matrem, Virginem æternam
existimari voluit, quocirca eam suis
per omne corpus albis vestibus operi-
bat a capitis vertice ad talos usque
plantasque pedum. Varios insuper e-
rores de Dei existentia, de Christo, Sa-
crisque literis, necnon de diversis Lu-
theranæ Ecclesiæ articulis palam disse-
minabat. Novæ hujus hæresis fama
ad Lutheranum Synedrion delata, motu
adversus hosce fanaticos conclamare
omnes hujus ditionis Ministri, ipsos in-
jus vocare, novique hujus Evangelii
prædicationem eis severe inhibere ce-
perunt. Hi autem Novatores, cum se
non minus quam hosce Prædicantes
de vocationis suæ, privatique spiritus
gratia certos esse dicerent, oppositio-
nes,

nes, monita, objurgationes eorumque Sæc. XVII.
 minas flocci habebant: quocirca Eze- A. C. 1604.
 chiel & Isaias cum potissima discipulo-
 rum turma Lipsiam abstracti, ac Syn-
 nedrii severis quæstionibus agitati, de
 se suisque tanquam omnium voce au-
 dacter hæc depromebant: *Ego Eze-
 chiel, sum magnus cæli Princeps Michael,
 qui ceteroquin DEI VERBUM nominor,
 præter quod non est aliud per se subsistens,
 semper manens ac vivens Verbum Chri-
 stus. Extra hoc Verbum, illud, quod fo-
 ris scriptum est, & quod e cathedra Vos
 Præcones denuntiatis, nihili pendendum
 est: quod autem nos mundo promulgamus,
 id occultis Revelationibus, selectisque som-
 niis per divinum Spiritum nobis innotuit:
 Divinas leges plene perfecteque exequi pos-
 sumus. Baptisma Lutheranorum nil nisi
 magicas præstigias redolet, cum nisi per
 Dei Spiritum, cuiquam contingere possit
 ablutio. Filii nostri, utpote justi, ac de-
 licto carentes, natura justii & Sancti sunt,
 nec baptismo egent. Vestra cæna Domi-
 nica & Synaxes nil nisi magicæ sunt præ-
 stigiæ: vera & legitima cæna apocalyp-
 tici verbis his describitur: En, ad ostium
 esto foris, & pulso: si quis vocem meam
 audierit, & ostium aperuerit, ad hunc
 ingrediar, cum hoc mutuo cænabo.
 Christiana Ecclesia est sine delicto & ruga,
 alioquin, vel una talium inquinata non esset*
 vera

Sæc. XVII. vera Ecclesia, cujus viva imago, & h
A. C. 1604. pus est Isaias noster agnomine Christus
 qui, Servator noster tam persona sua
 natura totus est mecum (hoc est cum Eze-
 chiele) qui grandis cæli Princeps in
 corpore possideo & circumfero carnen
 nitus eandem, quam e Matre sua Man
 Christus suscepit, quamque pendens, & mo-
 riens in cruce gestavit: hinc quicquid gen-
 gerendumque mente concipio, id mecum &
 Christus agit rebus & agit mente: ex quo
 si alia deessent nostræ innocentie testimonia,
 manifeste patet, quod nos peccato careamus,
 unde in virtute Christi ita mihi meisque co-
 habitantis Christi de mortalibus jam nos
 facti sumus immortales, nec resurrectio
 mortuorum, nec vita æterna erit, quæ
 mundo jam olim semel ac simul mortui
 mus, vitæque æternæ lætitiâ in corpore
 nostris jam nunc certo certius & pluri
 fructibus experimur. Hæc pluraque alia
 fanatici deliria hi Novatores tanta
 pertinacia tantaque veritatis fiducia
 tuebantur, ut omnia Ministrorum verba
 argumenta, ac disputationes cum illis
 habitas, totamque innumerorum Sacra-
 Paginæ textuum farraginem dexteri-
 me eluderent: id quoque in hoc spe-
 nedrio perridicule accidit, quod cum
 Superintendens quidam præsentibus cum
 ctis Verbi Ministris, Pastoribus, & Theo-
 logis sciscitaretur, quodnam doctrine
 suæ

suæ fundamentum haberent, & num
 pro secta hucusque non audita firmiter
 stabilienda prodigium ullum aut signum
 naturæ viribus altius proferre nossent
 ac possent? mox succlamarit Ezechiel.
 Enimvero lepida hæc est postulatio, cui
 jam nostro velut omnium ore Christus
 noster jam satisfecit dicens: hæc AD-
 ULTERA GENERATIO signum quæ-
 rit, & signum non dabitur ei: Ad hoc
 responsum in furias acti omnes Mini-
 stelli, non jam Evangelica sua mansue-
 tudine, sed Inquisitionis severitate u-
 tendum censebant, atque adversus eos
 vincula & carceres decernebant, eo-
 rumque quosdam Königsteinium Mis-
 nixæ munitissimam arcem vinculis o-
 nustos abduci jubent. Dresdæ vero
 Ezechiel atque Isaias sectæ duces in
 custodia retenti sunt, quibus subinde,
 ne solitudine tabescerent, adjuncti ca-
 ptivitatis Socii factionisque participes
 plures alii, Langensalzio Dresdam e-
 vocati: Isaias quoque palinodiam fingens
 e carcere liberatus est; ubi vero Erfor-
 diam pervenit, non modo errores suos
 denuo diffeminabat, sed insuper quam-
 plurimos ad sectæ suæ societatem al-
 liciebat: quocirca urgentibus Ministris
 mox denuo quæstioni subjectus in car-
 cerem detruditur, in quo aliquamdiu
 detentus, atque a quodam egregio
 Pugi-

Sæc. XVII.
 A. C. 1604.

Sleid. Rediv.
 l. 19. Ap-
 paman.
 num. 12.
 Jason. con-
 tin. p. 347.

Sæc. XVII. Pugile scilicet Sutore, nomine Jacobo
 A. C. 1604. Böhme, edito libro impugnatus, in
 errores suos ejuraturum ore & calamo
 pollicebatur: quocirca rursus liberatus
 redditus est, qua tamen vix obtenta
 confestim ad vomitum rediit, suæ
 sectæ immortalis periit, relicto postea
 Methio erroris sui hærede ac propa-
 gatore dignissimo.

§. CLXI.

*Novi in Hispania motus adversus
 Jesuitas.*

*Epist. P. de
 Angelis
 28 Nov. 1604.
 Scripta S. J.
 de variis
 rebus.*

Haud diuturna erat lætitia, quam So-
 cietas ob impeditam Molinistæ
 opinionis damnationem in Hispania
 conceperat: cum enim hoc anno ab-
 bio rursus a malevolis, variæ querelæ
 versus Hispanos Jesuitas ad Philippum
 III. Regem delatæ fuissent, hic a summo
 Pontifice petiit, ut Claudium Acquæ-
 vivam Societatis Generalem in Hispa-
 niam mitteret, quo fine autem, ex li-
 teris Patris Bernardi de Angelis Secre-
 tarii Generalis, quas die vigesima octava
 Novembris Roma Augustam ad Patrem
 Gregorium Rosaphium Germaniæ Super-
 rioris Provinciam dedit, colligi potest:
*Ex literis, scripsit ipse, P. Duran dis-
 stentis abunde intelliget R. V. nisi forte
 liunde cognoverit; quippe jam longe
 que diffunditur, quoniam in statu*

nostræ Romæ sint, uno verbo, miserrimo. Sæc. XVII.
 Ex Hispania enim, quamvis literis Regis A. C. 1604.
 Catholici ad Sanctitatem datis, revera tamen Comitissæ de Lemos potentia, seu P. Hernandi de Mendoza sui Confessarii suasu, Patris nostri Generalis apud eandem Sanctitatem urgetur ab urbe peregrinatio, specie quidem illas Provincias visitandi, re ipsa in ipsum Generalem animadvertendi: eo quod hominem hunc multis nominibus Societati parum utilem, ne dicam, perniciosum, ita bonis omnibus postulantibus, & conscientia urgente ab Aula amovendum curaverit. quemadmodum superioribus diebus conati sumus, sed frustra, prohibente Nuntio Apostolico, qui sive sua sponte in gratiam Comitissæ, sive ab urbe præmonitus, frustratus est conatus nostros: hinc orta acrius sævire cæpit procella in Societatem & in ejus Caput. Tam multa enim illinc afferuntur & circumferuntur, quæ non auisim committere literis. Dicam brevi, his machinis vita Patris nostri petitur, quam illi omnino eripiet tam longinqua ac molesta peregrinatio, aut certe comitabuntur eundem sexcenta incommoda, quæ in Hispania etiam experietur summo cum dedecore & insigni Societatis ac Patris nostri bonæ estimationis jactura, quippe a tam malefurentibus & armatis insuper potentia, quis speret amica? Hic a Patribus Assistentibus, ceterisque nihil non intentatur: sed surdo

Hist. Eccles. Tom. LIII. Na ceci-

Sæc. XVII. *cecimus: Itaque a domesticis ad exteri-*
A. C. 1604. *confugimus: illud unum addere visum est*
 ut R. V. cum Patribus gravioribus
 Provinciæ, quibus rem totam committimus
 oportebit, ad Sanctissimum scribat, juxta
 formulam missam. Ea autem erat
 quæ per P. Provinciam a Pa-
 lo Hofeo, Gretsero, aliisque nova
 plerisque Collegiorum Rectoribus, lib-
 scripta, Ingolstadio die decima octava
 Decembris Romam transmissa fuit.

BEATISSIME PATER.

Intelleximus magno animi mœrore, Ro-
 mæ tractari apud Sanctitatem vestram, a
 R. P. N. Generalis ex Urbe in Hispaniam
 proficiscatur, Regni illius Collegia vobis
 turus. Etsi autem, ut obsequentes filios vestros
 aquiescere semper parati simus, committimus
 tamen non possumus, quo minus Sanctitatem
 vestræ patefaceremus, quæ nobis circa nos
 occurrunt, & tria vel maxime, I. In-
 commoda, quæ ad omnes partes Societatis
 nostræ manabunt, si qui omnes gubernant
 ab eo loco absit, ex quo omnium communi-
 sine tam late diffusum corpus regi possit.
 II. Periculum vitæ: vitio igitur nobis
 vertat Sanctitas sua, si intercedamus pro
 salute Patris nostri, qui ita nostram So-
 cietatem sapienter, fideliter, industriè
 indefesse administrat, ut omnibus his in-
 cis, non dubitamus, quin & alibi, paucis
 his exceptis, qui forte sua non quæ

sunt, quærent, sit gratissimus, cujus singulari prudentia, virtute, & humanitate Pax & animarum conjunctio pie & salubriter in nostra Provincia, plantata & conservata est, omniumque voluntates ad prælia Domini prælianda sub tanto Duce excitatæ. III. Non parum nos angit, quod insolito exemplo (non enim hic Generalis pro more ceterorum suas Provincias visitat, sed ex specula Romana singulorum prospicit sortem, moresque) hæretici certo nobis insultabunt, quasi jam Ordinis nostri fundamenta labefactari cæpta sunt, misso præter morem & Constitutiones Generale nostro in Hispaniam. Insuper periculum est, ne de ipsis Patribus in Hispania fors etiam in libris publicis pessima quæque spargant, quorum sanandorum gratia Pater Generalis a Sanctitate vestra in Hispaniam ablegatus sit: nec est ille Status Societatis in Hispania, qui præsentiam Patris Generalis desideret, & si quid emendandum sit, id Sanctitatis vestræ studio ab absente corrigi posset, si sua constet ei integra auctoritas & potestas. Nuper hæretici magnum dolorem conceperunt ex Societatis nostræ in Gallias Revocatione, veremur, ne nunc dolor ille mutetur in lætitiâ, si intelligant, Generalem nostrum inusitato more Roma jussu abire. . . . Versamur nos Germani inter medios hæreticos, qui cum aliis nominibus, tum etiam propter singulare

Sæc. XVII.
 A. C. 1604.

Sæc. XVII. *gulare studium Societatis erga Sedem Apo-*
 A. C. 1604. *stolicam incredibiliter nos oderunt, fundi-*
 tusque excisos cupiunt.

Juxta hujus epistolæ normam ceteri
 ejusdem Instituti Superiores suos ad
 Papam libellos supplices instruxere, in-
 quentes tamen addiderunt rationes.
 I. *Nulla urget necessitas, quia Procurato-*
res ex Hispaniæ Provinciis elapso anno ab-
ventantes omnia satis bene esse constituta re-
tulerunt, & circa Castellanam Provinciam
quæ præcipue taxatur, adest ibi P. Pae-
tius, a quo recens est visitata, qui asser-
mat, se præter paucos, qui in aula de-
gunt, nullos alios nosse, qui remedio in-
digent. II. *Nulla vel exigua ex hac vi-*
sitatione utilitas sperari, sed magna dan-
na timeri possent; si enim quædam utilita-
tas, hæc reduceretur ad paucos, qui in
aula degunt, in officio continendos, in
men P. Generalis, nisi ejus autoritas im-
pediatur (ut proxime factum est per Nu-
tium Apostolicum) poterit etiam per pro-
cipuum P. Rectorem, sin vero, non solum
frustra P. Generalis hoc iter suscipiat,
sed etiam cum jactura res infectas reser-
quet: qua de re allatæ sunt recens literæ
a Provinciali Castellæ, quibus differre
scribit. expectari quidem ibi P. Generalem,
sed nullo modo expedire, ut ipse ce-
niat, nimirum insinuat, male ipsum in-
excipiendum. III. *Nec incommodo ab-*

sentiae Generalis opponitur remedium idoneum, si constituatur Vicarius, nam vel hic erit subordinatus Generali, & tunc retardabuntur magis negotiorum expeditiones, vel non erit, & tunc erunt duo Generales, quod forte occasionem dabit separandi partes Italiae & septentrionales ab Hispaniis & Indiis, quod esset irreparabile malum, & certus Religionis interitus. IV. Novum hoc exemplum suspicionem dabit Regibus & Principibus saecularibus, ne quid sub hac professione lateat, quod ad Statum pertinet. Et sane vel maxime refert, ne Regi Christianissimo, qui nuper Societatem amanter amplecti cepit, detur hoc tempore occasio vel novae a nobis alienationis, aut sinistrae alicujus suspicionis: fieri etiam posset, ut ad exemplum Regis Catholici alii quoque Reges & Principes pariter ejusmodi visitationem impetrent, & hoc praetextu suas proprias rationes & commoda, non Religionis bonum extorqueant: exteri etiam confirmabuntur in hac opinione, quod Sanctitas sua male velit Religioni nostrae, ejusque Capiti: aliunde vero Pater Generalis, cum de restitutione in Galliam ageretur, eo profectus non est, quomodo ferendum, ut pro re longe levioris momenti, ne dicam, indigna, tam prolixum iter suscipiat?

Saec. XVII.
A. C. 1604.

Sæc. XVII.

A. C. 1605.

Recurrerant etiam Jesuitæ ad O-
tores Cæsareos & Gallos, qui tamen
Cardinalem Aldobrandinum minus
exorabilem, quam Pontificem inveni-
erunt; hic enim in primo Assistentium
collóquio, ut usque ad Regis Catholici
responsum expectare velit, pollicetur
est, in altero autem iisdem denuo in-
stantibus, id promittere noluit, alle-
rens, se impensis Regis Catholici
precibus & auctoritate, ad hæc iustia per-
moveri, ad quod tamen Patres respon-
derunt, eis certo constare, unde hæc
res mota, & apud Regem permota sit,
nempe ab uno ex eis, & a quadam
Persona (*), quæ se injuria affectum
putabat, eoquod Pater Generalis in Con-
fessarium suum ab aula injuncto Obedientiæ
præcepto gravissimas ob causas recur-
conatus esset. Ceterum hæc vexatio non
nisi anno sequenti cessabat.

§. CXLII.

*Quintum examen Molinisticæ doctrinæ
quatuor Congregationibus
absolutum.*

*Histor. Con-
greg. de
Auxil. l. 3.
cap. 42:*

Vix anno Christi millesimo sexcenti-
simo quinto initium erat datum,
cum illico die quarta Januarii coram
sum-

(*) Ea erat Lemosii Ducis, Hispania
Ministri Coniux.

summo Pontifice, Cardinalibus, Epi- Sæc. XVII.
scopis ac Consultoribus sexagesima quin- A. C. 1605.
ta Congregatio, cui primum interfuit
Cardinalis Bufalo, haberetur: Actum
est in ea de sequenti dubio: *An statuen-
dum sit, unicum esse decretum Dei, in quo
decernat velle salvare Petrum, ponendo il-
lum in tali & tali ordine rerum, dandoque
illi talia & talia auxilia, quibus si Petrus
ex innata sua libertate consentiat, & bene
utatur prædictis auxiliis, salvabitur? Et,
an prædictus bonus usus dictorum auxilio-
rum proveniat a sola innata libertate, an
vero a gratia Dei, quæ facit, ut homo bene
utatur dictis auxiliis? Et, quæ ex istis sit
sententia S. Augustini & Ludovici Molinæ?*

Circa hoc dubium Bastida pluribus
demonstratum ibat, quod Decretum
prædestinationis adhucdum sit absolu-
tum, etsi ex scientiæ mediæ directione
fiat, eoquod in Sacris literis multa a
Deo statuta decreto absoluto legamus,
quamvis iis decernendis futuri alicujus
conditionati præscientia antecesserit.
Objecerat Pater Lemos, quod Bastida
ea duntaxat exempla & argumenta pro-
tulisset, quibus demonstratur, quod
præscientia futuri conditionalis a Dei
voluntate pendentis ejus absoluto de-
creto minime repugnet: nondum au-
tem probasset, quod Deus ante decre-
tum Prædestinationis præsciat futurum

N n 4 condi-

Sæc. XVII. conditionatum ab hominis voluntate
 A. C. 1605. pendens, tum Bastida FF. Prædicatores

violatæ libertatis humanæ reos infimulabat, perinde acsi non modo æternæ prædestinationis decretum, sed & temporaneam ejus executionem ab humana libertate, non dependentem afferissent, Lemosius hanc calumniam a se amoturus dixit: *Pater agimus de re gratia in conspectu Sanctitatis suæ, non licet proponere nobis, quod non diximus: Ego dico quod actus Divinæ voluntatis eligentis in gloriam in sua efficacia non dependeat a libero arbitrio hominis.* Tandem exphatis, quæ pro vindicanda Molinæ doctrina Bastida attulerat, SS. Augustini & Thomæ testimoniis, Congregatio solemniter est, quæ sequenti die in conventu sexagesimo sexto hoc pronuntiabat veredictum: *Resolvit Congregatio, Prædestinationem fieri per unicum, idque absolute Dei Decretum, quo Deus statuit, ut, qui elegit dare gloriam & media necessaria ad illam consequendam, & hanc esse Sententiam S. Augustini; & ab hac omnino abesse Molinam in sua Concordia, constitutendo Prædestinationem, non in absolute Dei decreto, sed in electione ordinata.*

Abregé de
 l'hist. Eccles.
 tom. 10.

Cum sexagesima septima Congregatio die vigesima prima ejusdem Mensis haberetur, interfuit primo Cardinalis Perronius, cui Henricus IV. Francie

ciae Rex instante Patre Cotono nego- Sæc. XVII.
 tium dabat, ut Pontificem a definienda A. C. 1605.
 hac controversia absterreret: nihilo-
 minus continuato disputandi fervore,
 ac proposito dubio de usu auxiliorum
 gratiæ summus Pontifex præprimis Pa-
 tribus Societatis inhibuit, ne ad pere-
 grinas quæstiones diverterent, aut a
 propositæ difficultatis scopo declinarent.
 Monitis Papæ se morem gesturum pol-
 licitus Bastida, Molinæ sententiam cum
 Tridentina definitione consonam, imo
 eandem esse affirmabat, addens, quod
 Prædicatores eadem argumenta, quæ
 hæretici adversus Tridentinum, ipsi con-
 tra scientiam mediam opponant: hanc
 in rem Bastida pervulgatam sensus com-
 positi & divisi distinctionem attulit, quam
 tamen non in Thomistarum, sed Luthe-
 ranorum sensum detorquebat: Demum
 variis hinc inde agitatæ illuc disputa-
 tio perducta est, ut tam Lemosius quam
 Bastida solam excitantem gratiam a
 Molina defendi faterentur, Lemosius
 tamen adderet, quod ejusmodi gratia
 non obsit, quominus gratiæ usus natu-
 ralibus arbitrii viribus adscriberetur.
 Habita autem postrema Congregatione
 die sequenti ejusdem Mensis Consulto-
 res judicabant, *bonum usum auxiliorum*
secundum S. Augustini doctrinam, esse a
gratia: secundum vero Molinam, esse ex
Nn 5 sola

Sæc. XVII. *sola innata libertate, quod & ex pluribus
A. C. 1605. testimoniis S. Augustini, & ex multis
opposito productis ex Concordiæ libro
compertum fuit.*

§. CXLIII.

*Ingens injuria summo Pontifici a Car-
dinale Farnesio illata.*

*Mem. secret.
part. 4.
pag. 158.*

Absoluta postrema hac Congregatione
Clemens Papa in gravem incidit
infirmi- tatem, quæ haud parum auge-
batur per injuriam sibi, suoque Nepoti
ab Eduardo Farnesio Cardinale illatam
cujus occasio hæc erat: Nauta quidam
a licitoribus in deliciis poenam in carce-
rem raptus, ex eorum manibus erabi-
tur, atque ad Farnesianum Palatium
aufugit: hunc insequentes licitores
Arturo Nobili Anglo repelluntur, quorum
eorum unus insolentius reposuit, quod
ob attentam ejusmodi resistentiam non
pauci in eodem Palatio olim laqueo pro-
niti fuerint: acerbior hæc objurgatio
Nobilem adeo pupugit, ut hujus licito-
ris proterviam gravi vulnere plecteret.
Re comperta Urbis Gubernator, justus
Cardinalis Aldobrandini, coacta Licito-
rum militumque manu Palatium vi-
gredi, reosque vinctos abducere tentat:
mox vero omnes ferme Romani in E-
duardi Cardinalis opem ad arma con-
volant.

Sæc. XVII;
A. C. 1605.

volant, clauduntur subito officinæ, omnesque Nobiles Farnesium defensuri concurrunt: ipse etiam Villena Marchio Regis Hispani Orator cum omnibus suis famulis Palatium ingreditur, armata manu vim repulsurus. Altera ex parte Farnesius Cardinalis præstituto tridui spatio comparere jubetur, ad quem ipse Governator, solus tamen, accedens eundem nomine Pontificis rogabat, quatenus reos justitiæ Ministris tradere haud cunctaretur. Farnesio autem id sibi haud amplius integrum esse reponente, immoderatiores nonnulli Governatorem e fenestra præcipitem dare præcipiebant. Tantæ violentiæ obstabant Platus & Sfondratus Cardinales, qui Governatori per secretam scalam evadendi opportunitatem procurabant: non deerant tamen ex Farnesii amicis nonnulli, qui Pontificem hujus tumultus ignarum capi, ac Caprarolam Parmensis Ducis urbem abduci suaderent: ad hæc obstupuit Farnesius moderatæ indolis Princeps, qui, ut omnem tam nefandi consilii fomitem extinqueret, unacum Arturo & Nauta Romam excessit, Cæsarinus vero Dux Farnesiorum Amicus cum pluribus aliis Nobilibus Romanis Cajetam aufugit. Interea Pontifex Parmensem Ducem missis ad eum Legatis hortabatur, ut ad sedan-

Sæc. XVII. sedandos hosce tumultus suas quoque
A. C. 1605. vires impendere vellet, qui tamen Pon-
 tifici reposuit, quod inconsulto Cardi-
 nale Fratre suo nil decernere audeat:
 nihilominus mox Caprarola, Capri-
 monam contendit, ubi Farnesium cum
 quingentis Equitibus obviam habuit.
 Instruuntur interim Romæ iudicii acta
 atque, absens licet, Arturus cum cete-
 ris tribus Nobilibus, qui Licitoribus vim
 intulere, tanquam pacis publicæ per-
 turbatores exilii pœna damnantur. Pau-
 lopost Dominico Tusco, Ferdinando Ta-
 berna Cardinalibus, Governatore Romæ
 no, ceterisque justitiæ Ministris in unum
 congregatis deliberatur, an hic tumul-
 tus ad crimen læsæ Majestatis spectet
 proin contra reos mortis pœna decerni
 valeat? affirmantibus cunctis Tusco
 Cardinalis reposuit, in primarios Au-
 thores præ ceteris inquirendum, hos
 inter autem esse Farnesium Cardina-
 lem: Sparso hujus iudicii rumore quan-
 tocius Gaetanus, Mattheiensis, Fran-
 panus, Sant-Geminianus Duces, pluri-
 resque alii tempestitiva fuga Cajetam di-
 lapsi sunt: ceteri vero Romæ hæserunt.
 Parmensis Ducis, cujus adventus in-
 dies expectabatur, patrociniotuti. Pon-
 tifex vero iudicii acta Madritum trans-
 misit, quo comperto Villena Orator se-
 cum severitate legum agi veritus, gra-
 viter

viter apud Pontificem, ejusque Nepo-
 tem Aldobrandinum Cardinalem que-
 rebatur, debitæ etiam venerationis le-
 ges transgressus.

Sæc. XVII.
 A. C. 1605.

§. CXLIV.

*Hæc controversia per Parmæ Ducem
 composita.*

Hæc dum Romæ gerebantur, eo per-
 venit Parmæ Dux, cui viginti no-
 vem Cardinales ac plusquam trecenti
 Nobiles Romani unacum Oratore Hi-
 spano obviam processere. Hic ad Pon-
 tificis alloquium admissus nullo ferme
 negotio Clementem Papam ad veniam
 reis indulgentiam induxit: Attamen
 ejus Nepotem suæ autoritatis magis
 tenacem experiebatur; hic enim se ab
 Hispaniæ Oratore indigne habitum que-
 stus eundem pro delicti ratione castigari
 petiit: Loquentem interpellabat Vil-
 lena Orator Hispanus asserens, quod
 nonnisi ad inhibendam seditionem ad
 Farnesii Palatium accurrisset: de ce-
 tero autem omnem reconciliationis
 viam respueret, donec ea, quæ adver-
 sus ipsum ad Hispaniæ Regem scripta
 fuissent, revocarentur, ac re plenius
 inspecta, quod culpa vacaret, nuntia-
 retur: Bethunius vero Franciæ Regis
 Orator Hispanum debitis pœnis coer-
 ceri,

*Memoir.
 secret. a
 l'an 1605.*

*in hand
 1605*

Sæc. XVII. A. C. 1605. ceri, importunius a Papa postulabat nihilominus Parmæ Dux inter hoc complices & Aldobrandinum Cardinalem totum hoc dissidium tanta dextertate ac prudentia componebat, ut premissis Arthuro Anglo & Nautæ, pro modum ceteris quoque omnibus delicti venia concederetur: Re igitur tam feliciter composita Parmæ Dux ad Capitolium progrediens populo Romano pro tam propensa voluntate erga Felicianam Domum gratias rependit, deum vero Sanctitatis suæ pedes religioso osculo veneratus, ad Ducatum suum reversus est.

§. CXLV.

Clementis VIII. propositum de definienda Gratia controversia.

Abregé de l'hist. Eccles. tom. 10.

Hac molestia defunctus Pontifex controversiam solido septennio discussam adhuc ante mortem suam, quam morbo indies ingravescente, in vicinam præsenferat, Sedis Apostolicæ judicio dirimere anhellabat: urgebat quoque illius definitionem Philippus III. Hispaniæ Rex: suadebant insuper hanc decisionem tot consultationes de utriusque partis sententia habitæ, tot Cardinalium, Episcoporum ac Theologorum judicia, tot examina ac Congregationes

gationes institutæ, quibus ipsemet non modo tanquam Præses, sed & ut arbiter intererat. Præterea seria mente revolvebat Pontifex, omnes Molinæ assertiones tam a Fratribus Prædicatoribus denuntiatas, quam a seipso ex Molinæ libro decerptas iteratis fuisse censuris perstrictas: Insuper jam anno millesimo sexcentesimo primo sæpius Cardinalibus declarabat, quod ad tollendam Ecclesiæ offensionem demum hanc controversiam definire velit, uti Cardinalis Montaltius testabatur: Re autem quinto etiam examine satis mature discussa summus Pontifex hoc anno paucis ante obitum diebus Anselmo Marzato Cardinali Monopolitano, quem singulari amicitia dignabatur, declarabat, quod Constitutionem contra Molinisticos errores edere constituerit, pridie ante festum Pentecostes in primis Vesperis promulgandam: Ipse etiam Cardinalis Peronius definiendæ FF. Prædicatorum sententiæ propositum ab ipsomet Pontifice perceperat, cui tamen ille obsistens reposuisse fertur, quod, si quod Pontifex meditatur, definiret, ipse curaturus esset, ut huic Pontificio decreto universi Europæ Sectarii subscriberent, sancitamque doctrinam suis munirent chirographis. Hoc tamen Peronii responsum Bellogardius, aliique ad Frisonii

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

Vid. supra Lib. CLXXXV. S. VII. Fuligat. in vita Bellarm. l. 6. c. 7.

Gall. Purpurat.

Sæc. XVII. sonii fabulas a Balutio notatas rejiciunt.
A. C. 1605. primus enim, qui hoc dictum Per-
 nio adscripsit, erat Petrus Frisonius
 lim Societati aggregatus, illudque
 dam ad Clementem VIII. alii ad Pe-
 lum V. fuisse a Peronio dictum di-
 na, proin suspecta fingendi libertate
 ferunt. Utut autem res se habuerit,
 omnino insulsum esse videtur, asserere
 Clementem hoc Peronii dicto a prohi-
 benda Molinæ doctrina fuisse territum
 enim forte Lutherani & Calvinistæ animo
 magis obsequioso Apostolicæ huic defini-
 tioni subscripsissent, quid inde nocum-
 accessisset Romanæ Ecclesiæ? Quis
 vero Pontifici aut Ecclesiæ timendum
 si Lutherani & Calvinistæ, atque Un-
 versi Europæ Sectarii *in sensu Ecclesiæ*
 manifestato ac definito Molinæ doctri-
 nam damnassent, oppositumque dogma
 ad Ecclesiæ mentem suis chirographis
 muniissent? Num propterea Novatorum
 errores circa liberum arbitrium in Tri-
 dentina Synodo proscripti fuissent
 bilitati? aut forte Tridentini Concilii Pa-
 tres, quos inter ex Dominicanis erant
 non pauci, unacum Sectariorum erro-
 ribus pariter Thomistarum doctrinam
 damnabant, aut illam Ecclesia a Spi-
 ritu Sancto illustrata per tot retro se-
 cula vel impune tolerabat, vel illius
 falsitatem non agnoscebat, sed veluti
 S. Au-

S. Augustini, aliorumque Gratiae vindi-
cum doctrinae consonam inique vendi-
tabat? Nonne gravius damnum fuisset

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

Ecclesiæ illatum, si juxta P. Galliardi
consilium utramque sententiam pro-
pugnandi libertas concessa fuisset, quæ
tamen inter se sicut error & veritas re-
pugnare videntur? Ceterum Coronel-
lus, qui Sacræ Congregationi a secre-
tis erat, in suis actis diserte testatur,
quod Clemens Papa die vigesima se-
cunda Januarii hoc anno suam lucubra-
tionem de efficacia gratiæ concinna-
tam tanquam doctrinæ S. Augustini
consonam agnosci petierit, eo quod de-
crevisset, *brevi rem definire, & omnes con-*

*Ex authogr.
MS. Socie. de
variis rebus
pag. 380.*

controversias inter Patres Prædicatores & So-
cietatis exortas omnino dirimere. Clarius
hanc in rem differuit P. Georgius Du-
ras Societatis Assistent, qui secunda post
Clementis VIII. obitum die quinta Martii
hoc anno in suis literis ad P. Grego-
rium Rosephium Superioris Germaniæ
Provincialem Romæ Augustam datis hæc
perscripsit: *Flagellum, quod in suis literis*
scribebat R. V. imminere Societati nec u-
num illud, quod erat sane omnium maxi-
imum & præsentissimum sine ulla spe reme-
dii, sed alia per multa: Ex iis quædam at-
tingam Reverentiæ Vestræ seorsim, aliisque
per paucis nostris prudenter communicanda.

I. Disputatio de Auxiliis post unum Con-
Hist. Eccles. Tom. LIII. Oo gre-

Sæc. XVII. *gregationem, quæ restabat, definienda cre-*
A. C. 1605. *debatur contra Molinam, ut communis*
rebat opinio, non tam rationum pondere,
quam authoritate Judicum, qui tunc omnes,
ut constat, partiales erant delecti ad con-
demnandum potius, quam judicandum.
De privilegiis nostris de decimis, cum
adeo multa alia Societatis Privilegia in
dubium vocabantur, & revocanda putab-
bantur. Tum etiam Constitutio reus
propemodum, quæ etiam Societatem in-
tingebat, qua omnes Congregationes &
Sodalitates Ordinariis subiciebantur. De-
nique totum Institutum Societatis altim-
dum timebatur valde probabiliter. Sed
exaudiet Deus preces &c. Pater noster Ge-
neralis melius se habere pergit, & re-
tiari cepit. Heri mihi dixit, præ-
tias pro necessitate indictas a V. R. re-
sare debere: satisque fore, si aliqua præ-
ces indicantur pro electione novi Pontifi-
cis. Ex hoc igitur domestico testimo-
nio, aliisque allatis haud dubitandum
videtur de mente summi Pontificis,
quamvis ardens ejus desiderium, in-
mique propositum mors præmatura
dissipavit.

§. CXLVI.

Clementis VIII. Papæ obitus.

Enimvero hic Pontifex vigiliis, et
 xiisque curis absumptus, nec non
 doloribus podagræ confectus die tertio
 Martii

Ciacon. in
vita Clem.
tom. 4.
Palat. in

Martii decimo tertio Pontificatus sui *Sæc. XVII.*
 anno ætatis vero paulo minus septua- *A. C. 1605.*
 gesimo animam Deo reddidit, non sine
 ingenti omnium luctu; vix enim ullus *vit. Pontif.*
 in Christiano orbe Princeps erat, quem *Ciacon. in*
 Clemens sibi insigni aliquo beneficio *vita Clem.*
 non devinxerat. Erat in se austerus, *VIII.*
 profusus tamen in ceteros, liberalis in
 probos, atque in Doctos præcipue mu-
 nificus. Propagandæ insuper Reli-
 gionis Catholicæ studiosissimus Infideles
 & schismaticos Orientales ad Ecclesiæ
 unionem Regia prorsus liberalitate in-
 vitabat. missis etiam ad illos Apostolicis
 Viris, pertinaces vero Protestantes Sa-
 cro fœdere inter omnes Principes Ca-
 tholicos (excepto Franciæ Rege &
 Etrusco Duce) sancito ad saniora redu-
 cere moliebatur: plurima etiam tum
 sacra tum profana ædificia aut fundi-
 tus erexit, aut collapsa restauravit,
 ac præter tria Seminaria, Collegium
 a suo nomine *Clementinum* dictum, ædes
 Vaticani Pontificias, ipsamque D. Petri
 Basilicam & Lateranensem Ecclesiam
 novo decore augustiorem reddidit, ac
 Carmelitis discalceatis, quos unice a-
 mabat, præter plurima alia beneficia
 Ecclesiam *de Scala*, dictam donavit.
 Religiosas quoque familias ad pristinum
 disciplinæ fervorem revocare intentus,
 plurima admodum salutaria condebat

Sæc. XVII. statuta, omnesque optime regendi ac
 A. C. 1605. tes mirifice edoctus, iisdem insigni tem-
 peramento pietatem erga Deum, Ze-
 lum pro ejus Ecclesia, ac publica be-
 nivolentia conjunxit. Præpollebat etiam ve-
 ra in rebus gerendis dexteritate, ac-
 tiva in rebus arduis fortitudine, quæ
 pacem inter Henricum Franciæ & Phi-
 lippum Hispaniæ Reges non sine totius
 Orbis admiratione conciliabat: nec mi-
 nus beneficum se exhibuit erga paupe-
 res, quorum decem singulis diebus laute
 instructa mensa alebat. Insuper insigni
 Annalium Ecclesiasticorum opus præ-
 cæptum Pontificia munificentia urge-
 bat. Postremis vero diebus animi
 mortali cura penitus abstracto piis ex-
 citationibus totum se tradebat, Sacra-
 que Sacramentis singulari pietate le-
 sceptis inter Psalmos, precesque Divi-
 nam Clementiam sibi adesse efflagitan-
 ad mortem pie obeundam sese compa-
 rabat, hancque vitam denique imperi-
 rio non tam diuturno, quam gloriose
 gesto clarus deserebat. Huic Ponti-
 ficatum a Paulo IV. prædictum, necnon
 a quodam Astrologo Cardinalatum, Ro-
 manum Pontificatum, atque duode-
 cim annorum regimen fuisse præter-
 titatum referunt Historici. Corpus ejus
 primo in Vaticana sepultum postea ad
 Liberianam Basilicam translatum Pat-

lus V. magnificentissimo monumento Sæc. XVII.
A. C. 605.
honorabat.

Nec tamen piissimus hic Pontifex lividos Protestantium dentes effugere poterat; apud illos enim quilibet jam vitiosus est, ex eo, quod Papa fuerit. Horum autem calumnias jam Floremundus Remundus confutabat. Carpunt Clementem, quod Bibliorum Lectionem rudibus omnino interdixerit: præterea ob foedus contra Protestantes meditatam demonstrasse dicitur *ingenium Zeloticum sanguinariis aulae Romanae præceptis imbutum, astutum præterea ac politicum, inque artibus aulicis tam egregie versatum, ut inter Pontifices insigniores horum temporum sit numerandus calculo Romano.* Hanc astutiam Clementi exprobrant Calvinistæ, dolore tacti, quod eis duos sui Protoparentis Propinquos eripuisset: hac tamen in re Clemens non alia usus est astutia, quam D. Paulus erga Corinthios, de quibus dixit, *cum essem astutus, dolo vos cepi.* Præterea Jacobus Thomas insulse admodum refert, quod Clemens Platoniam Philosophiam in Scholas Christianas reducere tentarit, ei vero, ne id faceret, persuaserit Bellarminus, adjecta causa, quod ea præ aliis Gentilium Philosophorum sectis ad Christianæ Religionis placita proxime accederet, ideo-

Sæc. XVII. que ad seducendos homines & simplicitatem fidei corrumpendam majus illa periculum immineret; *Risum tenentis* &c.

Ceterum veritatis amore haud simulandum, quod Clemens erga sanguine junctos præcipue Cardinales Aldobrandinum nimium indulgens profusus fuerit: sed quis sine nævo in terris?

§. CXLVII.

Cardinales pro eligendo novo Pontifice conclave ingressi.

*Palat. vit.
Leon XI.
Ciacon. ibid.
Abrége de
l'hist. Eccl.
tom. 10.
Perrom. l. 2.
epist. Gall.*

Justis de more Clementi VIII. peritus Cardinales numero sexaginta & unus ad successorem sibi diligenter in Vaticano convenere, atque ad Capitis electionem eleganti oratione animati una omnes in Divi Pauli Sacello Sacram Synaxin recipiebant: postquam vero ad suffragiorum scrutationem processerant, compertum est, potissima eligentium vota in Alexandrum Octavianum Medicæum, Cæsarem Boroniam, & Bellarminum collimare: inde vero æmulationes ac privata electionum studia exardescere cæperant; Medicæo enim favebant Galli, refragabantur Hispani, in quemlibet alium consensuri: Roberto Bellarmino pariter

famæ Cardinali, præpotens Montalti-
 na factio sese opponebat: Baronium, Sæc. XVII.
A. C. 1605.
 forte in Hispanorum odium, exclude-
 bant Cardinales natione ac studio Galli:
 Postquam vero per eos dies idem suum
 Annalium Ecclesiasticorum undecimum
 vulgaverat volumen, atque in eo ad-
 versus Philippi Hispani Regis supremam
 in Siciliæ Regno auctoritatem, quam
Monarchiam appellant, acrius pugnave-
 rat, eandemque suspectis niti testimo-
 niis scripserat, mox Hispani etiam hanc
 ob causam omne impendebant studium,
 ut Virum hunc celebratissimum a thia-
 ra Pontificia excluderent.

§. CXLVIII.

*Alexander Medicæus Cardinalis in
Papam electus, ac Leo XI. dictus.*

Igitur Baronio omni spe deiecto, ac
 Bellarmino paucis admodum suffra-
 giis suffulto, omne studium in solum
 Alexandrum Medicæum convertitur,
 incassum reclamante Francisco Avila
 Cardinale Hispaniarum Protectore;
 prævaluit enim Petrus Aldobrandinus,
 & Franciscus Joyosa Gallus, qui tot
 sibi devinctos numerabant, quot ad
 quemvis alium a Solio arcendum suf-
 ficerent: quocirca die prima Aprilis
 Cardinales Apostolorum coetum refe-
 rentes

Sæc. XVII. rentes Alexandrum Medicæum septuagenarium plurimorum suffragiis ex-

A. C. 1605. titum eo electionis genere, quod *rationem* vocant, ad Apostolicæ Sædis apicem evexerunt, non sine ingentium Principum lætitia, qui sibi ob-

Andr. Mauror. lib. 16.

minis sui famam nil nisi magnam atque excelsa pollicebantur. Hic lecto Leonis XI. nomine die sequenti Divi Petri Basilicam delatus, iterum pro more a Cardinalibus in hominum testimonium osculo honorabatur, de vero ipso Dominicæ Resurrectionis Thiara a Francisco Sfortia coronatus sub festivis populi acclamationibus, curæ bene precabatur: Jam olim hæc dignitatem fausto omine eidem Clemens VIII. vaticinabatur, quam minorum suffragio obtentam mox Venetico-electo Papæ solemnibus legationibus gratulati sunt, pari eum quoque honore venerabatur Marchio Villena Regis Catholici Orator, cui ad pedis osculum admisso Leo hæc dixerat: *Regi tuo scribas velim, quod majorem me hac in Cathedra non conspexerit amicum, nec conspiciat.* Ceterum nova Pontificatus auspicia omnino præclara, & augusta; Tria quippe sibi in supremo hoc munere promovenda, proposuisse affirmabat, scilicet, bonorem erga Deum, in Pontificatu Majestatem, in cunctos liberalitatem.

Cardi-

Cardinales quoque omnes singulari ac vere paterna complectebatur benevolentia, eos tamen enixe rogabat, ne unquam, quod suam conscientiam gravaret, ab eo peterent, de cetero se nihil, quod Deo placeret, ipsis petentibus denegaturum pollicebatur. Præterea cunctos, a suis Prædecessoribus provisos in suis Officiis, atque Oratores in suis Legationibus confirmabat: Arigonium Cardinalem Datarix, ut vocant, Capponium vero Pontificio ærario præfecit, subjectas quoque Provincias, quantum poterat, vectigalibus a Clemente VIII. ad alendos milites impositis exonerabat, id petente Antonio Maria Gallo, quem eo ex nomine laudabat, quod pro prima gratia non privatum ab eo postulasset Beneficium. Porro plurimis aliis prorsus egregie gestis spem de se conceptam, quæ suis meritis adhuc inferior erat, opere compleverat.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

§. CXLIX.

Gesta hujus Pontificis ante illius electionem.

Hic idem Pontifex ex Medicæa Familia, ex qua intra unius sæculi spatium tres ad summum Pontificatum evecti florere, anno Christi millesimo

Ciacon. l. c.
Abregé de
l'hist. Eccles.
tom. 10.

O o 5

quia-

Sæc. XVII. quingentesimo trigesimo quinto Floren-
A. C. 1605 tiæ natus Alexander Octavianus no-
 minabatur, qui ingenuis, piisque mo-
 ribus imbutus, ac scientiarum laude
 clarus Ecclesiasticæ militiæ post Marti-
 suæ obitum nomen dabat, non nisi iugli-
 vniæ legis meditatori, ac virtutum exer-
 citiis vacans; cum autem ingenii præ-
 stantis, acris iudicii, atque excellen-
 timi donis liberaliter esset auctus, pri-
 mo Pistoriensis Episcopus, postea ad
 Pium V. Etrusci Ducis Orator, ac de-
 mum Florentinus Archipræsul reman-
 tiabatur: Pervulgata autem suæ pro-
 dentia, ac Religionis fama a Grego-
 rio XIII. Cardinalium Collegio adhi-
 ptus, a Clemente VIII. cui hujus Viri
 integritas, atque in rebus bene gene-
 dis dexteritas probe cognita erat, ad
 conciliandam universæ Europæ pacem
 Legatus decernebatur, quo munere
 præcipue in Galliis, ubi ligæ reliquias
 ad obsequium reducerat, tanta nomi-
 nis sui gloria, ac Regni utilitate fun-
 gebatur, ut Henricus Rex ipsemet Cle-
 menti gratias egerit, quod Virum pro-
 bit te, prudentia, moderatione ac sin-
 gulari erga coronam Gallicam propen-
 sione conspicuum ablegasset. Eo tem-
 pore, quo Romæ agebat, omnia
 ferme sua bona in exornandas Ec-
 clesias & sublevandas pauperum neces-
 sitates

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

sitates profundebat, insigne prorsus Curia ac Purpuræ Romanæ decus atque ornamentum. Palatium suum, quod incolebat, in Literatorum Gymnasium & inopum hospitium esse mutatum videbatur: semper etiam nativo prorsus odio abominabatur pecuniarum aviditatem, vindictam, tyrannidem, aut nimis propensum in Propinquos studium: Ut autem amplissimam laudem, quam ejus merita deposcerent, uno completar verbo, dixisse sufficiat, quod etiam omnes hæretici, quibus æquissimos quosvis Pontifices calumniandi libidinem sectæ suæ fanaticus instillat, in Leone nihil, quod reprehenderent, invenerint, præterquam quod eum solo hoc nomine in Pontificem a Cardinalibus fuisse electum asserant, quia senex erat, & nulli factionum specialiter addictus.

§. CL.

Prospera ejusdem Regiminis auspicia.

Præter communem Orbis Christiani applausum præcipue Romani incredibili tripudiabant lætitia; cum nil nisi magna in Ecclesiæ augmentum, & proficua in populorum commodum eum moliri cernerent; suos enim proventus nequaquam in sibi sanguine junctos diffunde-

Sæc. XVII. fundebat, quinimo ex suis amicis
 A. C. 1605.

*Baron. An-
 nal. tom. 12.
 ad ann. 1187.
 n. 20.*

*Aubert. Mir.
 Bibl. Script.
 Sæc. XVII.
 Annal. Car-
 mel. Disc.
 tom. 2. l. 3.
 c. 43. P. Phi-
 lipp. decor
 Carm. part. 3
 Ciacon. l. c.*

quendam, qui adulandi studio om-
 nes propinquos etiam remotiores in
 quadam scheda descriptos tradebat, non
 sine animi commotione a se repulit. In-
 stabant quoque non pauci, ut prones-
 tem suum, quem penes se educabat,
 ac in paucis carum habebat, Cardine-
 lem crearet, frustra tamen erant im-
 portunæ eorum preces: cum autem
 Cardinales quidam ac Regnorum Le-
 gati varios ad Purpuram evehentes
 ægrotanti Pontifici proponerent, ac il-
 le etiam, quem a Confessionibus habebat,
 ejusmodi suasiones precesque re-
 gereret, eundem a se expulit, inhibens
 ne amplius ad eum accederet, utpote
 quem magis indulgere affectui conjuga-
 torum, quam animæ suæ saluti con-
 sulere cognovisset: eapropter ad Sacram
 hoc pœnitentiæ munus impendendum
 selegit postea Petrum a Matre Dei
 Rocca Hispanum Carmelitam Disci-
 ceatum Sacri Palatii Concionatorem
 jam a Clemente VIII. designatum, sub
 cuius etiam ministerio Pontifex animam
 Deo feliciter reddiderat: Deceverat
 equidem paulopost quosdam ad Car-
 naliū dignitatem extollere, non tamen
 illos, qui sola sanguinis claritate aut Prin-
 cipum favore commendati essent, sed qui
 meritorum excellentia, atque Ecclesiæ
 obli-

obsequio insignes ac digni reperirentur, Sæc. XVII. A. C. 1605.
 talem vero reputabat Lælium Ubal-
 dinum Nepotem suum, cui Leo Papa
 adhuc Cardinalis, cum conclave ingre-
 deretur, ut habitum Carmelitarum Di-
 scalceatorum assumere posset, se per-
 missurum sponderat, quo etiam in
 Pontificem electo, dum adorationis so-
 lemmitas explebatur, ipse annuente
 Leone in conventu Sanctæ Mariæ de
 Scala habitu S. Theresiæ vestitus, a
 Patre Petro a Matre Dei, qui Confes-
 sarii munere in Conclavi fungebatur,
 post meridiem ad deosculandos Avun-
 culi sui pedes deducebatur, quem Papa
 deosculatus nomen suum ei imposuit,
 eumque Alexandrum a Sancto Fran-
 cisco appellavit, intimi sensus intensio-
 ne inquires: *Hæc est mea promotio: Hic
 meus est Cardinalis, quem creo.*

§. CLI.

Hujus Pontificis obitus.

Attamen Leo XI. dum præclaram Pon-
 tificatus administrationem animo
 volvit, morte præventus, bene salubri-
 terque cogitata exequi non valuit; die
 enim octava Resurrectionis Dominicæ,
 dum aperta lectica vectus inter festivos
 lætantis populi plausus, erectosque ar-
 cus triumphales pro more ad Latera-
 nensem

*Palat. &
 Ciacon. l. c.
 Vicentius
 Puccinus vit.
 S. Magdal.
 de Pazæ
 Baccius l. 3.
 cap. 36.*

Sæc. XVII. nensem Ecclesiam processerat, flactu
A. C. 1605 austri intemperie, ac denso agmine coc-
 cursitantis populi impetu pressus in le-
 thalem morbum incidit, moxque vite
 suæ finem appropinquare præsensit, hinc
 immemor illius vaticinii, quo Maria
 Magdalena de Pazzis Carmelitana Vi-
 go tum Sanctitatis fama insignis Ro-
 manam quidem Infulam, sed brevissi-
 mum Sacri imperii tempus eidem præ-
 dixerat: idem quoque jam antea Sa-
 ctus Philippus Neri ei tum Etrurie
 Ducis legationem obeunti palam vati-
 cinabatur disertis his verbis: *Tu qui-
 dem & Cardinalis fies, & Pontifex, ve-
 rum citissime morieris:* Hoc igitur præ-
 sagio munitus imperterrite mortis ma-
 tium excipiebat; ac paulopost Petrus
 Petri a Matre Dei, quo Sanctiorem tum
 Romæ vix aliquem reperiri potuisse
 testatur Baronius, piis hortationibus,
 Sacrisque Sacramentis munitus die Re-
 giminis suscepti septimo supra vigeli-
 mum Orbi Christiano lege mortalium
 ereptus est. Morbi mortisque genus
 eodem die vigesimo septimo Aprilis Pe-
 ronium Cardinalis Henrico Galliarum
 Regi perscripsit: Historicorum nonnulli
 referunt Leonem veneno infectum oc-
 cubuisse, quod tamen temere affirmari
 testatur Andreas Maurocenus; nemo
 enim ferme magnus & excellens sine
 veneni

veneni suspicione moritur, amatque Sæc. XVII.
 vulgus de insignium Virorum præcipue A. C. 1605.
 Pontificum exitu atrociam credere, & di-
 vulgare. Alii vero haud inanem fuisse
 hanc suspensionem eo ex capite autu-
 mant, quod huic Pontifici in Ecclesia
 Lateranensi Rosa quædam fuerit ob-
 lata, ex cuius contactu pariter ea-
 dem die Chiappinus Vitellius Sacro-
 rum Rituum Magister, & Olympia Al-
 dobrandina eadem nocte repente ceci-
 derunt, Pasquino minus honeste ca-
 nente: *hac nocte periere Leo, Vitulus,*
Vacca. Ceterum defuncti Pontificis
 corpus in Basilicam Vaticanam trans-
 latum, atque a Roberto Ubaldino Pro-
 nepote suo nobili tumulo conditum
 requiescit.

§. CLII.

*Cardinalium comitia pro subrogando
 novo Pontifice.*

Vacabat Apostolica Sedes nonnisi octo-
 decim dies, interea vero justis de-
 functo Pontifici tam Florentiæ quam
 Romæ in Vaticana Basilica persolutis,
 die octava Maji Cardinales Vaticanum
 Conclave comitia celebraturi ingressi
 sunt numero iidem, uno dempto Car-
 dinale Agucchio, qui eadem, qua Leo XI.
 die obiit. In primo Purpuratorum con-
 fessu

*Palat. in
 vita Paul. V.
 Ciacon. ibid.
 Joegerus in
 hist. Conclav.
 Paul. V.*

Sæc. XVII. fessu Alexander Burgius Episcopus de
A. C. 1605. subrogando Pontifice ornatissimum pec-

orabat sermonem, quo absoluto ac re
 Divina pro more peracta in varios ar-
 ticulos ex communi Purpuratorum in-
 tentia juramenti Religione consentien-
 quos inter vigesimo septimo in-
 citum est, ut quisunque in Pontificem
 assumeretur, controversiam de Auxilio
 gratiæ brevi dirimeret: postmodum pri-
 ma Scrutinii sorte de Cardinalibus
 mente experimentum capiebatur; tum
 vero potissima eorum suffragia eo col-
 limabant, quo vel propriæ utilitatis vel
 privati affectus studium illos impelle-
 bat: inter præcipuos vero, qui potentiora
 suffragiorum numero ad Pontificatum
 nominabantur, erant Cardinales, Domi-
 nicus Tuscus, Cæsar Baronius, Ben-
 edictus Bellarminus, Antonius Saulus,
 Marianus Camers, & Franciscus de Co-
 mitibus: Præprimis in Dominicum
 Tuscum Mutinensem Episcopum con-
 spirabant Hispani & Galli, jamque ad
 Divi Pauli Sacellum, ut ad ejus pedes
 homagium præstituri procumbere-
 procedebant Purpuratorum non paucorum
 cum repente Baronius exclamaret, quod
 „Tuscus Ecclesiæ inutilis, parumque
 „idoneus Christianæ Reipublicæ futurus
 „eretur; quamvis enim pluribus ob-
 „tineret prærogativis, ætate, scientia,
 „moribus

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

„morum comitate, ac præcipue a sum-
 „morum Principum servitute, partium-
 „que studio immunis esset, in dicendo
 „tamen nimia libertas parum honestis
 „nonnunquam inspersa verbis obstaret;,
 hoc unicum ei objectum crimen ceteros
 absterrebat, ac Tuscum a Thiara,
 quam manu tenere videbatur, detur-
 babat; quippe Baronio tanta libertate
 mentem suam promente, adeo ingens
 strepitus excitabatur, ut illico Montal-
 tus, Sfondratus, alique Cardinales a
 Tusco recederent, Baronius vero, eo-
 quod æquitatis testimonium sua sibi con-
 scientia redderet, posteros hujus facti
 memores fore gaudens, illud Psalmi
 centesimi primi usurpabat, *scribantur*
hæc in generatione altera: Tantopere pla-
 cuit Purpuratis intrepidus tanti Viri
 Zelus, ut reliquis in Paulino Sacello
 persistentibus, duo ac viginti in Sixti-
 no ab aliis sejuncti convenirent, atque
 inter eos Cardinalis Montaltus Aldo-
 brandino diceret: *collocemus Sanctum*
hunc Virum in S. Petri Cathedra. His
 quoque accesserat Cardinalis Justinia-
 nus, aliis pro Tusco perorantibus: fer-
 vente autem competitorum æmulatio-
 ne Baronius se tantæ dignitatis impa-
 rem proficens, omni verborum ratio-
 numque vi adhibita Cardinalibus, qui
 ipsum deposcebant, restitit, ut dignif-
 - *Hist. Eccles. Tom. LIII. P p summa*

Sæc. XVII. finum eligerent, enixe precatu. Tum
 A. C. 1605. fluctuantibus in incerto animis Aldo
 brandinus a suis sciscitabatur, cui ego
 tantum munus demum deferemus? nil
 hæsitans respondit Montaltus, nulli
 teri nisi *Burghesio*, cui pariter suo
 fragio accessit Joyosa Cardinalis cum
 sua factione Gallica.

§. CLIII.

Camillus Burghesius in Papam electus.

Maurocen.
lib. 16.

Erat tum Camillus cum Arrigonio in
 suo cubiculo, quorum uterque, quod
 ætate ad Papatus dignitatem se immu-
 tuos crederent, longe alia animo
 lütabant consilia: cum autem forte Bur-
 ghesius e cubili egressus, lento pede
 cederet, ecce! repente eo conspicitur
 Cardinalium nonnulli Burghesium
 clamant, moxque una eademque vox
 in omnium ferme Cardinalium ore re-
 sonat, Burghesium divino potius nutu
 quam humano ad supremum Ecclesie
 apicem esse selectum. Accedebant pa-
 riter ceteri Cardinales, qui prius am-
 bigui hærebant; quocirca in Pauli Sa-
 cellum quantocius eundem reducentes
 vivis suffragiis sigillatim Pontificem die
 decima sexta Maji hora noctis secunda
 declarant, cunctis de hac electione Deo
 potissimum impulsu facta eidem con-
 gratantur.

gratulantibus; solus mæstus cernebatur Sæc. XVII.
 neo - electus Pontifex, aut ob rei no- A. C. 1605.
 vitatem, aut inopinatum nunquam spe-
 ratae amplitudinis eventum stupore vel-
 uti defixus: forte etiam veneni timor,
 mortisque metus mœrorem auxit, Astro-
 logis novum Pontificem ante Septem-
 bris exitum vita privandum vaticinan-
 tibus, quorum tamen viginti tres a
 Burghesianis inclusi, vel assentandi stu-
 dio, vel mutabili impiæ hujus artis
 commento Papam octodecim omnino
 annos regnaturum prodidere. Ut ut
 sit, Burgheius in Christi Vicarium pro-
 mulgatus *Pauli* sibi nomen assumpsit
 cognominum sibi Pontificum *Quintus*,
 qui die vigesima nona ejusdem Mensis
 a Francisco Sfortia Cardinale coronatus
 Lateranensem pompam ad æstivos ca-
 lores provide declinandos in sextam No-
 vembris distulit, die autem prima Ju-
 nii cunctis Cardinalibus in publico Pa-
 trum confesso gratias agens, postridie
 Ginnasium, Zapatam, Doriã & Ma-
 drutium jamjam a Clemente VIII. Car-
 dinales electos rubro galero exornabat,
 quo honore pariter F. Alexandrum Præ-
 decessoris sui Nepotem honorasset, nisi
 hic ea, qua inclaruit humilitate, in-
 duto Carmelitarum excalceatorum ha-
 bitu Purpuram recusasset. His peractis,
 indictisque anni Sacri indultis, Cæsa-
 ris,

Sæc. XVII. ris, Regum ac Principum Legatos non
 A. C. 1605. minus Pontificia Majestate, quam pa-
 terna benevolentia excepit: Cardinalibus
 vero, qui varia primis inaugurationis
 suæ diebus petebant, cuncta denegabat,
 dictitans, quod æstuante animo quandoque
 injusta concedi, æqua denegari soleant,
 petitis pro meriti ratione non satis mature
 perpensis: die tamen decima octava plures
 Praelatos exigente temporum necessitate
 decorabat officiis: tandem vero de præstituta
 solemnè ad Lateranensem Basilicam equo
 vectus processit. Ceterum Scriptores in
 deprædicationibus hujus Papæ laudibus
 certant, quorum nonnulli illum libertatis
 & authoritatis Apostolicæ vindicem,
 Virum probæ atque innocentia conspicuum,
 moribus irreprehensibilem, doctrina,
 prudenti rerum usu tantæ dignitati
 consonum præditum commendant. Alii eum
 liberali corporis specie, firma valetudine,
 morum comitate, beneficentia, rerum
 magnarum capacitate, Religione, justitia,
 clementia, haud affectata Majestatis
 gravitate, Zelo fidei & pietate in
 pauperes insignem depingunt: ex alio
 vero Maurocenus Nobilis Venetus in
 sua Historia ipsum *neque publicorum
 negotiorum usu præstantem, neque cum
 Principibus summis in rebus agere assuetum,*

vilique consuetudini parum deditum, ac ingenio potius ad res privatas quam publicas gerendas idoneum nobis exhibet: Forte Maurocenus, dum hæc scribebat, alta mente repostam habebat hujus Pontificis severitatem contra Rempublicam Venetam.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

§. CLIV.

Cognitio causæ Molinisticæ a Paulo V. resumpta.

Quamprimum Paulus V. Divi Petri Cathedram conscenderat, hinc Philippus III. Hispaniarum Rex, illinc Henricus IV. circa Molinæ causam sua interponebant officia, hic quidem ut hujus controversiæ definitionem Societati infaustam præpediret, ille, ut brevi contentiones & scandala ex hoc diffidio orta tollerentur. Nec otiosi hærebant Molinæ fautores, qui, ut neoelectum Pontificem saltem ad tolerandam Molinæ doctrinam vel impositi utrinque silentii legem sensim disponderent, supplicem libellum ineunte Mense Augusto summo Pontifici porrexere, in quo quæstiones hucusque agitatae non nisi facti humani quæstiones, quæ sub fidei definitionem nullatenus cadere possent, fuisse exponebant; non enim, in-

*Hist. Congreg. l. 4. c. 1.
Hist. contrav. l. 6. c. 1. p. 55.
Abregé de l'hist. Eccles. Siècl. XVII.
Ex Tabul. General. Rom. Ord. Præd.*

Sæc. XVII. SS. Augustini & Thomæ sententia videtur
A. C. 1607. esse controversia, ergo explicandum videtur
 quid hi duo de quæstionibus propositis
 serint. Quis autem dicat, pertinere ad
 dem, quid hic aut ille quamvis insigni
 trina vel Sanctitate clarus vel existimat
 vel docuerit? Res quidem ipsa, quam
 duo THEOLOGI tradiderunt, ad
 fortasse objectum spectare utcumque potest,
 fuisse autem illos hujus vel illius sententia
 ambiguum erit, proin fide Catholica de
 niri non poterit; in privatorum enim
 declarandis, quæ humano studio deteguntur,
 dubitandum, an Papa possit
 sibi infallibilem Spiritus Sancti assensionem
 certo polliceri: Eapropter antiqui Pontifices,
 cum de privato Authore agunt, de
 minis quidem doctrinam & sanctitatem
 dant, nunquam tamen cujuscumque sententiam
 explicandam suscipiunt, & hoc vel illi
 quempiam sensisse definiunt, idque tanquam
 fidei dogma proponunt: Itaque FACTI
 HUMANI quæstio nunc dijudicatur, quæ
 tamen sub fidei definitionem cadere
 modo potest (*): Quid de hac sententia
 ratione censendum, aliis perpendendum

(*) Haud dissimulandum, quod P. Livinus loco cit. hunc libellum non Paulo V. sed Clementi VIII. & quidem non a Jesuitis sed a quodam incerto authore oblatum fuisse asserat.

dum relinquimus, id unice observa- Sæc. XVII.
 mus, quod quiscunque ita locutus fue- A. C. 1605.
 rit, diserte hoc in loco principia distin-
 ctionis inter quæstiones facti & juris ad-
 struat, quam tamen postea, & quidem jure
 merito, contra Jansenistas omni virium
 contentione alii impugnabant. De ce-
 tero Molinistæ omne studium in id con-
 vertebant, ut Pontificem a discutien-
 dis Molinæ propositionibus averterent,
 atque ex adverso totam disputationis
 molem in examinandam phylicam præ-
 determinationem retorquerent. Hanc
 in rem Bellarminus viginti proposi-
 tiones, quæ tamen nec ex Molinæ libris
 haustæ, nec unquam in controversiam
 vocatæ fuerant, summo Pontifici offe-
 rebat. Attamen Pater Lemos die quarta
 Junii succincta responsione, demonstra-
 tum ibat, quod Bellarminus partim
 quædam verbis affirmasse, re ipsa au-
 tem & inspecto verborum sensu, ne-
 gasse, partim efficacis gratiæ in volun-
 tatem operandi modum non explanasse,
 videatur, quamvis gratiam ex se ipsa
 efficacem docendi plenam Thomistis re-
 liquerit libertatem.

§. CLV.

*Petri Lombardi Archiepiscopi Ar-
 machani oratio pro maturanda
 causæ definitione.*

Pp 4

Cum

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

Cum summus Pontifex hujus negotii gravitatem probe perspiceret, cunctaque pro merito causæ mature ponderanda censeret, hinc doctissimorum judicia exquirere, atque utriusque partis rationes investigare cæperat. His inter præprimis Cardinalis Perroux vel Henrici IV. mandato, vel certam propria auctoritate suggessit: *rem esse præcipitandam, sed audienda certarum Academicarum judicia, Synodum etiam Generalem pro rei gravitate convocandam: ut autem injecta Parisiensis Academiae auctoritate causæ definitionem præpediret, mox addebat, alioquin cavendum, ne Parisiensis Academia, universaque Galliarum regnum Apostolicæ definitioni repugnaret.* Ex adverso Jacobus Bossutius Doctor Sorbonicus, quo Perroux verba spectarent, haud ignarus, impide Pontifici, si indecisa quæstione Congregationes solverentur, maximum toti Ecclesiæ imminens periculum denuntiabat, pollicitatione facta, quod Parisiana Universitas Pontificio iudicio obsecutura, illudque ipsemet Rex proposito privato affectu excepturus esset. Suffragabatur Bossutio Petrus Lombardus Armachanus Archipræsul, atque Hiberniæ Primas, Vir suo ævo longe doctissimus, qui dirimendæ hujus causæ necessitatem eruditissima oratione demon-

demonstraturus hunc in modum exorsus Sæc. XVII.
 est. *Inter curas omnes Romano Pontifici A. C. 1605.*
 pro Apostolici muneris Principatu incum-
 bentes, prima & maxima sit, qua debet in-
 vigilare, ut doctrina fidei christianæ per greg. Ap-
 universam Christi Ecclesiam in ea conser-
 vetur integritate, quam Timotheo suo pro ^{pend. n. 12.}
 parte sollicitudinis ejus commendat D. ^{pag. 117.}
 Paulus, ita illum admonens: o Timothee,
 depositum custodi, devitans profanas vo-
 cum novitates, & oppositiones falsi no-
 minis scientiæ: id tui Prædecessores, Bea-
 tissime Pater, tum contra errores alios
 circa hanc doctrinam temporibus suis e-
 mergentes, tum præcipua quadam seduli-
 tate, cooperantibus etiam aliis Catholicis
 Episcopis, contra illas præstiterunt opi-
 niones, quibus beneficium gratiæ Dei, qua
 per Christi meritum ad bene vivendum ad-
 juvamus, evacuari, aut quoquo modo ex-
 tenuari animadvertant.

Et merito: quippe illarum opinionum
 contagium ejusmodi esse noverant doctissi-
 mi Sanctissimi que Pontifices, ut præter
 communem cum reliquis hæresibus perni-
 ciam, quam certo assert animis, soleat e-
 tiam ab eo peculiare imminere eis periculum,
 qui alioqui in Ecclesia Dei supra alios vir-
 tutum laude videntur eminere: quorum pro-
 inde vita uti pluribus prodesse apta, si fun-
 data sit in ea humilitate, cujus proprietas,
 sicut ait D. Prosper, in confessione est gra-
 tiæ

Sæc. XVII. *tia* Dei, quæ tota repellitur, nisi tota

A. C. 1605. *scipiatur*: ita si in elationem rapiantur, quæ

se cum Deo componentes, suarum laudum
atque meritorum partem aliquam tantam
propriam sibi vendicent, quanto altius
tutis arcem se conscendisse existimant, tam
gravius & corruunt ipsi, & plures sem
prosternunt in ruinam.

Cum autem ab annis hæcenus mille cir
citer & ducentis sæpius sint exortæ opinio
num concertationes circa Orthodoxam de
gratia doctrinam; qui primi eam aperitæ
& acrius impugnarunt, fuerunt Pelagius
Cælestius, & his se associans Julianus.

Quare qui tunc Romani Pontifices erant
Innocentius primus, Zozimus & Bonifa
cius, adjuvantibus eos compluribus aliis
episcopis, & diversis Episcoporum Con
ciliis, doctrinam Ecclesiæ de hoc argumen
tam strenue & sollicitè defenderunt, ut ip
rum inimicorum gratiæ Dei damnatis erro
ribus, ipsos etiam, postquam his pertinaci
tius inhæerere deprehensi sunt, a communio
ne fidelium, priores duos eiecerunt; ter
tius insuper sic coercuit, ut contra eos nihil
fuerit, non solum Apostolicis, sed etiam
Regis piissimorum Imperatorum Edictis, in
istius hæreseos Authores, & sectatores latè.

Unde, ut propius ad nostra descendam
tempora, quæ quanto propinquiora sunt
mundi, tanto errorum abundantiora sunt
prædicuntur in Scriptura Sacra, ex quo

vir doctissimus Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, Magister Sententiarum di-
 stus, Theologiam ex Sententiis Patrum, & Sæc. XVII.
A. C. 1605.
 præcipue Divi Augustini redegit in Metho-
 dicam summam: qui interea illum interpre-
 tati fuerunt diversorum Ordinum Religiosi,
 quamvis & ipsi passim profiterentur, &
 propositum habere viderentur D. Augusti-
 num sequi, cum tamen securiores ab exter-
 no hoste, liberius quæstiones multas intrin-
 secus disputarent, accidit revera, ut aliqui
 ex iis circa argumentum, de quo agitur
 comminiscerentur opiniones quasdam, ad-
 versas satis doctrinæ de eo ab Augustino
 contra Pelagianos, & Semipelagianos tra-
 ditæ & explicatæ. Quæ opiniones licet
 ab Ecclesia nunquam approbatæ, imo &
 ab aliis Scholasticis de iisdem rebus melius
 sentientibus aut rejectæ aut non receptæ, at-
 tamen qui posterioribus his temporibus a
 Sedis Apostolicæ obedientia apostatarunt,
 tot sectarum assertores, & sequaces, sum-
 pserunt inde occasionem usque adeo calum-
 niandi, ut & opiniones istas supra id quod
 vere suberat, nimium exaggerarint, &
 sic a se exaggeratas Catholicis omnibus im-
 posuerint, tanquam Romana Ecclesia, se-
 veriore deserta doctrina de gratia & libero
 arbitrio, prolapsa esset ad Pelagianismum,
 & qui se Catholicos profitentur (Papistas
 illos vocant) degenerassent in Pelagianos.

Aqui-

Sæc. XVII.

A. C. 1605.

*A quibus propterea dum videri voluit
 iidem Sectarii justam habuisse occasionem
 quantum ad hanc doctrinæ partem, fingendi se & dissentiendi, aliam ipsi sum-
 cuti; non illam certe doctrinam Ortho-
 xam, quæ olim contra Pelagianos a Pa-
 trificibus & Conciliis definita est, ac defensa
 a D. Augustino, ac secutis aliis Catholicis
 Doctoribus: quin potius quod contra Pe-
 trum Lombardum, & Theologos Schola-
 sticos videbantur ex professo suscepisse
 lum, id etiam converterunt contra huius-
 modi definitiones, ac Patrum Sententias.
 Et quod ad ipsum spectat Augustinum, quæ-
 vis illum, tanquam solum, ut dicunt, et
 veteribus secum consentientem, aliquos
 habere videantur, tamen revera doctrinam
 ejus plerumque non intelligere se ostendunt,
 immo & corrumpere deprehenduntur, ut
 quando quoad sensum, nonnunquam quæ-
 tum ad verba, fingunt vero gratiam Dei
 sic prædicandam & credendam, ut (quod
 justo Dei judicio eis accidit) velut in insu-
 periam rapti Manichæorum non minorem, te-
 neant, atque tradant, liberum arbitrium
 in hominibus vel extinctum prorsus, et
 naturali sua proprietate spoliatum: igno-
 rantes se hoc dogmate auferre quoque magis
 gratiam & effectus, quos veræ Dei gratia
 Scriptura sacra passim tribuit.*

*Quapropter Concilium Generale Tri-
 dentinum (ut Provincialia omittam, Se-
 nonces)*

nonense & Moguntinum) dum contra istos Sæc. XVII.
A. C. 1605.
agit, sic liberi arbitrii naturalem asserit
proprietatem, ut agnoscat atque renovet,
quod de virium ejus per peccatum attenua-
tione & inclinatione antiquitus definitum
est: sic astruit ejusdem cooperationem & se-
quelam, ut quod de gratiæ præoperantis,
id est prævenientis ipsum adjuvando & ex-
citando, necessitate & efficacitate juxta Sa-
cras Scripturas & antiquas Ecclesiæ defi-
nitiones prædicandum & credendum, denuo
definiat ac declaret: ob id nimirum, quia
non satis illi visum, istorum Sectariorum
errores condemnare, nisi etiam ab eorum
calumniis Ecclesiam præsentem vindicaret.

Cæterum ex Doctoribus Catholicis, qui
Sectarios istos oppugnantes, de iisdem ar-
gumentis prolixiores instituerunt disputatio-
nes, aliqui in iis liberi arbitrii vires adeo
extulerunt, ut aliis visi sint Christianæ gra-
tiæ necessitatem & efficacitatem nimium ex-
tenuare, atque ita dum errores vellent e-
liminare Lutheranorum & Calvinistarum,
alias introducere opiniones, quibus sterne-
retur via ad toties expugnatum Pelagianis-
mum, seu Semipelagianismum, sub finem
seculorum postliminio suscitandum, inde-
que sunt exortæ dissensiones, quæ unacum
iisdem opinionibus, diutius quam a pleris-
que videtur, animadversum, intra Ecclesiæ
gremium fotæ sunt.

Neque

Sæc. XVII. *Neque negari potest, quin sub incitamento*
A. C. 1605. *saltem a quibusdam, qui in istas impigerunt*
opiniones, sive defendendo, sive confutando, vel ignoratum aliquosque, ad non sufficienter observatum fuerit, quibus rebus, quas tractabant, antiquitus in Ecclesia edoctum, defensum atque definitum id quod excusationem forte habuit. Quod quidem utriusque dissentientium partis, tanto majore quanto majore Zelo una ex illis intenta fuit tota ad præsentium errorum incendium extinguendum; altera magis provida, ne alii in futurum suscitarentur seu succenderentur, recolendo altius ex integressis hæctenus Ecclesie Dei decursibus, quod, quandoquidem se res ita habent, ut quamdiu hæc in terris militat, oportet, sicut prædixit D. Paulus, Et hæreses cum hæreseos unius interitu oriri serentur, ut fiat eius contraria.

Progressu autem annorum aliquot, eisdem opiniones apertius, Et periculose proruperunt in disceptationem multum controversam, quam vidi ipse in Belgio argeri satis acriter, Et novimus omnes diligentius Et ardentius gliscere in Hispaniis. Quæ tamen, ut alias, quantum observare potui, a turbis illis, quas in tot illis Provinciis Christianis quæstiones de hoc argumento sæpius concitarunt, magno Dei beneficio inimunes semper conservata; Et ad eas modo præservandas interest quare

plurimum totius Christiani orbis, ut qui Sæc. XVII.
Dei in terris vices gerunt, sollicita pro- A. C. 1605.
videant cura.

Qualem proinde adhibens Prædecessor
nuper Vestræ Sanctitatis Clemens felicis
recordationis Papa VIII. controversiam
hanc: ut cum majori autoritate decidere-
tur, ex Hispanis evocavit ad Sedem A-
postolicam, & pro ea decidenda per an-
nos aliquot, tametsi ætate plurima fra-
ctus, aggravatus multis morbis, & ne-
gotiis aliis pene obrutus, instanter labora-
vit, sed dum in laboribus ejus dies diei
eructat verbum, & nox nocti indicat scien-
tiam, optimæ voluntatis Pontifex (quod
judicio Dei accidit) fnivit antea vitam
suam, quam de eadem controversia definire
quidquam posset.

Quæ tamen ne sic hæreat indecisa, pro-
spiciens Collegium Illustrissimorum, ac Re-
verendissimorum Cardinalium (quod non pos-
sit Ecclesiæ Dei non esse multum noxium)
vacante per ejus obitum Sede Apostolica,
prudenter ordinavit, ut futurus Pontifex
pro ea satageret quamprimum dirimenda,
id quod exequi Successor proximus Leo Pa-
pa XI. declaravit quidem inter primas cu-
ras, sicut esse debuit, commendatum: sed
is tanquam unda maris in terras projecta,
recessit antea ex hac vita, quam in Ponti-
ficatus sui labores posset ingredi.

His

Sæc. XVII.

A. C. 1605.

*His autem quod videmus modo te
dere, Pater Beatissime, Pontifex Maxi-
me, de quo & gaudemus sane supra
possimus vel exprimere verbis, vel cogi-
tatione ipsa satis comprehendere, spem
maximam, id ab æterno Deo inter aliis-
rima, quæ ad Ecclesiæ suæ præsidium
te operaturus est, etiam ad hoc destinatum
ut qui hæcenus Clementi Pontifici in ex-
minanda ista controversia Præsidenti, cum
aliis Illustrissimis & Reverendissimis Car-
dinalibus Sacræ Romanæ Ecclesiæ Inquisi-
toribus Generalibus, sollicitè assediisti, cum
ipse factus Pontifex feliciter desinas, ad
quod tam suaviter invitatus es in ipsa
ad Pontificatum assumptione, qua tum
manifesto opere demonstratum est, quam
Deus potestatem voluntates hominum
hic præcipue controvertitur) quo vult, quomodo
vult, quomodo vult, quamdiu vult, volun-
tandi, insectori, transferendi, & dandum
ad id ipsum subsidiis omnibus præparatis
(id ita providente Deo) quibus, quod Cle-
mens Papa laboriose seminavit, Successor
ejus fructuose colligas.*

*Quapropter præsumere ego nolo senten-
tiam, quam per os tuum de controversia
hac pronuntiabit Sanctus Dei Spiritus, pro-
veniendi Censuram ferre in præsentiarum;
an opiniones illæ, de quibus controverti-
tur, ex radice Pelagianismi, seu Semi-
pelagianismi fibra reipsa prodeant, quibus*

cunque colorentur verbis; vel proditæ sive **Sæc. XVII.**
 per calumniam traducantur, sive præsu- **A. C. 1605.**
 mantur ex imperitia aliqua, Et hoc vel sen-
 suum, quibus concipiuntur, vel verborum,
 quibus aut eæ exprimuntur, aut sententiæ
 Orthodoxæ de iisdem rebus, ut prætendi-
 tur, exprimendæ; sive denique pro cautela
 tantum ex ejusmodi fibra, seu radice pro-
 dere timeantur.

Verum quia superioribus diebus, vi-
 vente adhuc Leone Papa, dignabaris mihi
 indicare, gratum fore, si rationes aliquot
 in ordinem redigerem, quibus potissimum
 ostendatur, quam magni sit momenti, ut
 controversia de his mota quam primum di-
 rimatur, prout Illustrissimi ac Reverendis-
 simi Cardinales ordinarunt; ego quidem
 ejusmodi rationes confestim digessi, tametsi
 eas ob invaletudinem, qua correptus fui
 subito, non potuerim tunc proferre: sic e-
 tiam providente Deo, ut quod Cardinalis
 imperasti, Pontifici tibi offeram. Cui pro-
 inde ut eadem sint majori usui, interea
 mihi visum præmittere illa, quæ jam re-
 censui, de præcedentium hædenus Pontifi-
 cum vigilantia, Et sollicita cura in remediis
 adhibendis, quoties de argumento hoc su-
 spectas quoquo modo quæstiones suscitari
 intellexerant,

Subjungam autem modo rationes peti-
 tas ex rebus, de quibus adeo controvertitur;
 ex quæstionibus, quæ cum controversia hac
 Hist. Eccles. Tom. LIII. Qq ne-

Sæc. XVII. *nectuntur; ex personis, inter quas præ-*

A. C. 1605 *pue jam versatur; ex damno, quod ex*

*dem in universam diffunditur Ecclesiam
ex lucro demum, quod sectariis inde pro-
venit. Ex quibus, ut existimo, evadit ma-
nifestum, momenti esse maximi, ut non
controversia sine diuturniore mora desin-
tur, idque tam plena & expressa veritas
declaratione, quam requirunt quæstiones
quæ in ea ultro citroque disceptantur. Se-
queram deinde considerationes quasdam
modo, quo videri possit definitio ista fæ-
da, & pro declaranda rerum veritate,
pro partium, quæ de hac disceptant, qua-
tum fieri potest, honore conservando.*

*Et in primis spectando res, de quibus
controversia ista mota est, pertinent illi
catholicam fidem, etiam ex professione, non
partes ipsæ de iis dissidentes in libris
& Scriptis passim faciunt: adeo ut
que sentiat, doceat, scribat, dogma quod
ipsa sequitur, ab omnibus certissime creden-
dum: una objiciat alteri, non posse senten-
tiam illius sustineri salva fide, quæ contra
Pelagianos, & Semipelagianos est de fide
altera vicissim opponat, non posse istam
neri sententiam salva fide, quæ defendenda
est contra Lutheranos, & Calvinistas. Quod
si aliqui, ut periculum vitent hujus
judicii (ne si forte deprehendantur in erro-
re, contra fidem errare convincantur) vo-
lint modo dicere, quæstiones hic motas
præ-*

præter fidem; scire illi debent, quod an Sæc. XVII.
 ejusmodi vere sint, pertineat declarare ad A. C. 1605.
 tribunal fidei, in quo de controversia hac
 tractatur, qui autem proprio interim judi-
 cio eligunt ita dicere, advertant in primis,
 ne suspicionem inde incurrant apud illos, qui
 noverunt id esse suffugium, ad quod olim
 recurrebant Cælestius & Julianus Pela-
 gianus, dum in quæstione quadam a Catho-
 licis premi se viderent; & quod universæ
 suæ doctrinæ prætexebant Semipelagiani,
 deinde cavere debent, ne id dicendo, non
 tam diminuunt quam aggravent potius er-
 randi gradum, ad sententiam in fide er-
 roneam addendo errorem, quo dicatur esse
 præter fidem. Nempe si, quod olim ob-
 servatum fuit, caput quæstionum contra
 Pelagianos, & Semipelagianos, de origi-
 ne in hominibus bonarum voluntatum (ut
 de aliis quæstionibus nihil dicatur hic)
 idipsum sit, ut apparet esse, de quo præ-
 cipua quæstio in hac controversia agit;
 tametsi cum discrimine, quod non distin-
 guat quæstionem præter fidem, a quæstio-
 ne, quæ de fide est; quia quod tunc Sa-
 crarum Scripturarum fere verbis, & po-
 sitivo Sanctorum Patrum modo tractaba-
 tur, id nunc agitur Philosophicis ter-
 minis, & Scholastica methodo.

Secundo quæstiones, quæ connexæ sunt
 cum hac controversia, adeo sunt diffusæ
 per totum corpus Sacræ Theologiæ, ut
 Qq 2 quan-

Sæc. XVII. quantum & quamdiu alterius partis
 A. C. 1605. dem controversiæ (quæcunque illa sit, ma-

sanior est) veritas in suo gradu doceri
 hibetur, aut libertas utriusque parti
 Scholis permittitur, tantum & tamdiu
 logi Professores, nominatim in Hispania,
 quo ejusmodi prohibitio & permissio pro-
 tenditur emanasse, impediuntur a locis
 suis auditoribus satisfactione integra, in
 tot aliis materiis Theologicis, per quæ
 diffunduntur istæ quæstiones, quales sunt
 de scientia, de voluntate & etiam de po-
 tentia Dei, de providentia, prædetermi-
 natione, gratia, perseverantia, de fide, spe,
 charitate, & aliis veris virtutibus, de li-
 bero arbitrio, merito & demerito in
 peccato, & præcipue de originali, de ve-
 ge, prohibitione, præcepto, præmio, pe-
 na, de pœnitentia, & toto justificandi
 negotio. Unde quæ est necessitas, ut con-
 troversia hæc quamprimum decidatur, re-
 dem etiam non patitur, ut deciso equi-
 tandiu differatur, quam illi volunt, qui
 hanc referendam putant ad Concilium pro-
 pter eam congregandum: quomodo neque
 differendam esse Ecclesiastica probat con-
 suetudo, id quoque inferius ostendetur in
 judicio D. Augustini in causa, quæ de ar-
 gumento hoc, ejus tempore tractabatur.

Tertio considerando personas eorum,
 inter quas præcipue controversia hæc cer-
 satur, sunt illi, ut notum est, viri Reli-
 giosi,

giōsi, e duobus in Ecclesia doctissimis, san- Sæc. XVII.
 ctissimis & celeberrimis Ordinibus, qui pro- A. C. 1605.
 inde cum ex instituto suo sal terræ & lux
 mundi debent esse, certum est, quod ad of-
 ficia ista illuminandi & condiendi exhiben-
 da, ante omnia necesse sit, ut inter ipsos
 vigeant, in his præsertim, quæ ad doctri-
 nam fidei spectant, concordia, unanimitas,
 pax, & charitas. Verum virtutes has
 tam necessarias, timendum in primis, ne lan-
 quere plurimum faciant contrariæ affectio-
 nes, quæ pro ipsa conditione controversiæ
 adeo gravis, inter utrosque succrescere pos-
 sunt, ut sunt dissensiones, simultates, lites,
 & hujusmodi alia odiorum semina, deinde
 ne & has tam pravas affectiones, magis
 magisque indies corroborent subintrantes in-
 suscepta semel causa opinio constantiæ &
 defensio famæ & honoris: quibus si fomi-
 tem subministrent præsumptio & arrogantia
 de proprio Ordine & ejus Doctoribus, in-
 vidia & livor de aliorum bonis studiis &
 progressibus, incurabilius multo malum red-
 dunt, super omnia autem timendum & tre-
 mendum inter hæc iudicium Dei; ne scili-
 cet, si qui forte ab initio in controversiam
 hanc vel paulo ignorantius, vel indiscretius
 tantum sunt ingressi, adhuc permittuntur
 progredi, ex istiusmodi momentis rationum,
 quales modo indicavi, Deus, qui per id of-
 fenditur, merito patiatur eos sic prolabi,
 ut offensam veritatem vel cognoscere non

Qq 3 valeant,

Sæc. XVII. valeant, vel non velint, unde licet dicitur
 A. C. 1605. qui in causa hac tam multum dissentiant

utrinque profiteantur, se Sedis Apostolicæ
 futuram de ea decisionem reverenter & ve-
 niliter amplexuros, id quod facilius magis
 remedium omnis mali modo reddidit: tam
 dilatione nimia evenire potest, ut quod tan-
 diu sub tegumentis jam descriptis est con-
 tum, id uspiam tandem (liceat hic uti ver-
 bis Isaia) erumpat in regulum.

Quarto, interea in universam Christi
 Ecclesiam ex eadem controversia domus
 sic diffunditur, ut & multi sint utriusque,
 qui istarum partium studia se sequi, præci-
 piti nimis Zelo profitentur, & inter eos
 (quippe cum sint multiplicati etiam usque
 ad idiotas & fœminas) plerique earum
 partium dissensiones magis æmulantes, quam
 certe intelligentes opiniones, unde passim
 qui tenerioris conscientia sunt, nascuntur
 scandala; iis qui laxioris, contemptus do-
 ctrinae Religionis; inter Doctores, qui ma-
 gis pii ac modesti sunt, maror atque gemitus,
 etiamsi illis silere integrum sit. Sic
 autem pro officio, in quo constituti sunt,
 sententiam suam censuramque suam profes-
 re debent, accrescit insuper offensa partium
 a quibus sorte pro conscientia sua differ-
 tiunt; quasi non liceret ipsis inter homines
 & opiniones sic distinguere, ut illos suadere
 ament & honorent, & tamen istis neque
 velint neque possint se servos exhibere, hic
 vero

vero, qui se quoque doctos profitentes, au- Sæc. XVII.
 daciores vere sunt, quam solidiores, licentia A. C. 1605.
 nimia de quæstionibus ita controversis do-
 cendi & scribendi: cujus rei exemplum u-
 num sit, cujusdam Professoris Patavini o-
 pus, de controversia hac componenda, Pa-
 tavii excusum anno millesimo sexcentesimo
 tertio, quod licet huc allatum, & ex sen-
 tentia Officii sacræ inquisitionis ad ignem
 condemnatum, non tamen id tam cito fa-
 ctum, quin, ut audio complura ejus exem-
 plaria Francofurtum pervenerint, quæ ab
 hæreticis avidissime coempta sunt. Alte-
 rum, Doctoris cujusdam in Germania, qui
 in opere quodam, quod de mortis Christi
 efficacia scripsit, & eodem anno Coloniae
 excudi fecit, cum multa immisceat ad con-
 troversiam istam spectantia, in quibus sequi-
 tur Faustum illum, de quo supra, Episco-
 pum Rhegiensem, veritus, ne in hoc offen-
 dere videatur in Censuram Gelasii Ponti-
 ficis de opusculis Fausti, hanc de eo fingit
 fabulam (in qua non advertit se errare in-
 super in temporibus notandis) quod videli-
 cet cum Pelagiana labe infectus esset, a B.
 Fulgentio correptus & emendatus errore de-
 sertus ad Catholicæ Ecclesiæ gremium se re-
 cepit; in cujus rei argumentum, egregium
 volumen scripsit de gratia & libero arbitrio;
 teste (inquit) Gemadio in Catalogo Scripto-
 rum Ecclesiasticorum, in quo erronea dog-
 mata revocavit & emendavit, nec quod sit

Sæc. XVII. inceptum est Cacoethes scribendi libros
 A. C. 1605. eadem controversia cessabit facile, nisi a
 de Apostolica per tempestivam decisionem
 remedium adferatur.

Quinto, ac postremo, Sæctarii
 sunt extra Ecclesiam, e contrario ex
 quamdiu pendet indecisa, lucrum magna
 videtur provenire, sed quod etiam creditur
 ipsorum majus malum: quale est in primis
 communis inter eos gaudii, quo exultant,
 quia quod catholici hætenus objicere no-
 lent, tanquam argumentum non fundatum
 Religionis, eorum inter se in præcipuis do-
 ctrinae capitibus dissensionem, id ipsi
 vicissim ex occasione hujus controversie
 tant se posse in nos regerere, quod fundatum
 in multis atque magnis dissentiantibus
 quæstionibus, præterea aliqui ex his
 impropere, quod tamdiu hæreatur
 ejusdem tractatione, quasi in hoc seculorum
 fine, ad eam definiendam in Ecclesia
 Romana perierit lex a Sacerdote, consilium a
 Sapiente, & sermo a Propheta, alii
 spericari se confingunt, quod quia diutius
 hac & diligentiore tractatione, melius
 tuit Sedi Apostolicæ doctrina verior
 argumento, idcirco ne ab alia quam
 nus est professa, recedere videatur, ad
 sionem illam venire tergiversetur, non
 præsumunt gloriari, quod quoniam res
 potest in litigio hoc permanere semper,
 turum tandem, ut Sedes Apostolica ipsorum

de ea doctrinam, tanquam veriore[m] ample-
 ctatur. Ex quo sane capite scriptum est ad
 me ex Belgio, quod primarius Professor
 Theologus in Hollandicæ hæretica Universi-
 tate, quæ Leyda seu Lugdunum Batavo-
 rum dicitur, auditores ad constantiam in
 doctrina sua non ita pridem hortabatur.
 Unde apparet quam magnum etiam impedi-
 mentum ad bonum conversionis suæ & salu-
 tis eadem controversia Sectariis afferat, cum
 omnibus generatim, ob has omnes rationes,
 tum speciatim nostris Insularibus, & præ-
 cipue Anglis, ob aliam insuper propriam
 sibi rationem. Nam cum post pacem initam
 inter Reges Hispaniarum, & Britannia-
 rum, restituantur cum his commercia, &
 communicatio familiaris interveniat in Hi-
 spanicæ regnis, immo & plures ex iis, quam
 hætenus adventent in Italiam, ex quibus
 nonnulli saltem, vel ab errore converti, vel
 in Catholica fide confirmari possent, quan-
 do audiunt atque vident, quod inter Reli-
 giosos diversorum Ordinum apud nos non
 minus disceptetur, & dissentiatur, ut vide-
 tur ipsis, quam inter suos Protestantibus at-
 que Puritanos, facile nimium persuadebunt
 sibi, Religionem nostram non nisi solidiori-
 bus quam suam fundamentis.

Quod jam ad considerationes spectat de
 modo, quo controversiæ hujus definitio fa-
 cienda est; in primis quorundam audiun-
 tur voces, qui mediatores se inter partes

Qq 5 consti-

Sæc. XVII.
 A. C. 1605.

Sæc. XVII. constituendo, non alio modo debere eam
 A. C. 1605. finiri putant, quam ut ulteriorem tradi-

tionem finiendo, utrique parti vel scilicet
 tium de ea perpetuum imponatur, vel remittatur, ut in suo de eadem sensu quilibet pars abundet, sicut hætenus electio propria, sic & in posterum convenientia Superiorum, sed isti non videntur satis ponderasse, ne silentium illud imponendo, veritas fidei (ad quam uti dictum est in prima adducta ratione, pertinent res, de quibus hic controvertitur) in aliquibus sui partibus supprimatur: ne catholicis Doctoribus in tot sacre professionis quæstionibus, quæ in secunda ratione tactæ sunt, restringantur ora: ne hæreticis dilatentur, & corda gaudium ac suspiciones, & ora ad imperium & gloriationem, de quibus in ratione quinta: denique nec videm videntur se-
 tis penetrasse, ne per istam liberio-
 rem permissionem utrique parti in suo sensu ab-
 dandi, in tot quæstionibus, per totum corpus sacre Theologie diffusis, & falsitas in negotio fidei in aliquibus reipsa confirmetur, & veritas doctrine Scholæ Christianæ in pluribus videatur transformari in incertitudinem opinionum Academiae scilicet.

Verum qui hanc timentur partem
 dictæ mediationis, ut id videantur doctrinam
 agere, solent allegare ex Epistola Cælestini
 Papæ verba illa, quibus post adductas quæ-
 dam fidei regulas, ultimo clauditur: ad
 confe-

constitendam gratiam Dei satis sufficere arbitramur, quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt, addantque hæc præterea: profundiores vero difficilioreque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere, atque addunt ipsi, ad hoc genus quæstionum eas pertinere, de quibus modo controversitur, ubi considerare deberent, primum quod sic mediando recedunt a professione partium, quarum causam agunt: cum earum utraque (ut dictum est in prima ratione) profiteatur sententiam, quam tuetur ipsa, tenendam esse de fide, secundo, quod etiam illi, ob quos scripta est epistola Cælestini, ad suam ab aliis rectius sentientibus dissensionem excusandam prætendebant, ut ibidem additur, Christianam fidem per eam non violari, sed id an ita esset, referri oportebat ad Apostolicam Sedem. Tertio quod de ipsa doctrina in regulis istis definita, quæstiones aliquæ in hac controversia disceptentur, qualis ea in primis est, quæ in eadem ratione indicatur, unde primus bonus usus, seu motio bonæ voluntatis? Et an aliquid divinæ gratiæ subtrahatur?

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

Sed & aliqui ex iisdem mediatoribus, seposita prorsus doctrinæ consideratione, istius sui iudicii rationem petunt, ex personis

Sæc. XVII. A. C. 1605. versia. *Nam cum sint utrique magis non tantum eruditionis & pietatis, sed etiam existimationis & sequelæ, timentes, inquiunt, ac proinde cavendum (etiam postponendo doctrinæ causam) ne si a utrius partis opiniones condemnentur, gravem id Ecclesiæ Dei allaturum sit ruina. Et hanc rationem tanto magis urgent, quod existiment, prout eorum quisque alicui parti est addictus, alteram non tam doctrinæ & veritatis Zelo, quam invidia & emulacione contra eam ferri, at qui ratiocinantur isto modo, non videntur considerare, quos præter temeritatem iudicii de aliis, in quibus forte incurrunt, illis etiam, quorum suscipiunt patrociniū, injuriam potius irrogent, quam defensionem præstent: non deberent sibi aliisque persuadere, & de eorum pietate & eruditione confidere, quod Sedis Apostolicæ futuram decisionem, se facturos utrinque profitentur, ut dicitur est in tertia ratione, reverenter & humiliter amplectentur: & de eorundem existimatione bene sperare, quod per eam sequuntur, & sedabunt, si aliqui motus per aliquos qui præcipitantius eos sequuntur (ut additum est in quarta ratione) excitandi forent, insuper recolendum huiusmodi mediatorum, quod olim, uti est superius indicatum, magna fuerunt Sanctitatis & eruditionis, immo & supereminētis in Ecclesiā gradus & auctoritatis.*

auctoritatis, ac proinde sequelæ copiosæ, Sæc. XVII.
 qui de argumento hoc dissidebant: A. C. 1605.
 Et quod

tunc etiam auditæ sunt querelæ graves, qualis illa fuit Juliani, qua velut comminando, Doctores, inquit, nostri temporis, & nefariæ, quæ adhuc fervet, seditionis autores, ad hominum, quorum sanctis studiis utuntur, contumelias & exitium decreverunt per ruinam totius Ecclesiæ pervenire: non intelligentes, quantum his contulerint honoris, quorum ostenderent gloriam nisi cum Catholica Religione non potuisse convelli. Et tamen istis omnibus non obstantibus, Apostolica Sedes, pro consueta sua sollicitudine, circa argumentum hoc superius declarata, quotiescunque de eo mota est controversia, remedium semper adhibuit, docendo ac definiendo, quid tenendum, quid vitandum: tandem & hoc deberent considerare, non deesse modo Ecclesiæ Dei Reges atque Principes, qui, si quos contingeret reperiri refractarios, in Sedis Apostolicæ definitione recipienda, ad id eos, Honorii & Theodosii instar, legibus suis compellerent.

Secundo loco sunt, qui cum videant necessarium, ut ad definitionem aliquam veniatur, putant eam sufficere, quæ fiat suspendendo seu prohibendo libros, in quibus evulgata est doctrina non probanda, de præsentis controversia, sed & hi deberent considerare, quod, ut se res habuisset, si li-

Sæc. XVII. si libri illi, de quorum doctrina contro-
A. C. 1605. sia hæc est primum mota, fuissent ab in-
 tione suspensi aut prohibiti, vel si alia
 spes haberi posset, quoad suspendenda
 prohibendos alios libros de eodem ar-
 gumento postea evulgatos, satis esset; ni-
 men post tam diuturnam ejusdem ar-
 gumenti examinationem, in qua permixta
 est partibus utrinque de eo disputare, pro-
 bandane sit, an improbanda; si non
 quatur tandem peculiarior declaratio, qua-
 nam ejus propositiones improbandæ, qua-
 nam sint probandæ: id præterquam
 videtur daturum occasionem Sectariis
 berius judicandi, & aliis perplexius
 candi, cur non fiat, ac etiam quomodo
 fiat ejusmodi declaratio; si qui adhuc
 nere velint, aut tueri propositiones aliquas
 ex iis, quæ merentur improbari, pro-
 xere poterunt, non propter illas, sed
 alias factam librorum suspensionem seu pro-
 hibitionem. Et si alii alias aliquas pro-
 positiones in iisdem libris alioqui
 & Catholicas, sed quas ipsi forte non in-
 telligunt, voluerint repudiare, prætextum
 ad id similiter petent ex eadem suspen-
 sione seu prohibitione. Quales & futuri
 aliquos facilius sibi persuadebunt, qui
 his, quæ olim acciderunt in hac causa,
 propius consideraverint: quod quando
 Celestinus Papa insignem illam communitati-
 nem, de qua supra, in D. Augustinum, ob-
 egi

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

ejus hoc de argumento doctrinam, post ipsius obitum protulit, qui tunc in Gallis reliquias Pelagianismi sequebantur, occasione inde sumpta, quod non essent expressi libri a Pontifice, in quibus doctrinam ejus continetur, commendationem sic interpretati fuerant, ut ad priores Augustini libros de hoc argumento scriptos, eam referrent; sed posteriores, in quibus ipsi expressius refutati erant, eidem subtraherent. Unde necesse fuit Hormisdæ Papæ declarare doctrinam hanc in postremis his Augustini libris maxime contineri, quod cum tunc ita accidit circa encomium librorum, qui jam antea erant omnes editi, certe si nunc post ejusmodi examinationem, qualis jam facta est, doctrinæ controversæ non alia sequatur declaratio, quam suspendendo, seu prohibendo libros, in quibus tamen certum est non totam doctrinam esse improbandam, proclivius multo erit, pro variis hominum judiciis, ut suspensio ista & prohibitio a diversis ad diversas propositiones referatur: atque ita vix, immo ne vix quidem controversia hac sedata, alia forte suscitentur: accedit denique & exemplum illius temporis Pontificum, quod & modo merito imitandum est. Nam ex quo in Gallis a Semi-pelagianis suscitata est de hoc argumento doctrina erronea, prius per Cælestinum & Leonem Pontifices, circa doctrinam istam definita sunt particularia quædam capitula & Ca-

Sæc. XVII. & Canones, postea per Gelasium Papam
 A. C. 1605. libri Cassiani & Fausti doctrinam eam con-
 tinentes, inter Apocrypha opuscula
 rejeſti.

Tertio igitur loco cognoscunt alii, et
 hac controversia finienda, necessarium
 definitionem, in qua particulariter declaratur
 tur propositiones, quæ in ea approbandæ
 sint, vel improbandæ: sed definitionem illam
 referendam volunt ad Concilium, quod
 tantum necessarium, propter eam congregari.
 Sed & isti scire debent, quamvis prima
 præcipua causa Concilia congregantur
 propter controversias, quas de doctrina
 dei contingit exoriri; tamen ut Sædes Apo-
 stolica de his definire quidquam differat,
 quousque ad Concilium deferantur, illa
 postulatio nimis insolens, quod res ipse
 pe id nec patitur, ut in præsentibus
 nec plerumque etiam possit. Et certe
 consuetudo Ecclesiastica id ipsum minime
 probat. Qua de re quia præjudicata sententia
 est D. Augustini, in causa, quæ de argu-
 mento hoc ejus tempore tractabatur, libet
 ipsius verba hic subjungere, ait igitur: aut
 vero Congregatione Synodi opus erat,
 ut aperta pernicies damnaretur; quæ
 nulla hæresis aliquando, nisi Synodi
 Congregatione damnata sit, cum pe-
 tius rarissimæ inveniantur, propter quas
 damnandas necessitas talis existeret,
 multoque sint atque incomparabiliter
 plures

plures, quæ ubi exstiterunt, illic im- **Sæc. XVII.**
 probari, damnarique meruerunt, atque **A. C. 1605.**

inde per ceteras terras devitandæ in-
 notescere potuerunt. Verum istorum Su-
 perbia, quæ tantum se extollit adver-
 sus Deum, ut non in illo velit, sed po-
 tius in libero arbitrio gloriari, hanc e-
 tiam gloriam captare intelligitur, ut
 propter illos Orientis & Occidentis Sy-
 nodus congregetur. Orbem quippe
 Catholicum, quoniam Domino eis re-
 sistente, pervertere nequeunt, saltem
 commovere conantur, cum potius vi-
 gilantia & diligentia Pastoralis, post fa-
 ctum illis competens sufficiensque ju-
 dicium, ubicunque isti lupi apparue-
 rint, conterendi sint, sive ut sanentur
 atque mutantur, sive ut ab aliorum
 salute atque integritate vitentur. Qui-
 bus addendum *in super*, cum præcipuè quæ-
 dam quæstiones, de quibus in hac contro-
 versia disceptatur, pendeant ex interpreta-
 tione quorundam Capitulorum seu Cano-
 num, quæ a Sede Apostolica olim definita
 renovantur, etiam in Decretis Concilii Tri-
 dentini, quod eadem Sancta Sedes difficul-
 tates & controversias, si quæ ex eis decre-
 tis ortæ fuerint, sibi declarandas & deci-
 dendas reservavit.

Cum igitur *Controversia hæc ad Sedem
 Apostolicam dudum evocata, & coram ea
 tandiu tractata sit, ab eadem etiam exspe-*
Hist. Eccles. Tom. LIII. R x Stan-

Sæc. XVII. *Standa ejus definitio, & exoptanda, tam
A. C. 1605. felici expeditione, tam plena & expressa ve-
ritatis declaratione, quam necesse est, ut &
eadem controversia cum omnibus suis in-
modis sedetur tempestive, & aliis suscipi-
dis perfecte via præcludatur, ad qua
clesiæ suæ præstanda beneficia, est quidem
laudanda Dei providentia, qua ex his
num præfecit Pontificem summum, qui in
tractanda ista controversia hætenus præse-
runt. Verum ne pro ea tractanda atque
terminanda, existimetur is debere seipsum
nimium aggravare, juvabit spero, ut in
memoriam revocetur, quomodo olim Pon-
tifices summi in similibus causis etiam qua
de hoc ipso argumento tractabantur, non
sibi adhibuerunt idoneos collaboratores.
Nam, quod notum est ex ipso D. Augu-
stino, & notavit D. Prosper paucis
verbis, Bonifacius Papa, cum esset
Doctissimus, adversus libros tamen Pe-
lagianorum Beati Augustini Episcopi
responsa poscebat. Et ipsius D. Pro-
speri industria atque opera contra Semi-
lagianos usi sunt, & adjuti non parum Ce-
lestinus atque Leo doctissimi, Sanctissimi
Pontifices.*

*Qui autem laborem nunc & operam
præstituri sunt, in primis propositam sibi
quam sequantur habere debent doctrinam,
quæ de hoc argumento olim definita est a
Pontificibus & Conciliis, defensa a D. Au-
gustino*

gustino & secutis eum Docto:ibus, nomi-
 natim S. Prospero & B. Fulgentio, &
 inter Scholasticos a D. Thoma præcipue
 explicata. Et de doctrina quidem S. Au-
 gustini, quin ea hic sequenda sit, non potest
 movere quæstionem, nisi qui vult Sedis A-
 postolicæ de ea sequenda iudicium, & sta-
 tuta antiqua in dubium revocare, quibus
 insistens merito Clemens Papa VIII. in pri-
 ma Congregatione, quam pro controversia
 hac in præsentia sua tractanda, indixit,
 audientibus nobis omnibus, has voces Pon-
 tifice summo dignas gravissime pronuntiavit:
 Cum a suis Prædecessoribus doctrinam
 D. Augustini, tanquam hæreditariam
 quamdam Apostolica Sedes dotem ac-
 ceperit, firmissimo sibi propositum est
 decreto, eandem ad Successores quo-
 que suos transmittere illibatam. Et
 certe experientia hætenus notum est, quod
 & olim qui eam doctrinam ausi sunt repre-
 hendere vel convellere, in hoc ab Ecclesia
 Dei fuerunt semper repudiati, & nostris
 his temporibus, qui eadem postposita, vo-
 luerunt aliam sequi, tanquam magis op-
 portunam ad Sectarios confutandos, in ejus-
 modi opiniones sunt prolapsi (hoc ipsum
 iusto Dei iudicio promeriti) quæ una cum
 erroribus Sectariorum ab Ecclesia sunt re-
 probatæ, quod vero ad Prosperum & Ful-
 gentium attinet, cum doctrinam Augustini
 ad amissum sint secuti, eo sunt in causa hac

Sæc. XVII.
 A. C. 1605.

R 1 2

opor-

Sæc. XVII. oportuniore ipsorum opuscula, quod ab
A. C. 1605. guslinianæ doctrinæ eam partem sint præcipue
 profecuti, in qua refelluntur peculiariter Semipelagianorum errores, ad quos præcipue accedere reputantur opiniones, de quibus in controversia hac tractatur. Inter Scholasticos autem præcipuo hic habentur loco D. Thomas, quippe qui B. Augustini uti Spiritum purius hausit, sic & doctrinam perfectius imbibit, & copiosius explicavit.

Secundo necesse est iidem tales sint, qui cum proposito doctrinam hanc sequuntur, etiam verum ejus sensum & intelligentiam sint affecuti: quod idcirco magnopere considerandum, quia & annis jam elapsis processerunt, & modo reperiuntur Doctores aliqui & Scriptores, qui cum profitentur se doctrinam sequi D. Augustini, tamen sic eam intelligunt & exponunt, ut certum sit, quod non ex Augustino intelligentiam istam atque sensum hausierunt, sed cum aliis alias imbuti opinionibus, ad D. Augustini lectionem accesserint, ex doctrinam illius eo modo sunt interpretati, quo commodius apparebat posse trahi ad easdem opiniones confirmandas, atque ita quia legendo D. Augustinum non observant insignem illam & necessariam conditionem, quam in lectore bono requirit D. Hilarius, ita scribens: Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis

ctis potius, quam imponat, & retulerit Sæc. XVII.
 magis, quam attulerit; neque cogat A C. 1605.
 id videri dictis contineri, quod ante le-
 ctionem præsumpserit intelligendum:
 propterea mirari minime debent, si post-
 quam se dederunt ad scribendum, quamvis
 libros suos testimoniis D. Augustini im-
 plectant (id quod optimum est ad persua-
 dendum simplicibus, quidquid volunt) ni-
 hilominus qui sunt intelligentiores, depre-
 hendunt, ostendunt, & non immerito of-
 fenduntur ejusmodi libros sensu & sæpe
 spiritu Augustini esse destitutos.

Tertio, qui jam dictam operam præ-
 stituri sunt, perspectos habere debent Pe-
 lagianorum & Semipelagianorum errores,
 quos (præter ea, quæ de iis habentur in
 Conciliis Africanis, & Arausicano & in
 Epistolis Pontificum) S. Augustinus &
 D. Prosper in variis locis certiore fide &
 notitia referunt. Et pro præsentem quidem
 controversia penitus expedit ponderare
 doctrinam Semipelagianorum, quæ recen-
 setur a Prospero & Hilario in Epistolis
 suis ad D. Augustinum, & ab eodem Pro-
 spero in carmine de ingratis comparatur
 cum doctrina Pelagianorum; a Cassiano in
 Collatione de protectione Dei, & a Fau-
 sto Rhegiensi in duobus suis libris (de
 quibus supra) traditur & explicatur; &
 etiam in Capitulis Cælestini Papæ, & in
 Canonibus Concilii Arausicani condemnatur,

R r 3

oppo-

Sæc. XVII. oppoſita veritate in iisdem confirmata, atque
A. C. 1605. cum doctrina hac ita ponderata conferenda
 ſunt opiniones, de quibus in præſenti con-
 verſia diſceptatur, tam quoad ſenſum, tan-
 tiam quoad verba. Quæ, quoniam utrobique
 apparent ſic diverſa, ut ibi conſueta Scrip-
 turis Sacris, & antiquis Patribus adhibentur
 verba: hic ſubſtituantur termini in Scholis in-
 docendi commoditatem uſurpati, ad certum
 cognoscendum, & declarandum, quomodo quæ
 ſcholasticis terminis ſunt expreſſa, explicari
 poſſint atque debeant verbis, ut vocantur, po-
 ſitivis.

Quibus ſubſidiis præparatis, poteſt in-
 vocata ante omnia Spiritus Sancti gratia,
 quæ hic fiet definitio, ad hunc modum ge-
 geri & ordinari: nempe ut ad imitationem
 fere Capitulorum Cæleſtini Papæ, & Ca-
 nonum Leonis Magni in Concilio Arauſicano,
 proſitiones quæ declarabuntur condemnatæ,
 ſigillatim diſponantur, appoſita, ſi videbitur,
 qualitate Cenſuræ, quam merentur, & ad ſin-
 gulas adjunctis breviffime aliquot teſtimoni-
 um ex Scripturis Sacris, tum ex antiquis in
 hac cauſa definitionibus & doctrina, quibus
 ejuſdem condemnationis & reddatur ratio, &
 oppoſita veritas probetur & confirmetur. Et
 ut in danmandis ejuſmodi proſitionibus ſe-
 ſpicio omnis & calumnia accedendi, ſive ad
 Lutheraniſmum, aut Calvinianiſmum, ſive ad
 Pelagianianiſmum aut Semipelagianianiſmum, ſive
 ad quemcunque alium aut in ſenſu aut in ver-
 bis

bis de argumento hoc errorem, prorsus evite- Sæc. XVII.
 tur; expediet forte, ubi id occasio exiget, A. C. 1605.
 damnationem addere quarumdam propositio-
 num, errores ejusmodi quomodocunque sa-
 pientium, quæ fucum aliquem facere possint
 suspicionibus istis atque calumniis. Nec vide-
 tur adhuc necessarium, ut in his omnibus ulla
 fiat mentio, immo expedit forte pro honore
 partium conservando, ut nulla fiat, vel Do-
 ctorum, quorum sunt damnandæ propositio-
 nes, vel librorum, ex quibus depromentur.
 Nam si posthac, per quamcunque ex iisdem
 partibus occasio detur ita faciendi, facile fue-
 rit sine ulteriori strepitu ejusmodi libros in
 prohibitorum Catalogum referre.

Hæc, Beatissime Pater, quæ instigante
 te accepi, & pro perpetuo meo in te amore &
 observantia hætenus pertractavi, pro ea,
 quam nunc majorem debeo, reverentia &
 honore Sanctitatis tuæ, sub ejusdem corre-
 ctione & censura humiliter offero: quem ad
 supremum hunc in terris gradum, tam inex-
 spectata electione, tam insolita hætenus voca-
 tione, pro omnium tamen votis, a summo Cæli
 Deo assumptum, quo altius considero, & cer-
 tius inde spero, id a divina ejus providentia
 destinatum ad beneficia maxima & plurima
 per ministerium tuum Ecclesiæ suæ præstan-
 da; & inter alia ad controversiam hanc,
 quæ tam magni est momenti, feliciter defi-
 niendam. Eo fidentius opto & devotus
 oro, in primis generatim pro Ecclesia Dei,

Rr 4

ut

Sæc. XVII. ut hæc tua assumptio sit Romæ in triumphum antiquis illustriorem, Italiæ in Gloriam, Hispanis gaudii incrementum, Gallis in securitatem, Britannis in spem certam, in robur Germanis, & finitimis nationibus Christianis omnibus in consolationem, Catholicis in constantiam, Hæreticis in resisten-
 tiam, Schismaticis in reconciliationem, Pelagianis in notitiam veri Dei, Judæis in agnitionem Jesu Christi, Militiæ Christianæ in præsidium, & Christiani nominis hostibus in exterminium. Deinde pro hac speciatim causâ ut Princeps Pastorum Deus ac Dominus noster Jesus Christus, qui per tuos Prædecessores, Innocentium, Zozimum, Bonifacium, abegit lupos manifestos, per Cælestinum, Sixtum, Leonem, Gelasium, Hormisdam, Joannem, coercuit occultos, id per Pastorem legitimum, Rectorem sanctum, Paulum Pontificem sic pascat regatque oves, oviculas, & agnos suos, ut qui hic tentat seu timetur Spiritus, sive superbus Pelagianus aut Semipelagianus, non eos elidat, sive stolidus Lutheranus aut Calvinianus, iisdem non illudat.

Sanctitatis tuæ.

PETRUS LOMBARDUS

Archiepiscopus Armachanus.

§. CLVI.

§. CLVI.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

*Congregationes coram Paulo V.
habita.*

Erudita hac oratione permotus Pontifex controversiam ex Censorum iudicio definire statuit, calcar quoque jam pronæ voluntati addidit F. Anselmus Mazartus Cardinalis Monopolitanus Vir probatissimæ Virtutis ac intrepidæ libertatis, qui die tertia Augusti Pontificem accedens æternum ei iudicium interminatus est, nisi controversiam, prout iuramenti Religione ante suam electionem cavisset, haud cunctanter Apostolica definitione dirimeret. Igitur Paulus V. nulla mora Lemosium accersiri jubet, dato eidem negotio, ut quæstiones a Clemente VIII. disputatas intra sex dies in certas redigeret propositiones, quas rite discussas vel damnare vel definire opus esset. Paruit iussis lubenti animo Lemosius, ac præstituta die damnandas triginta tres, definiendas vero propositiones numero viginti duas obtulit: Mox autem Jesuitæ de hoc Pontificis proposito certiores facti, & omne studium impenderunt, ne summus Pontifex eosdem Censores, qui sub Clemente VIII. Molinæ propositiones tanta severitate per-

Hist. Congr.
l. 4. c. 6.
Livinus Major Hist.
Controv. l. 6.
c. 1. p. 551.

R r 5

strinxerunt.

Sæc. XVII. strinxerant, ad iteratum hoc exame
 A. C. 1605. assumeret; eam ob rem Pater Ferdin
 nandus Bastida nomine totius Societa
 tis libellum supplicem Paulo V. obtulit,
 quo rationes, ob quas judicia Consi
 ltorum hæctenus lata aut ferenda eidem
 Pontifici merito in causa Molinæ
 spectata esse deberent, proposuit. Etenim
 igitur hujus libelli tenor sequens; *Con
 constet Sanctitati vestræ de cæquitate, qua
 Societas petit, ut causa de Auxiliis non
 Censoribus, quibus hæctenus commissa est, de
 inceptis committatur, supplico Sanctitati
 vestræ, ut dignetur jubere sibi informationem
 exhiberi de sequentibus capitibus. I. An
 verum sit, primam eorum censuram de hoc libro
 latam esse, nullo pro Molina audito. II. An
 verum sit, quod hi Censores in hoc libro
 ginta & amplius capita invenerint cen
 surata. III. An spatium trium Mensium & amplius
 ea omnia fuerint conclusa & deter
 minata. IV. An integram censuram
 unus dederit, qui nunquam aut præfuit Theo
 logicæ Scholasticæ Cathedræ, & an in His
 pania inhabilis sit ad negotia Inquisitionis
 pertractanda, imo secundum jus commune
 neque testis quidem in causa civili esse possit
 sit (*). V. An verum sit, Molinæ attri*

(*) Hic suggillatur Franciscus Pegna Sacre
 Rotæ Romanæ Decanus, qui Societatis In
 vidium

propositiones erroneas, quas nunquam pro- Sæc. XVII.
tulit. VI. An qualificentur propositiones A. C. 1605.
passim a Theologis receptæ. VII. An ut
propositio qualificetur ut Pelagiana, quam
ut veram, tres Universitates defendunt, &
oppositam censent ut Calvinianam plures a-
liæ. VIII. An qualificentur propositiones,
de quibus Dominicani in Molinæ accusatio-
ne nullam Sanctitati vestræ mentionem fece-
runt. IX. An postquam Clemens VIII. in-
cepit audire Jesuitas, de alio actum non
fuerit, quam an hæc censura bene facta sit,
necne? X. An in modo hanc causam tra-
ctandi cum Jesuitis tanta egerint infideli-
tate, ut coegerint Sanctitatem vestram tam
sensibiliter demonstrare, quam id ægre fer-
ret, ut fama fuerit, id mortis causam fuisse
Episcopo Cariatensi Præsidi. XI. An ve-
rum sit, nos sæpius recusasse hos censors,
& coram Sanctitate sua protestatos fuisse,
non haberi eos a nobis Judices sufficientes in-
fructos a scientia & ab indifferentia in ne-
gotio tam gravi, sed existimari magis sol-
licitos, ut prima sua judicia tueantur, ma-
gisque partium studio addictos quam ipsos
Dominicanos. XII. An Clemens Papa no-
bis sæpius asseveraverit, nunquam illos fore
Judi-

vidiam in se concitaverat, eoquod, cum es-
set Rotæ Romanæ Auditor, sese D. Ignatii
Canonisationi opposuisset. Vid. supra Lib.
CLXXXVI. §. CXXIV. pag. 524.

Sæc. XVII. *Judices in hac causa, aut ipsum ex illorum*
A C. 1605. *sententia decisurum.* Horum capitum

quæ tamen defuncti Pontificis honorem
 petebant, veritatem se demonstratum
 obtulit *Bastida*: Verum Paulus V. ni-
 lam hujus libelli rationem habuisse ve-
 detur, cum cunctos, qui sub Clemente
 VIII. sua judicia tulerunt, confirma-
 rit, eosque ad sextum hoc examen de-
 nuo assumpserit, adjunctis duntaxat
 quatuor Cardinalibus, Petro Aldobro-
 dino, Bellarmino, Laurentio Blan-
 chetto, & Antonio Zapata: unde nec
 horum censorum integritas est mi-
 cata, aut pariter Paulus V. de partium
 studio accusandus.

§. CLVII.

*Prima & secunda Congregatio in
 ram summo Pontifice habita.*

Pegna in
Diario Le-
mos. tom. I.
tract. 2. de
error. Pel.
cap. 3.
P. Livin. l. 6.
cap. 2. & seq.

Cum Pontifex explorato per quatuor
 ferme menses Doctorum consilio
 hucusque actitata unius Molinæ librum
 spectasse intelligeret, de ipsius quoque
 gratiæ efficacis natura & physicis præ-
 determinationibus seriam concertatio-
 nem indicere statuit, eamque non prius
 in Cardinalis cujusdam Palatio, sed
 in Vaticana aula coram se haberi ve-
 luit, id Bernerio & Avila Cardinali-
 bus impense flagitantibus: Displicuit
 autem

autem hoc Pontificis propositum Dominicanis, ægre ferentibus, quod ubi **Sæc. XVII.**
A. C. 1605.
 Molinæ causa duntaxat hujus controversiæ origo & scopus fuerit, jam doctrina de gratia ex se efficaci nunquam hætenus controversa ad examen vocaretur, non sine magno temporis dispendio, quocirca Pater Lemosius quindecim articulos, quos a Clemente VIII. pro proxima Congregatione oblatos dicebat, summo Pontifici porrexit, eo quod in illis reliqua omnis, quæ inter utramque partem adhuc esset, controversia, necnon genuina Sancti Augustini doctrina contineretur. His Bellarminus quatuordecim alios articulos opposuit, itidem Divi Augustini testimoniis firmatos: horum quosdam Lemosius ultro fassus est, alios vero tanquam S. Augustino & Concilio Tridentino adversos, aut æquivoce expositos rejecit: enimvero ipse summus Pontifex pro primæ concertationis argumento decreverat, ut pars utraque aperiret, quid de quindecim iis articulis, quos nuper Clemens VIII. proximi certaminis argumento designaverat, sentiret: Ergo Basida de iis differens ostendit, quod omnes hæ Dominicanorum propositiones (una tantum excepta) contineant quidem doctrinam Sancti Augustini, non tamen tota ejusdem Sancti Doctoris
 Doctrina

*P. Livin. l. c.
 p. 558. c. 8.*

Sæc. XVII. Doctrina præcipue circa controversiam

A. C. 1605. caput in eis comprehendatur. Quorum

vero Bastida quintum articulum, in quo
Deus dominium in hominis voluntatem
sicut in res naturales habere dicebatur,
velut Calvinianum traduxerat, hinc
mosius ostendit, hujus circa ferrum
baculum &c. comparationis vim in se
esse, ut sicut in causas necessarias ne-
cessario & efficaciter, sic in liberas li-
bere, & efficaciter influat. Tandem
Bastida addidit, hisce articulis hæresim
Pelagianam quidem confutari, sed non
perinde Calvinianam: quam tamen Le-
bem mox absterlit Lemosius, demer-
strans, quod Thomistæ nunquam dilige-
tiendi potestatem, uti Calvinus, ex-
cludant: Ex adverso autem, quorum
teste ipso Bastida, omnes doctiores Eu-
ropæ Jesuitæ circa articulum quintum
censuissent, quod *divina Majestas domi-
nium suum in hominum voluntates non
exerceat sicut in ceteras creaturas*, imò
sequatur, quod Molinisticæ doctrine
summa in eo consistat, ut supremum
dominium in corda hominum Deo de-
negetur, & cum Semipelagianis illud
libero vindicetur arbitrio. Ita nempe
contumelia, quæ prius largiore man-
sura Lemosio fuit illata, rursus in au-
thorem fuit regeſta: absoluta igitur hæc
disputatio in tertio confessu die vige-
sima

fima prima Septembris resolvit Congre- Sæc. XVII.
 gatio, quod in quindecim articulis a A. C. 1605.
 Clemente VIII. propositis genuina S. Au-
 gustini doctrina contineatur, & quinta
 propositio a Jesuitis impugnata disertis
 verbis a D. Augustino asserta fuerit. So-
 lus denuo obstrepebat Bovius Collegii
 Carmelitarum Regens, olim Societatis
 institutum professus.

§. CLVIII.

Congregatio IV. V. VI. & VII.
 VIII. & IX. de gratia ex
 seipsa efficaci.

Pronuntiato hoc Congregationis judi- *Acta Secret.*
 cio Paulus V. de gratia ex se effi- *ad diem*
 caci, quam Thomistæ *physice prædeter-* *26. Sept.*
 minantem vocant, die vigesima sexta *1605.*
 Septembris agendum indixit, id peten- *Hist. Congr.*
 tibus Jesuitis, qui de illa nunquam fuisse *l. 4. c. 9.*
 disputatum querebantur, quamvis in *& seqq.*
 novem Congregationibus hoc argumen- *Hist. Contr.*
 tum fuisset pertractatum: Gaudebant *l. 6. c. 6.*
 Jesuitæ, quod hac ratione Thomistæ *Diar. Pegnæ*
 tandem ex Autoribus rei fierent, & *& Collect.*
 ipsi infestam Molinisticæ doctrinæ di- *P. Lemos.*
 scussionem a se amovere possent: Cum
 vero Pontifex de gratia ex se efficaci,
 & de physicæ prædeterminationis no-
 mine agi, serio intimasset, Jesuitæ, pe-
 titis induciis se minus paratos esse asse-
 rebant:

Sæc. XVII. rebant: Dilatione igitur concessa
A. C. 1605. mum die duodecima Octobris quæ
 celebrata est Congregatio, in qua dis-
 putatum: *An Deus sua efficaci gratia
 moveat hominis voluntatem ad actus
 bonos, non solum interius suademus
 invitando, excitando, aut aliter mor-
 ter attrahendo; sed etiam vere & actu
 proprie, salva tamen humana libertate?
 Et, an talis efficax gratia, conveniat
 ab aliquibus Scholasticis, physice pro-
 terminare dicatur?*

Hanc in rem prior Bastida verba
 fecit, plura præfatus, tandem ad dis-
 putationis scopum progressus, primo
 voces auxilii efficaciæ, physice præde-
 minationis, & motionis moralis expla-
 bat, postea exposito quæstionis hæc
 adversus gratiam ex se efficacem hæc
 proponebat rationes: Lemosio ad ob-
 jecta respondente, Bastida æquivocatio-
 nem in eo latere ostendit, quod ipse
 gratiæ efficaciam ita a solo Deo depen-
 dere asserat, ut tamen efficaciter suum
 effectum non sortiatur, nisi dependentem
 a libero arbitrio: in hoc autem contro-
 versię cardinem nondum verti repe-
 bat Lemosius subjungens, non loquimur
 de consensu; certum est enim consensum esse
 ab utroque, a gratia & libero arbitrio:
 quærimus autem, ante consensum, & an-
 tequam liberum arbitrium influat in con-
 sensum.

sensum, an gratia sit efficax, ut a Deo ipso, an a libero arbitrio. Sæc. XVII.
A. C. 1605.

Reponente rursus Bastida, quod gratia quidem virtutem efficiendi a solo Deo habeat, ut vero sortiatur suum effectum, non sit a solo Deo, sed etiam a libero arbitrio, Pontifex disputationi finem imposuit, & iudices die decima quinta Octobris pronuntiarunt, quod *Deus gratia sua efficaci non solum moveat voluntatem ad actus liberos bonos, interius suadendo, invitando, excitando, vel aliter moraliter attrahendo; sed etiam vere & active, proprie, hoc est, vera, reali, & in hoc sensu physica motione, agat in voluntatem, salva ejus libertate, illam ita efficaciter præmovendo, ut ipsa sub tali efficaci Dei præmotione certo & infallibiliter, libere tamen, seipsam determinet ad consensum: & in hoc sensu convenienter dicatur a Scholasticis recentioribus, talem gratiam physice prædeterminare.*

Huic censuræ solus denuo Bovius oblitabatur: Demum sexta Congregatio ad vigesimam sextam ejusdem Mensis diem dilata est, in qua sequens propositum est dubium: *An auxilium efficax præveniens consistat in entitate quadam a solo Deo facta, & prius natura in voluntate posita, a qua ita necessario sequatur voluntatis consensus, ut impossibile sit, istam entitatem in voluntate poni, & vo-*

Hist. Eccles. Tom. LIII. S s lun-

Sæc. XVII. *luntatis consensum non sequi: implicite
C. 1605. contradictionem, voluntatem hanc cum di
sensu voluntatis, & cum ejus carnis
conjugi?*

Hanc in rem prolixè disputabat
ftida, quo tacente Lemosius paucis
bis proposuit, quod Deus sua effica
gratia præveniente ante scientiam me
diam, hominis voluntatem prædeter
minet, vere etiam active & proprie ef
ficiendo, ut voluntas ad actus liberos
bonos se infallibiliter determinet salva
libertate, qua potest se non determi
nare, si velit: cum autem Lemosius
sermonem inspergeret de sensu compo
sito & diviso, ac Jesuitæ sensum compo
situm more Calvinistarum interpre
tarentur, acrius a Lemosio excipiebat
tur, postea productis nonnullis Sacre
Paginæ testimoniis Pontifex statuit, ut
abrupta Sessione tam Dominicani quam
Jesuitæ desuper mentem suam in pro
ximis Sessionibus edicerent, audirent
postea, quid Consultores sentirent. Rus
sus ex auctoritate Conciliorum die no
na Novembris in septima Congrega
tione de eadem gratia ex se efficaci ag
gebatur. In octava Sessione die vige
sima secunda Novembris gratia ex se
efficax ad mentem Divi Augustini exa
minata est, die autem vigesima nona
Novembris decretum, *persistendum esse in
senten*

sententia, non obstantibus ex adverso pro- **Sæc. XVII.**
ductis ex Scripturis, quæ ad rem præ- **A. C. 1605.**
sentem non spectant; & ex Concilio Tri-
dentino, quod non adversatur veritati as-
sertæ; aut testimoniis S. Augustini de cor-
reptione & gratia capite 12. quo potius
firmatur conclusio explicata, quod Deus &c.

Hac igitur ratione rursus confirma-
 batur Censorum iudicium olim in quinta
 Sessione pronuntiatum, obstantibus
 Hieronymo Palantherio Episcopo Biton-
 tino & Bovio Carmelita.

§. CLIX.

Quæstio de gratia ex se efficaci alio-
rum Patrum auctoritate in de-
cima, & undecima Sessione
agitata.

Die decima quarta Decembris postre-
 ma hujus anni habebatur disputa-
 tio, in qua gratia ex se efficax ad tru-
 tinam aliorum SS. Patrum revocatur.
 Hanc in rem Bassida pluribus eorum-
 dem testimoniis comprobare satagebat,
 quod Sancti Patres omnem prædeter-
 minationem uti humanæ libertati ini-
 micam excludant, agere autem vel non
 agere, uti, vel non uti gratia, nostro
 arbitrio relinquant, necnon cum æquali
 gratia Petrum, non item Paulum con-
 verti ac denique necessitatem ex causa

Ss 2

ante-

Sæc. XVII antecedenti ortam libertati obesse, &
A. C. 1605. divinæ voluntatis modum in morali
 efficacia consistere asserant. Verum Lemosius omnibus his testimoniis nihil aliud evinci ostendit, quam quod hanc libere operetur, easque prævias determinationes, quæ fatalem necessitatem inferunt, Sancti Patres damnant intendant: demum ubi Bastida FF. Predicatoribus objecerat, quod inspirationem internam in voluntate veram esse gratiam negarent, Lemosius id explicans inquit, quod ejusmodi gratia sit vera gratia, sed non talis, qualem S. Augustinus & Concilia contra Pelagium requirunt esse necessariam ad opera supernaturalia. His dictis soluta est disputatio, quam tamen primum sequenti anno die tertia Januarii legabatur Censuræ judicium hoc modo pronuntiatum: *Actum est de quinque capitulis, & de doctoribus productis a Patribus Societatis, ad impugnandam sententiam de physica præmotione, & prædeterminatione, quæ fit per antecedentem gratiam, adjuvantem efficaciter, & corroborandam sententiam suam de gratia efficaci, quæ consistit in illustrationibus, & invitationibus. Et ex diligenti locorum inspectione resolvit Congregatio, persistendum in Conclusionem factam, non obstantibus quibuscunque in contrarium productis.*

§. CLX.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

*Joannis Deckerii liber de annis Christi
a Baronio Cardinale acri cen-
sura perstrictus.*

Hoc item anno Græcii in Styria Joan-
nes Deckerius natione Belga Je-
suita prolixam admodum edidit dispu-
tationem sub titulo: *Velificatio seu di-
sputatio de Anno ortus ac mortis Domini,
deque Universa Christi in carne Oecono-
mia.* In ea hic Author præter alia plu-
rima absurda Christum anno ætatis suæ
trigesimo secundo baptizatum, ac tri-
gesimo sexto Cruci affixum esse propu-
gnabat: cum vero hæc lucubratio gra-
vium ac doctiorum Societatis Theolo-
gorum approbationem præseferret,
Auctorque novam hanc doctrinam suis
discipulis palam tradidisset, necnon Lau-
rentio Suslyæ juveni Studiofo publice
defendendam commisisset, non levis
inde rumor oriebatur, quo etiam Ro-
mam delato Cæsar Baronius Cardina-
lis hanc novitatem acriori censura per-
stringere, eamque suis Annalibus inse-
rere voluit, his verbis conceptam: *Hæc
disputatio universalis Ecclesiæ de annis Christi
& tempore passionis ipsius Chronographice
adversatur: ea ipsa nostra consutatione non
indiget, quod piorum aures nec audire sal-*

*Baron. Ap-
parat. ad
annales
n. 129. t. 1.
Alegambe
Bibl. Societ.
Alphons.
Vargas Re-
lat. p. 6.*

Ss 3 tem

Sæc. XVII. *tem patienter admittant temere præsumptam*
A. C. 1605. *novitatem, qua primum contra Lucam Evan-*
gelistam, asserentem Jesum Christum Do-
minum nostrum baptizatum, cum esset æ-
annorum triginta, affirmetur idem bap-
tus anno ejus ætatis trigesimo secundo
choato, Cruci vero affixus, cum ann-
jam ageret suæ ætatis trigesimum sextum.
Par erat, dignumque, probatum, eruditum-
que Sacerdotem horum auctorem non cir-
cumferri omni vento doctrinæ, sed insister-
in his omnibus Sanctorum Patrum testimoniis.
Et quam reperisset concursu omnium jam
hactenus tritam viam, eandem reddere (ut-
cunque liceret) succisis sentibus cultorem.
Quod si, ut sua firmaret, quæque ad-
santia uti mendosa redarguens, pro arboribus
emendavit: Et textum inter legendum de-
rens vitiatum sæpe correxit, ut quod con-
retur astrueret: quanto licentius pro iurata
totius Christiani orbis sententia, Et con-
firmanda jam vulgata, ab omnibus re-
cepta de Christi annis assertione id facer-
licuisset? quæ enim consuetudine universali
Ecclesiæ roborata sunt, haud convellenda
esse, docet S. Augustinus ad Januarium.

§. CLXI.

Hugonottarum motus in Gallis.

Hist. du Pro-
gres du Cal-
vinis. l. 8.

Sub idem tempus Hugonottæ in Fran-

cia pro augenda sua secta novos la-

scita-

scitabant motus; postquam enim ex Henrici IV. Regis indulgentia Vapicenses Conciliabulum, ante biennium Præfide Daniele Sejamjero celebraverant, Regia concessione abutentes eodem tempore ad hunc annum comitia, ut vocabant, generalia Rupellæ celebranda indicabant: Hanc in rem igitur Henricum Regem supplices adeunt, subdolexponentes, quod ejusmodi comitia Rupellæ celebrare intenderent, eo duntaxat fine, ut ibidem novos eligerent Deputatos, qui aliis ante annos selectis subrogarentur, & tam profana quam Sacra Religionis suæ negotia in Regis aula procurarent: Enimvero Rex percepto hujus conventus loco clandestina eorum consilia subodorabatur, nihilominus, ne intempestiva repulsa horum animos exacerbaret, petitam eis facultatem impertitus est, præscriptis tamen hisce legibus. I. Ut hæc comitia non Rupellæ, sed ad Castrum Heraldi haberentur, eaque nomine illius conventus, quem nuper in Vapicensi Concilio hoc anno celebrandum indixissent, intelligerentur. II. Quidam primæ Nobilitatis Vir ex eorum secta nomine Regis interesset, quo duntaxat præsentem omnia in hisce comitiis proponenda tractarentur. III. Quælibet Provincia nonnisi duos ad hunc Conventum ab-

Sæc. XVII.
A. C. 1605.
*Calmet hist.
Eccl. l. 151.
Daniel hist.
de France
Tom 10.
Vid. supra
Lib. 186.
§. 61.*

Ss 4 legaret.

Sæc. XVII. legaret. IV. Ibidem non alia de
A. C. 1605. quam de electione Deputatorum agere
 tur. Obfistebant equidem his condi-
 tionibus Hugonottæ, irrito tamen pro-
 fus conatu; quippe Rex, ut suam li-
 cultatem hisce conditionibus restringe-
 ret, vehementissimis urgebatur ratio-
 nibus; recens enim recordatio Henrico
 animo obversabatur de pernicioso con-
 siliis Vapinci procius, ubi non modo
 Sabaudia Ducis patrocinium pro Wal-
 densibus, qui Pedemontanas valles in-
 colebant, datis nomine Synodi sue
 literis implorabant, sed etiam sub in-
 sectam suam cum Lutherana uniendo ob-
 tentu cum Palatino Electore, Bulli-
 nio Duce, aliisque arcanam negotia-
 tionem agitabant.

§. CLXII.

*Rosnius Marecallus nomine Regis
 his comitiis præfens.*

Intererat Regis nomine hisce comitiis
 Rosnius Franciæ Marecallus, qui
 Mense Julio ad Castrum - Heraldi dele-
 tus idoneis ad hoc negotium manda-
 tis a Rege instruebatur, inter quæ hæc
 erant præcipua. I. Si forte Hugonot-
 tæ Regem in Protectorem seligere me-
 ditarentur, ipse acri reprehensione eis
 proponeret, quod Henricus ejusmodi
 propo-

propositum non sine maxima indignatione excepturus esset. II. De cetero tot beneficiis & privilegiis, quæ ipsis per Nannetense edictum jam indulta fuissent, contenti forent. III. Sex nominarent Deputatos, ex quibus Rex duos pro suo arbitrio selecturus esset. IV. Ipse Marecallus omnino impediret, ne in hoc conventu Bullionii Ducis vel alterius exteri Principis literæ proferrentur. V. Nullus denique privati Nobilis Deputatus in hisce comitiis Sessionis jure potiretur. Enimvero Rosnii authoritas, prudentia, Hugonottarum amor, probatusque ipsius infectam propensus animus ipsis sat cognitus hæc comitia ad successum utrinque optatum perduxit.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

§. CLXIII.

Conspiratio in Regem feliciter detecta.

Nondum hisce comitiis dabatur finis, cum jamjam Henricus de conjuratorum consiliis certior fieret; Bullionius enim Dux acerrimus Hugonottarum Protector studiose ipsos in conceptis contra Regem suspicionibus alebat, populosque in variis Aquitanie Provinciis præsertim in Petracoricis, Lemovicibus,

Calmet Hist. Univers. l. 151. Daniel l. c. t. 10. Serran. hist. Reg. Gall.

Ss 5

bus,

Sæc. XVII. bus, & Querciis ad seditionem concitatus, & Querciis ad seditionem concitare moliebatur: Sub idem quoque tempus Margaritha Regina ad Avinionem reversa Regi manifestabat, quod factis in illis cum Hispano Rege consiliis eidem Massiliam, Tulonium, Narbonnam, Biteras, aliasque urbes tradere niterentur. His addidit, quod jam mille & amplius Nobiles fors Hispano auro corrupti in nefarii consilii societatem coivissent. Rex igitur, ut hanc rebellionem in suo ortu opprimeret, numerofo milite recens conducto stipatus, ipsemet Lemovices contendere statuit. Hoc Regis propositum conjuratos tanto terrore repleverat, ut ad ipsius famam non modo Nobilium plurimi sese Regis clementiæ committerent, sed ipse etiam Bellionius Dux, postquam omnia sua consilia a Blancarto ejus amico detecta fuisse compererat, pœnitentiam simularet, atque ex Sedanensi arce, quo Heidelbergam redux confugerat, Regi literas submissione plenas perscriberet. Attamen Henricus dolosas Ducis pollicitationes flocci pendens suos Tribunos ad varias rebellium urbes emittebat, dato negotio, ut iis occupatis reos legum severitate plecterent. Hac agendi ratione Rex intra breve tempus has Provincias ad obsequium reduxit, soliumque suum clementia simul a justitia firmavit.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

mavit. Solus adhuc supererat Bullionius Dux, qui tamen a suis derelictus, ac Jacobi Angliæ Regis & Helvetiorum præsidium implorabat, incassum licet, eoquod hi Regis Henrici potentiam vererentur, ille autem conjurationis manifestæ Patronum agere constanter recusaret. Ergo per suos Amicos Regis clementiam exorare compulsus sibi de venia idonee caveri petit. Annuit Rex, ea tamen lege, ut sibi arcem Sedanensem prius traderet. Ad hanc Regis petitionem Dux attonitus hæret, oblatisque aliis conditionibus Henrici gratiam simulque pristinum arcis dominium redimere nititur, Rege autem furdas aures præbente Bullionius potius fortunam, ac quodvis periculum subire, quam arcis custodiam cedere decrevit. Henricus ergo quod clementia haud poterat, armata vi extorquere ac quinquaginta belli tormentis urbem quatere statuit. Jamjam Doncherriam urbem secundo lapide Sedano disitam cum exercitu suo processerat, cum Sedanenses Calvinistæ Regi obviam occurrunt, atque amplissimis verbis sua erga ipsum obsequia fidemque jactitant, nec inane erat fictæ licet hujus submissionis studium; quippe Henricus plenam vitæ, bonorumque incolumitatem eis perbenigne pactus ipsam etiam Bullionii

Sæc. XVII. lionii pertinaciam tam feliciter fregit
A. C. 1605. ut hic Torcium profectus Sedanensem
 urbem & arcem Regi traderet, ea dimi-
 taxat lege, ut pristina restitutus digni-
 tati in ejus gratiam reciperetur: he-
 nuit Rex, qui pactis utrinque firmata
 unacum Regina urbem ingressus in-
 litis prorsus lætitiæ signis excipieba-
 tur. Sane optima inimicum vincendi
 ratio est, ipsum beneficiis ac clemen-
 tia vincere.

§. CLXIV.

Nova conspiratio Mærargai Nobilis.

*Serran. ad
 Henric. IV.
 Calmet &
 Daniel l. c.
 Hist. de Prov.
 lib. 1.
 Epist. 279.
 Ossat. Card.
 Thuan.
 lib. 134.* Vix seditiosi in Aquitania motus con-
 quieverunt, cum Ludovicus Mær-
 argæus inter Provinciæ Nobiles factus
 Princeps, cum pro Massiliensis portus
 custodia Rex ei duas instructas triremes
 commisisset, urbem hanc Philippo Ill-
 tradere machinaretur: Nefarium hoc
 consilium non modo cum Hispaniæ Mi-
 nistris contulit, sed improvida prorsus
 levitate cuidam remigi, juveni ad quæ-
 vis audenda proclivi detexit, hic vero
 libertatem suam proditoris pretio re-
 dimere intentus arcanum hoc Guilio
 Duci committebat, Henrico Regi ma-
 nifestandum. Paulopost Mærargæus a
 Provinciæ Ordinibus ad Aulam deputa-
 tur, quo adventante Rex hujus Viri
 perti-

perfidiam edoctus quantocius Varrenæ Sæc. XVII.
 Nobili negotium dabat, ut Mærargæi A. C. 1605.
 familiaritatem sibi concilians ipsum
 sedulo observaret: nec inutilis erat hæc
 solertia; quippe Varenna die quinta
 Decembris Mærargæum cum Brunæo, Grotius
 qui Zunigæ Hispano Oratori a secretis Hist. 1. 14.
 erat, in quodam hospicio clam confe-
 rentemprehendit, atque ad cubilis
 ostium admota aure ambos de proxima
 consilii sui executione conferentes per-
 cepit: cum igitur ambo rerum ignari
 ex cubiculo exirent, Varenna jubente,
 Fontius, qui pariter cum satellitum
 agmine advenerat, mox Mærargæum
 æque ac Brunæum comprehendit, hunc-
 que in forenses carceres, illum vero
 in Bastillam abducit: Habita quæstio-
 ne Mærargæus de proditione convictus
 ad capitis pœnam damnatur, quam ta-
 men sententiam Rex in perpetuum car-
 ceres commutare statuit, habita ra-
 tione Montpenserii Ducis, & Joyosæ
 Cardinalis, qui reo affinitate juncti
 erant: attamen hi actis Regi gratias ro-
 gabant, ut eorum causa iustitiæ cur-
 sus non interrumpetur, eo quod ipsi
 tantopere Agnati sui perfidiam dete-
 starentur, ut ad eam eliminandam ipsi-
 met carnificum vices agere vellent, si
 nulli alii invenirentur: Itaque Mærar-
 gæus in publico foro die decima nona
 Decem-

Sæc. XVII. Decembris capite plectitur, quod Mæ-
A. C. 1605. filiam delatum ad Urbis portam affixum
 est. Brunæus vero, eoquod Hispanice
 Orator Ministrum suum jure gentium
 a Rege reposceret, post acres utriusque
 contentiones libertati reddebatur.

§. CLXV.

Rex ingens vitæ periculum eludat.

Thuan. hist.
l. 134.
Calmet &
Daniel l. c.
Eadem die, qua Mæraræus extremo
 afficiebatur supplicio, Henricus Rex
 ingens vitæ periculum subibat; cum
 enim Vespere a Venatu in urbem re-
 dux per noctem iter haberet, quidam
 homo ignobilis nomine Joannes Insi-
 lanus patria Sylvanectensis per Sate-
 litum regionum agmen penetrans inle-
 gem infilit, vique attractum in dorsum
 equi supinum inflectit, qui tamen con-
 currentibus illico Regiis pedissequis ab
 ulteriori violentia cohibitus, pugnis
 que contusus statim in carcerem detru-
 ditur, ubi cultro quidem armatus de-
 prehendebatur, a Janino tamen Pre-
 fecto quæstioni subjectus tam absorta
 ac minime inter se cohærentia datam
 reponsa, ut judicum judicio tanquam
 homo furiosus ac delirans non alia
 quam carceris, in quo etiam paulo post
 obiit, pœna mulctaretur.

§. CLXVI.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

§. CLXVI.

Gallicani Cleri comitia.

Jam antea Mense Majo Sacer Ordo Pa-
rifiis apud Fratres Eremitas Sancti
Augustini solemnem pro more Conven-
tum celebrabat, in quo præter alia gra-
vissima Cleri negotia de restauranda Ec-
clesiæ disciplina, ac recipiendo Triden-
tino Concilio agebatur: Intervenerant
die quinta Decembris ipse Rex & Car-
dinalis Joyosa cum aliis pluribus spe-
ctatissimis Præsulibus, coram quibus
Hieronymus Villarius Viennensis Ar-
chiepiscopus nomine totius Cleri lucu-
lentam habuit orationem, in qua inter
alia hæc exposuit: „Permolestem mihi ac
„universo Ordini accidit, ut cui pacem,
„quietem ac securitatem cuncti debent,
„ejus animum curis publicis fatigatum
„querimoniis nostris quamquam justis
„interpellare cogar: haud immerito e-
„nim conqueri oportet de senio, mar-
„core, & conculcata Ecclesiæ Gallica-
„næ dignitate, quæ in vere suo olim
„præcipuus coronæ regis flos fuerat,
„& supra cedros libani gloriosum ca-
„put efferebat, nunc ad ludibrium ex-
„posita est, per vexationes, disciplinæ
„lapsus, nundinationes pudendas, in
„Sacerdotiis fiducias, pensionum laica-
„rum

*Thuan. l. c.
Abregé de
l'hist. Eccles.
tom. 10.*

Sæc. XVII. „rum onera, pactiones illicitas & jur
 A. C. 1605. „damnatas, frequentes ab abusu appe
 „lationes, & denique per bellorum
 „timorum vim ac violentiam, adent
 „in ortu, quo florere debuerat, qui
 „jam ad occasum pervenisse videant
 „& deplorando sine præcipitum min
 „tur. In caussa esse novimus dilatam
 „cilii Tridentini toties efflagitam pro
 „mulgationem, cui decessorum Regum
 „Oratores cum fidem obligaverint, luce
 „quoque Majestatis & fidem tacite ob
 „ligatam intelligimus. Siccine regna
 „terrestria, quæ tanquam elementa sunt,
 „ab aspectu & dulci inspiratione Eccle
 „siæ, quæ mundus noster Cœlestis est,
 „contumaci prævaricatione se subdi
 „cant? siccine quæ tempori cedunt,
 „rerum æternarum fructum impediunt?
 „an erit, ut humanæ rationes cerrent,
 „& de cœlestibus victoriam reportent?
 „ut cælum terræ, Deus hominibus
 „ancilletur; denique res Sacrosanctæ
 „profanis serviant? ergo non amplius
 „in tabernaculo, ac cœlo Patribus do
 „nato adorabimus? Josephus noster Je
 „cobum, a quo prognatus est, non
 „agnoscet? ergo formosa illa Rachel,
 „Gallicanam Ecclesiam referens, quæ
 „falsos Deos ad abolendum pravum
 „cultum Labano subripuerat, ante
 „eos genuflectet, & corpore prostrato
 „ill-

„indebitos honores deferet? ergo non **Sæc. XVII.**
 „ascendemus amplius in equis ad pul- **A. C. 1605.**
 „sum tubarum argentearum Ecclesiæ?

„Josue noster bellidux non amplius Je-
 „richuntis muros quassabit? Samuel
 „non amplius inter nos judicabit, adeo-
 „ne temerarii erimus, ut ab eo appel-
 „lemus; nec sententiæ a nostro Judice
 „prolatæ acquiescamus? totum orbem
 „Christianum in Concilium Tridenti-
 „num consensisse compertum est, solos
 „Francos illud rejicere, & privilegiis
 „tanquam armis adversus illum, qui
 „ea nobis dedit, pugnare non sine do-
 „lore cernimus, cum tamen hoc Con-
 „cilium sit Oecumenicum, a Regibus,
 „& populis expetitur, a Summis Pon-
 „tificibus convocatum, a Spiritu sancto
 „gubernatum, tanta celebritate tanta-
 „que industria, circumspeditione, con-
 „currentibus Galliæ quoque Regibus
 „gestum: Sive jam spectetur finis, sive
 „Orthodoxæ fidei conservatio, & cor-
 „ruptæ morum disciplinæ reparatio,
 „est utilissimum, opportunissimum: si-
 „ve etiam decreta reformationis atten-
 „dantur, sanctissimum, fructuque uber-
 „rimum esse comperitur, sub quacun-
 „que ratione consideretur, Regi vehe-
 „menter suademus, ut Cleri sui preces
 „exaudiat, tristis est conditio Galliæ,
 „ab Ecclesiæ primogenito gubernatæ,
 „*Hist. Eccles. Tom. LIII.* **Tt** „vel-

Sæc. XVII. „velut schismaticam, & Sanctis ordi-
A. C. 1605. „nationibus reluctantem haberi; qui
 „ad fidem pertinent Concilii canones,
 „per se jam sunt acceptati & suffic-
 „ter promulgati, quæ vero ad diffic-
 „nam & reformationem spectant decre-
 „ta, a Provincialibus Franciæ Conciliis
 „sunt recepta, nihilque superest, nisi
 „ut regio quoque diplomate publicen-
 „tur, & in usum deducantur, si autem
 „aliqua sint, quæ cum legibus regni
 „pugnare videantur, ea tam pauca oc-
 „currunt, ut inter Prælatos, & regium
 „consilium vel Parlamentum una colla-
 „tione ita possint componi, ut Majestati
 „regiæ ex integro satisfiat.

§. CLXVII.

*Regis responsum ad Cleri Gallicani
petita.*

Serran. hist. Percepta hac oratione Henricus Rex
Reg. Franc. postulati æquitatem quidem agnos-
pag. 847. vit, humanis tamen rationibus expo-
Thuan. l. c. gnatus hæc respondit: „Enimvero ad-
Binner ap- „modum vera sunt, & talia ipse agnos-
parat. „sco, quæ nunc proposita fuere: vexa-
Sæc. XVII. „tiones, turbasque Ecclesiæ haud dis-
 „sisteo, ut autem afflicta Ecclesia in-
 „tegrum restituatur, ejusque tran-
 „quillitas instauretur, quantum in me
 „est, operam me daturum polliceor: si
 „quo-

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

„quoque ad ejus quietem Concilii Tri-
 „dentini promulgatio sufficeret, eam
 „non sum impediturus; idem enim mihi
 „votum vobiscum est, verum a ratio-
 „nibus mundi sæpe oppugnantur inten-
 „tiones cæli: nihilominus semper vi-
 „tam & sanguinem pro commodo Ec-
 „clesiæ & Dei cultu profundere para-
 „tus sum: Quod vero ad Simonias, il-
 „licitas pactiones & fiduciaras Benefi-
 „ciorum collationes attinet, a vobis-
 „metipsis huic malo medendi initium
 „facite, ceterosque vestro exemplo ad
 „officium revocate: ipsi enim testes
 „estis, quod eos Episcopos inauguran-
 „dos curaverim, non gratia aut poten-
 „tiorum commendatione suffultos, prout
 „a meis Prædecessoribus factum est, qui
 „offensionis materiam præbeant, sed
 „qui doctrina, vitæ innocentia, mo-
 „rumque integritate, quæ viva est præ-
 „dicatio, ceteros ad servandam disci-
 „plinam hortantur, cujus rei cum ipse-
 „met Sacer Ordo vester mihi testimo-
 „nium reddat, tanto impofterum ma-
 „gis studebo, ut Viri idonei Ecclesiæ
 „præficiantur: de cetero tamen mei
 „studii & sinceri erga vos affectus quoad
 „pacem Ecclesiasticam & protectionem
 „eorum, qui Altari serviunt, certos vos
 „esse velim; quæ enim in me adeo co-
 „piose cumulastis præconia, non pro
 „vana

T t 2

Sæc. XVII. „vana gloriatione accipio, sed tanquam
A. C. 1605. „ad perseverandum incitamenta inter-
 „pretor, ut quam benefaciendo laudem
 „hactenus promeritus sum, novis
 „ro benefactis superare non desinam.
 De cetero diuturnitate conventus vestri, ma-
 gno Deputatorum numero, & presen-
 tiis, quas inter vos fieri percipio, aspi-
 dor; recordamini potius, quadraginta
 instare, & quid vestri sit muneris, vestra-
 que presentiam Ecclesiis vestris esse neces-
 sariam; vestra enim cunctatione miseris Pa-
 rochos ad famem & desperationem redigiti;
 cum illis vero & cum optimis, qui sunt in
 vestro cœtu me jungam, ut modus diuturni-
 tati temporis, quo hic hæretis, statuat.
 Quod superest, istud vobis de me persuade-
 tis, Dei cultum & vestram incolumitatem
 mihi semper curæ fore. Postrema hæc
 verba a Continuatore Joannis Serrani
 seu de Serres conficta fuisse scribit P.
 Binner, qua autem ratione fingi qui-
 dem potest, sciri autem nequit.

§. CLXVIII.

*Marpurgi tumultus ob Sectæ muta-
 tionem.*

*Thuan. l. 133.
 Cluverius ad
 hunc ann.
 Struv. cor-
 pus hist.
 Germ.*

Dispar ut caussa, ita exitus magis in-
 gloriatus erat Marpurgensium Luthere-
 ranorum tumultus ob sectæ suæ mutatio-
 nem exorti; Mauritius enim Princeps, post-

postquam Marpurgum urbem ex Ludovici Sæc. XVII.
 V. Patru sui testamento possederat, & A. C. 1605.
 Calvinistis accesserat, hanc sectam ibi-
 dem invehere nitebatur, dato suis Mi- Period. 10.
 nistellis mandato, ut Helveticæ Con- Londorp.
 fessionis articulos populo proponerent. tom. 3.
 Hi potius docendi prædicandique mu- Lib. XI.
 nus intermittere, quam Principi suo p. 587.
 obtemperare se paratos declarabant:
 nihilominus Princeps æquali lance Lu-
 theri & Calvini Spiritum trutinans, Va-
 lentino Schonero severe præcepit, ut
 Calvinismum Tresæ & Casseliis a se
 suisque fratribus ad incudem revoca-
 tum, ac privato commodo magis infer-
 vientem in publica Concione populo in-
 finuaret, sacrasque imagines e Templis
 ejici juberet. Hoc audito mox Joannes
 Winckelmanus, Balthasar Mentzerus,
 alique Lutherani Prædicantes non ve-
 ritatis amore, sed sectæ oppositæ odio
 in Religionis suæ fanatismo pertinaces
 furere cæperant, dein ab his velut a suo
 fonte venenum illico in populum effun-
 di cernebatur; eorum enim exemplo
 velut classico futores, laniones, farto-
 res alique opifices cum asciiis, ligoni-
 bus, variisque instrumentis catervatim
 ad Templum advolant, & Schonorum
 Pastorem verberibus male mulctatum
 ac pene semianimem e suggestu detur-
 bant. Hujus petulantia rumore sparso

Tt 3

Mau-

Sæc. XVII. Mauritius, qui tum Gemundæ agebat
 A. C. 1605. nulla mora accurrit, ac Schonorum plu-
 ris misere fædatum sua ipsius manu ad
 templum suggestumque reducit, ha-
 vero ad populum, morituris ferme u-
 hiulcis verbis dicenti suppetias tulera-
 ipse Princeps acribus verbis tumul-
 tuantes increpans, hæc que profereus:
 „Nunc fat liquido apparet, quod non-
 „dum Imaginum cultus ex cordibus
 „vestris evulsus sit, cum earum caussa
 „vivas Dei imagines pretioso dilectissi-
 „mi Filii sui sanguine Redemptas vio-
 „lare non dubitastis, proinde volo ac
 „jubeo, ut confestim imagines e Tem-
 „plo ejiciantur, & suggestus, in quo
 „vestri Theologi sedebant, & ex quo
 „factus est in Schonorum impetus, de-
 „struatur.„ Insuper Mauritius, cum
 Ministrorum fidem atque obsequium sui
 merito suspectum haberet, aliquot mi-
 litum cohortes in urbem induxit, &
 per civium ædes distribuit: Æstuabat
 aliquamdiu in eorum animis iracundie,
 vindictæ ac seditionis intemperies, que
 tamen nonnisi in privatam, nec publi-
 cam criminationem & querimoniam e-
 rumpere audebat: Sedato sensim fu-
 rore cives per delegatos suos ad genua
 Principis provoluti, culpamque con-
 fessi veniam supplices petierunt, tan-
 dem edocti, quod in sectariis scholis
 trita

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

trita sit regula, quod talis esse debeat Religio, qualis est Regio & Regionis Princeps. Promeritam tamen pœnam ad Schoneri preces Mauritius remisit, paucis duntaxat, qui tumultus Authores præcipui exstiterent, exilio multatis: ipse vero, quia in Synaxi juxta sui Calvinismi beneplacitum panem frangi jusserat, cœnam aliquoties adhibito panis fracti ritu sumplit, ac postmodum discessit.

§. CLXIX.

Brunsvicensis Tumultus.

Detecta, ut meminimus, Henningi Thuan. & Cluverius. l. c.
Brabanti proditione, longe vehementior turbo pene Brunsvigam oppressit; inde enim Henricus Julius Brunsvicensis Dux majorum jura prætexens hanc urbem astu interciperet statuit: ut cautius autem cives falleret, militem aliquamdiu vicinum tenebat, eo obtentu, quod Hispani Ligenam urbem citra Rhenum obsidentes ulterius progredi timerentur: Accessit insuper ad tegendum intercipiendæ urbis consilium opportunus admodum rumor, quo sparsum, quod Julius Filiam suam Christiano Anhaltino Principi desponsaturus, contractaque hac affinitate hic Princeps, qui ad Calvinistarum Sectam

T t 4 incli-

Sæc. XVII, inclinabat, ad Augustanam confessionem
 A. C. 1605, nem rediturus esset, quod populus unice
 in Saxonia exoptabat, proin omnes contra
 omnem suspicionem militum ac mil-
 itarum delectum eo ex fine fieri cre-
 debant, ut novi sponsi tanto honorati
 esset accessus. Hucusque cuncta col-
 ludebant secreto Julii consilio, ad co-
 jus executionem diem vigesimam Se-
 ptembris præstituit, qua etiam die tres
 currus delectis militibus onustos una-
 cum quindecim aliis armatis rusticorum
 vestes indutis præmittit, prospero ad-
 huc successu; hi enim trucidatis excu-
 biis, valloque occupato mox belli tor-
 menta ibidem reperta in urbem conver-
 tunt, atque ad terrorem displodunt, sus-
 socios præstolaturi; his vero mor-
 trahentibus interim ad inopinum ter-
 multum pueri, fæminæ, senesque Lu-
 therani ad Divi Blasii Templum, in
 subitis casibus naturali Religionis in-
 stinctu, confugiunt, se loci reverentia
 Sanctique Patrocinio tutos fore rati;
 Tribuni vero & Regionum Duces con-
 gregato civium ac præcipue Braxato-
 rum agmine post unius diei certamen
 fugato hoste patriam liberarunt. Ex
 Julii copiis præter ducentos captos ce-
 cidere mille ducenti, ex civibus vero
 vix quinquaginta trucidati, totidem-
 que faucii.

§. CLXX.

§. CLXX.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

Brunsvicæ obsidio incassum tentata.

Inde Julius Dux pudore ac indignatio-
ne accensus Brunsvicam vi aperta
obsidere statuit, ac die vigesima prima

*Mercur.
Gallo Belg.
tom. 5. l. 4.*

Octobris ducto circum vallo urbem cingit, civibus nequicquam resistentibus, sed per suos Delegatos vim suæ libertati illatam querentibus: Quarto post die Dux Onacrum flumen ea ex parte, qua aquas ex civitate defluentes ejicit, opposito aggere obstruit, unde restagnantes undæ Templâ, fora, ædesque pene obruebant, simulque pilæ ignivomæ nova nocendi arte continuo ejaculatæ tam inextinguibili incendio domos depascebant, ut aqua ignique urbs ad excidium destructa videretur: In tantis angustiis deprehensi cives decreta Legatione Cæsaris opem implorant, nec irritò consilio; Rudolphus enim severo edicto Julium omnesque hujus obsidionis conscios inde discedere jussit, addita etiam proscriptionis pœna: cum vero Protestantes, soluta Imperii disciplina, Cæsareis mandatis duntaxat parere assueti essent, dum id e re sua esse censent, hinc Julius pariter contempto Imperatoris edicto quingentos Equites ex Holsatia, quæ itidem Im-

Tt 5

perio

Sæc. XVII. perio subest, suis aggregabat, se in-
A. C. 1605. tum ad arma nonnisi civium suorum pro-
 tertia fuisse provocatum declarans: Lep-
 super flocci habebat urbium Améri-
 carum Legatos, qui enixe Julium en-
 rabant, ut si quid juris controversiam
 obsessis haberet, non armis, sed ju-
 experiretur: Ad hæc Dux quidem co-
 vibus pacis condiciones, adeo iniquas
 tamen proposuit, ut obsessi eas recitare
 cogerentur, sequenti tamen anno pa-
 ctis induciis, cum Cæsaris Legati cum
 Saxonis suam interponerent auctori-
 tatem, ac insuper ventus hostilem dis-
 rumperet aggerem, proin flumen un-
 das refunderet, Julius capto ex neces-
 sitate consilio obsidionem solvit, litteras
 ad arbitros, Cæsare jubente, remitte-
 re coactus.

§. CLXXI.

Conciliabulum Rotterodamense.

*Abregé
 Chronol. de
 l'hist. Eccles.
 tom. 3.
 Limbroch.
 rela.. Hist.
 p. 48. Et seq.
 Declar.
 press. Re-
 monst. p. 34.* **H**oc item anno die trigesima Augusti
 Calvinistæ Rotterodami Concilia-
 bulum celebrarunt, in quo omnibus
 Ministellis præceptum, ut rursus Ca-
 techismo & fidei Confessione inter Re-
 formatos receptæ subscriberent: Huius
 decreto ex Arminiensibus obstitabant
 potissimi: eapropter Synodus oblato
 Fæderatis Ordinibus libello supplicii
 pete-

petebat, ut Nationale Concilium celebrare liceret: annuere hi, atque ad annum Christi millesimum sexcentimum octavum re ipsa ejusmodi Synodus est indicta, tardius vero celebrata, eo quod Jacobus Arminius hujus sectæ Author toto studio extorquere niteretur, ut Confessio Belgica & Catechismus Palatinus recognoscerentur, atque novo examini subicerentur; ipse enim & quamplurimi alii ex Calvinistis palam edicebant, quod ejusmodi humanæ fidei sanctiones præter Scripturam Sacram nemini in Ecclesia obtrudi possent, præsertim cum in præfata Confessione & Catechismo varii reperirentur errores. Attamen contra-Remonstrantes, cum suam sectam fidei erroribus scatere, fateri erubescerent, Arminii desiderio sese acerrime opponebant, caussati, quod hæ sanctiones primum anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo in Synodo Dordracensi a regionum istarum Ecclesiis receptæ fuissent, proin si nunc recognoscerentur, hoc ipso doctrina suæ Ecclesiæ redderetur suspecta, ac confusiones & rixæ exin orientur, necnon progressu temporis noxiæ & perniciosæ doctrinæ introduci possent, prurientibus & novaturientibus ingeniis occasione data ad proferenda semper dogmata nova. Ita sane

Prote-

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

Sæc. XVII. Protestantium secta tandem mere Protestan-
 A. C. 1605. tica evasit Religio, aut multiplex dis-
 sidentium factio.

§. CLXXII.

*Decreta ac Constitutiones Synodales
 Diœcesis Curiensis.*

*Concilia
 Germ.*

Sæc. XVII. Joannes V. Flugiurum ab Aspernot Curi-
 riæ Episcopus ante Synodum Diœcesan-
 fanam, quam se brevi indicturum pol-
 licebatur, varia decreta & Constitutio-
 nes Synodales seu potius pastorales Curi
 sui instructiones pro emergentibus casu-
 bus condidit, quarum præcipuas im-
 præsentiarum recensemus. Declarat
 autem, quod febri vel alia levi in-
 mitate laborantes non excusentur a per-
 so Canonico, insuper prohibuit Cleri-
 cis, ne Chirurgo, Medicos, Lani-
 ones aut venatores agerent, aut cele-
 brantibus sub Altarium mappis herbas,
 carnes vel alia supponi permitterent.
 Præceptum quoque Parochis, ut ultra
 diem a sua Parochia non absint, quin
 interim idoneum subrogent. Jubentur
 etiam Decani, ut absque omni huma-
 no respectu omnes suos Clericos juxta
 Tridentinum Concilium & Catechis-
 mum Romanum præcipue circa Sacra-
 menta.

mentum Pœnitentiæ jejunii verni tem- Sæc. XVII.
 pore examinent, & si quos minus ido- A. C. 1605.
 neos repererint, eis confessiones exci-
 piendi facultatem auferant. Salubri-
 ter quoque tollitur abusus, quo bona
 ad Ecclesiæ fabricam destinata ad va-
 rios usus & commessationes præsertim
 tempore rogationum & publicarum
 supplicationum consumebantur, pari-
 terque statutum, ut fabricæ rationes a
 Syndicis *Ecclesiasticis* coram Episcopi
 Vicario seu Decano aut loci Parocho e-
 tiam cum interventu Magistratus sæcu-
 laris, si id necessitas postulaverit, an-
 nue ineantur. Denique enumerantur
 jejunii dies ac festa ex præcepto ferian-
 da, circa quæ sub anathematis pœna
 Laicis potestas arrogata inhibetur con-
 cedendi licentiam opera servilia in die-
 bus festis exercendi, quæ tamen facul-
 tas Parochis asseritur.

§. CLXXIII.

Synodus Diœcesana Culmensis.

Non minus celebrem Synodum ad vi- Concil. Germ.
 gesimam primam Junii Laurentius D. Schanat
 Gembickius Culmæ Polonicæ seu su- tom. 8.
 perioris Boruffiæ Metropoli die decima
 quarta Maji indixerat, convocatis ad
 eam Clericis tam ex Culmensi, quam
 Pomesaniensi Diœcesi, quæ posterior
 jam

Sæc. XVII. jam dudum Culmensi unita fuerat. Per
 A. C. 1605. stituta igitur die Episcopus solenni
 rem Sacram peragebat, habito
 modum ad Clerum sermone, in quo
 Viros eruditione ac probitate in
 dilaudabat, acriter vero invehebat
 ceteros officii sui ignaros, otio torpe
 tes, luxu diffluentes, suaque lucra
 non animarum salutem procurantes.
 His præmissis varia condebantur decre
 ta, atque inter cetera sancitum, ut Sa
 cerdotes, si quando in disputatione
 cum hæreticis descendendum sit, id
 caute & sobrie in locis idoneis, & non
 in commestationibus faciant, atque
 jurgiis & contentionibus omnino abste
 neant. Parochis quoque ceterisque
 prohibitum, ne ad commestationes in
 Patrociniis vel Ecclesiarum Dedicatio
 nibus conveniant. Quoniam vero
 interdum quidam Religiosi ad oppida &
 civitates, ad mercatus aliquasque so
 lemnitates accurrere, stipem colligere,
 victumque aliis Religiosis præcipere
 comperti essent, hinc præceptum, ut
 Parochi ab eis testimonium Superiorum
 exquirant, & si cum offensione po
 puli se gesserint, eos vel carceribus coar
 ceant, vel ex oppidis ejici curent.
 Præterea Neo-Mystris indicta suspensio
 nis pœna prohibitum, ne hunc in
 nem stipem colligant, aut convivia
 stituant.

fituant: denique actum de continuan- Sæc. XVII.
 da fabrica Seminarii pro Clericis & No- A. C. 1605.
 focomii pro Sacerdotibus senio confe-
 ctis aut ad Ecclesiæ ministeria incapa-
 cibus.

§. CLXXIV.

Synodus Archidiœcesana Pragensis.

Denique ad Ecclesiæ Bohemæ disci- Schanat.
 plinam utilissima juxta ac celeberrima ibid.
 habebatur Synodus Nationalis,
 qualis a tempore Ernesti I. Archiepi-
 scopi Pragensis, qui ante Zifskanas tur-
 bas seu ante ducentos & complures an-
 nos hanc rexerat Ecclesiam, celebrata
 non fuit, Archiepiscopis aut bello aut
 præmatura morte præpeditis. Hanc
 vero hoc anno Sbigneus Archiepisco-
 pus ad diem vigesimam octavam Se-
 ptembris edixit, ac triduum protraxit.
 Scopus primarius, quo Sacri Concilii
 mens & conatus collimabat, erat Cleri
 reformatio, atque integritas Romanæ
 fidei procuranda: Jam anno priori Cle-
 mens Octavus Papa die decima quarta
 Octobris Sbigneum datis literis ho-
 tabatur, ut postpositis ceteris curis Sy-
 nodum proxime indiceret, eo quod hæ-
 resum pestis tam longe lateque progressa es-
 set, atque Ecclesiasticorum corrupti & de-
 pravati mores adeo ibi excrevissent, ut
 nulla

Sæc. XVII. *nulla fere Ecclesiasticæ disciplinæ vestigia*
A. C. 1605. *supereffe videntur.* Igitur Archipræ-

habita oratione suam moram negotiis
 quamplurimis fere quotidie emergentibus excusans, se ad maturandam hanc
 Synodum a Paulo V. Papa admonitus ac Rudolphi II. Cæsaris patrocínio ab-
 jutum enuntiabat: Postmodum plurima triginta quinque titulis comprehensa
 condidit decreta, ex quibus præcipua delibamus. Inhibitum itaque, ne
 Christiani ad convivia, nuptias, vel dies festos & Synagogas Judæorum ac-
 cedant, aut cum eis ludant, choreas ducant seu in eorum famulatu sint, nec
 pecuniam apud Judæos deponant. Monet etiam Synodus Concionatores, ne
 in arguendis vitiis quempiam expressis aut tacitis verbis commonstrantes
 sectentur, ne odio potius, quam animarum salute ad id adduci videantur.
 Præterea præter alia festa omnibus Ecclesiis communia Synodus etiam con-
 numerat duos dies ad Pascha & Pentecosten proxime subsequentes omnis SS.
 Innocentium, Josephi, Nicolai, Martini, & Catharinæ festivitibus: in
 verni autem jejunii diebus non modo a carnibus, sed & lacticiis & in cæca
 a cibis coctis abstinendum declarat, usum quoque aquæ benedictæ summo-
 pere commendat, Parentibus injungens, ut

ut mane & vesperi proles suas ea asper- Sæc. XVII.
 gant. Fenestras quoque omnes, per A. C. 1605.
 quas Missa a deforis stantibus audiri
 posset, obstrui præcipit, Parochisque
 injungit, ut si prolem ex illegitimo thoro
 natam Baptizaverint, non Patris sed
 Matris tantum nomen libro Baptismali
 inferant, sique Sacram Synaxin ad in-
 firmum deferunt, eidem Crucem ado-
 randam porrigant, priusquam Sacram
 Communionem præbeant. Insuper in-
 ter casus Episcopo reservatos annume-
 rat Synodus, si aliqui post sponsalia ante
 legitimum matrimonium sese carnaliter
 cognoverint, aut cum Moniali solo e-
 tiam tactu peccaverint, vel in quadra-
 gesima publice & cum scandalo carnes
 comederint. Clericis etiam suis inhi-
 bet, ne cum hæreticis & præsertim cum
 hæreticorum Prædicantibus frequen-
 tem consuetudinem habeant, neve cum
 eis cibum capiant; *hujusmodi enim fa-
 miliaritas Laicis præsertim rudioribus scan-
 dalo esse posset, caveant quoque, addit
 Synodus, a mutuo commercio cum iis, qui
 Wittembergæ, Lipsiæ, seu aliis ejusmodi
 locis sunt non legitime ordinati; ii enim,
 cum hæretici sint, hæresum venena evomere,
 Calvinismum introducere non desinunt.* Plu-
 ra alia, eaque saluberrima decreta
 fuere condita, quæ tamen passim alibi
 statuta leguntur.

Hist. Eccles. Tom. LIII. Uu S. CLXXV.

Sæc. XVII.

A. C. 1605.

§. CLXXV.

*Joannis Zamoscii Poloniæ Cancellarii, aliorumque Illustrum Virorum fata.**Thuan.*
*lib. 134.**Adam Bur-*
sus in vita
*Zamosc.**Salikov.**comm. rer.**Polon. Sleid.**contin. l. II.**Aub. Mir.**Bibl. Script.**Sæc. XVII.*

Præter superioris anni Cometam tribus, quæ hoc anno visebantur, Eclipsibus plurium illustriorum Virorum mortem fuisse præmonstratam nonnullorum erat opinio; præterquam enim, quod universus Orbis duorum sumorum Pontificum funeribus teter ac luctuosus esset, insuper etiam Polonia fortissimo juxta ac prudentissimo Heroe orbata fuit, Joanne Sario Zamoscio summo Regni Cancellario: Hic, postquam Lutetiæ Parisiorum, necnon in celebrioribus Italiæ Academiis omnium scientiarum genere ingenium suum excoluerat, anno vigesimo secundo ætatis suæ duos libros de *Senatu Romano Patavii* teste Scaligero vulgabat, quos tamen nonnulli Carolo Sigonio adscribunt. Inde in patriam reversus, ac Pro-Cancellarii dignitate auctus, in Franciam Orator decernebatur, ut Henricum Andegavensem Caroli IX. Galliarum Regis fratrem nomine Polonorum Optimatum Regem neo-electum saluaret. Postea Regni Polonici consiliorum arbiter intimus Andreæ Bathorio Polo-

Polonos concilians, hunc Daciæ Prin-
cipem, eo quod Grifilden Bathoriani Sæc. XVII.
A. C. 1605.
fanguinis sæminam haberet in matri-
monio, contra Cæsarem & Austriacos
potenti studio, ac summa constantia
tutabatur, bis profligato Maximiliano
Archiduce, atque ad extremum capto:
Demum a Stephano Bathorio supre-
mus exercitus sui Dux renuntiatus non
una clade Bastam & Michalem Woy-
wodam profligabat, eademque fortitu-
dine Sigismundum Catholicum Sueciæ
Principem contra Carolum Suderma-
niæ Ducem Lutheri secta infectum pro-
pugnans, in Livonicis quoque bellis con-
tra Moscos sese Virum non minus in
expediendis Regni negotiis, quam in
militari scientia versatissimum exhibe-
bat. Hac inter curas nunquam tamen
literarum studia intermittens, anno
Christi millesimo quingentesimo nona-
gesimo quarto Zamoscii celebrem erige-
bat Academiam, ea tamen lege, ut ex
Jesuitis nullus unquam ibidem Profes-
sor munere fungi posset. Tandem
vero, ut liberius studiis indulgere va-
leret, aula relicta inter libros conse-
nuit, viribus tamen sensim decrescen-
tibus in sua Bibliotheca, cum profunda
meditatione defixus crederetur, in Sella
sedens die quarta Junii ex subita apo-
plexia decessisse deprehendebatur, anno

U u 2

ætatis

Sæc. XVII. ætatis suæ sexagesimo tertio, quo juxta
A. C. 1605. Astrologorum commenta, in mortali

vita fieri solent mutationes plerumque
 ad deteriorem statum mortemque ve-
 gentes, quamvis Zamoscius astris im-
 minans omnes sibi dies climatericos
 existimasset; semper enim æternitatis
 annos in mente habens sibi sepulcrum
 vivens parari jusserat, cum hac funebri
 inscriptione: *Joannes Zamoscius quicquid
 mortalitatis habuit, huc recondere iussit.*
 Referunt Scriptorum nonnulli, quod in
 Zamosci urbe a se recens constructa cu-
 juscunque sectæ usum indulerit; id
 vero ad tanti Viri invidiam fuisse spæ-
 sum ex testamento a se condito eluceat,
 quo inter alia pia monita, quæ Thomæ
 Filio suo dederat, hæc subjunxit: *Te
 carissime fili, non modo hortor, verum
 etiam obtestor, ut Deum & pietatem ante
 omnia colas, eamque non modo potissimum
 sed solum quasi bonum, aut bonorum om-
 nium unicum fundamentum judices: in pri-
 mis Religionem Catholicam constantissime
 tuearis, hæreses novaque dogmata quæcum-
 que, quocumque etiam nomine obtrudantur,
 fugias: ac, si forte Regni amplissimi civem
 te læteris, iis majoribus, qui meritis fac-
 aliquam tibi nominis famam reliquerunt,
 tanto magis, præstantiore parente Ecclesia
 Catholica, lætandum tibi statuas; quod
 non modo tot Regum ac Principum, sed
 quod*

quod longe præclarius, omnium Sanctorum **Sæc. XVII.**
communis Mater est; in cuius gremio mori **A. C. 1605.**
felicius est, quam ab initio nasci; cum non
nasci satius sit, quam in hac non mori.

Haud absimili fortitudinis laude, minus tamen prospera sorte extremum diem clauserat Hermanus Christophorus Roswurmius, qui de Cæsare & Aufriaca Domo optime meritus, a Joanne Beliosa Comite, ut creditum est, apud Cæsarem accusabatur, quod Turcarum auro corruptus Budensis obsidionis faustos conatus occulta perfidiæ machinatione corrupisset, eapropter Hermanus indignationem inde conceptam in Franciscum Comitis fratrem evomens exeunte Mense Julio eundem decem vulneribus confossum glande plumbea Pragæ trajecit, ubi etiam lata in eum sententia die vigesima nona Novembris capite plexus obiit.

Pariter die quarta Augusti Molini in Boiis mortalitatem exiit Carolus Lotharingus Ellebovii Dux præmatura canitie senectutem præferens: Hic præclara fortitudinis suæ specimina edens præcipuis dignitatibus ab Henrico III. Galliarum Rege augebatur, tandem vero cum Guisio Duce conspirasse creditus, anno supra millesimum quingentesimo octogesimo octavo custodiæ dabatur, inde autem triennio post

U u 3

liber-

Sæc. XVII. liberatus plurima obsequia Henrico IV.
 A. C. 1605. integerrima fide præstitit.

§. CLXXVI.

Res Hungariae.

*Mercur.
 Gallo Belg.
 tom. 5.
 Thuan.
 lib. 133.
 Pannon.
 Bell. p. 1.
 p. 321.*

Interim in Hungaria bellum haud prospero profus Marte continuatum est, optimis Belliducum consiliis partim Turcarum potentia, partim Heiducorum rebellium immanitate delusis; hi enim ineunte Mense Februario Somolcokinum occuparunt, relictis ubique crudelitatis suæ vestigiis. Sequenti Mense totam late Regionem ferro flammaque devastantes Ruswurmiana invadunt castra, mox tamen a Hohenlochio Comite repulsi: nec tamen inde terrent, sed Tartarorum & Turcarum agmina suffulti novumzolum aggrediuntur, quod oppidum civibus deditionem negantibus continenti incendio delent, eosque, qui flammarum furorem evigilant, gladiis jugulant, demum continuata sæviendi libidine Varsoniam arcem astu intercipiunt, brevi tamen a Jaurinensibus inde ejecti: Eorum vero Princeps Botfckaius, ut grandiora moliri videretur, die nona Maji cum quindecim fuorum millibus Neosolum movet, Barbaris trajecto Danubio in ejus open absdubio accursuris, nisi Georgius Balta inopie

inopino impetu eorum castra invadens ingentem cladem intulisset; sub idem tempus Budensis Bassa, qui currus pecuniis onustos Botfakaio advexerat, a Comorrensibus praesidiariis vita & auro spoliatus est: E contrario seditiosi Vicigradium, Novigradium, & Gokeram oppositum Strigonio oppidum diripiunt, Vacciamque turpi Christianorum fuga desertam occupant, aequae ac Sacmariam arcem, quam praesidiarii inedia pressi dediderunt.

Saec. XVII.
A. C. 1605.

§. CLXXVII.

Strigonium per Hungarorum perfidiam a Turcis occupatum.

Hisce secundantis fortunae auspiciis Turcae animosiores facti Strigonii obsidionem, quam anno priori incassum tentaverant, Mense Septembri reintegrare constituunt; jamjam huic molimini praeludebant tumultuantes Pannonii, qui Mense Junio eadem ex urbe erumpebant, ac molendina Turcis denuo eripere simulantes unacum ipsis Budam auffugere. Tandem supremus Vesirius cum praecipuis Purpuratis Strigonium versus validissimum deducit exercitum, positisque castris, erectisque aggeribus urbem cingit, nihilominus subsidium a Caesareis in tempore

*Nova Pannon Paul.
Han ad hunc ann.
Memor. hist. de Ottam.
di Giov.
Sagredo.*

Uu 4 sub-

Sæc. XVII. submissum, elusis Turcarum conatibus
 A. C. 1605. feliciter in urbem excipitur. Die vigesima tertia ejusdem Mensis Turcæ e monte, cui a Sancto Thoma nomen, nostros dejiciunt, cæsis omnino urgentis, quos inter etiam Oettingæ Comes recensebatur, cui Tampierus Comes subrogatus est. Altera die cumculis res acta, directisque triginta circiter tormentis, Flumentana arx verberatur: remota tamen adhuc fuisset victoriæ spes, nisi sub idem tempus Turcæ de misero urbis statu per transfugam fuissent moniti: inde enim concepta expugnationis proximæ fiducia animos redintegrant, noctisque opportunitate usi vallum occupant, prætoriiis adhuc profundo somno sopitis: postea in cetera valla impetu facto propius urbem infestant, alternante tamen fortuna, nunc inde repulsi, mox aucta viribus audacia victores effecti. Postquam vero Hungari, qui e Vicigradiensi præsidio Strigonium pervenerant, turpi pariter defectione ad Turcas secesserant, dumque ceteri oppidum ab Hali-Bassa omni ex parte cingi viderant, desperare de rebus suis cæpere, moxque milites, & mulieres unacum suis prolibus Tampierum adierunt, additis etiam minis ditionem fieri postulantes. Negat id initio Comes, eosque ut juramenti sui memo-

memores constanter secum urbem defendere, hortatur, cum vero rem ad communem seditionem spectare, ac milites jamjam arma projicere cerneret, tandem urbem dedere compulsus est; unde die tertia Octobris mille ferme numero egressi sunt, qui tradita arce, quam Christiani ultra decem annos possederant, ab ipso Hali-Bassa Comorram deducebantur, septuaginta ferme tormentis in urbe relictis præter ducentos Germanos milites, qui commotæ seditionis rei aut Christianorum supplicia veriti, aut Turcarum præmia sperantes unacum suis Tribunis Barbarorum stipendia merere cæperant: Propudioso igitur hoc fato celebris hæc urbs per septuaginta octo annos Turcarum jugo subdita permanerat, usque dum anno Christi millesimo sexcentesimo octogesimo tertio die vigesima septima Octobris eam Leopoldus Cæsar victricibus armis recuperaverat.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

§. CLXXVIII.

Inter Cæsarem & Botskaium, Turcasque pax agitata.

Paulopost Hali Bassa Budæ non sine Thuan. l. c.
veneni suspicione periit, cui Sendar Bassa suffectus propensum in faciendam pacem animum præseferabat:

Uu 5

idem

Sæc. XVII. idem quoque studium simulabat Bots-
A. C. 1605. kaius, qui Homonaium Pannoniorum
 tumultuantium Ducem Pestam ab-
 gabat, plena potestate facta de suis
 negotio agendi. Hic igitur cum Te-
 carum Purpuratis Carpam venit, quæ
 Sigismundus Forgatius eam ob causam
 a Cæsare decretus erat: Præ-
 quam vero hoc de negotio ageretur,
 Regis Persarum Legati ad Cæsarem ve-
 nere, supplices, ut bellum contra Tur-
 cas omnibus viribus urgeret, nulloque
 pacto ad pacem cum illis ineundam
 propenderet. Placuit summopere hoc
 consilium Cæsari, qui etiam exeunte
 Mense Novembri Legatis aula dimissis
 literas hujus ferme tenoris ad Persarum
 Regem deferendas tradebat: „Nihil
 „quidem superioribus annis omis-
 „quo Turca a finibus Pannoniæ propul-
 „leretur: ast seditione quorundam fe-
 „lices armorum conatus retardati fue-
 „re: nihilominus sperandum, brevires
 „ita componi posse, ut totum Imperii
 „robur absque impedimento in Turcas
 „vertatur: sollicitatur æque Hispaniæ
 „Rex, ut classe infesta per mediterræ-
 „neum Mare vires hostium distrahat:
 „Pontifex quoque milite & pecunia cau-
 „sam communem juvabit:„ Alteris
 postea literis Cæsar Persarum Regi gra-
 tes rependit, eoquod is Christianos in
 suo

fuo Regno tanta benignitate comple- Sæc. XVII.
 xus effet, permiffa ipsis Religionis fuæ A. C. 1605.
 libertate: Porro tertius Persarum Le-
 gatus, qui ad Franciæ Regem miffus Mercur.
 fuerat, in Poloniam reversus, insigni Gallo Belg.
 prorsus mendacio, Regem suum ad fi- l. 3. tom. 5.
 dem Catholicam transiisse spargebat, p. 361.
 inde majorem se legationi suæ gratiam
 conciliaturum ratus: Ea res mox in
 vulgus disseminata, ac tam artificiose
 conficta fuit, ut totam hujus commenti
 feriem Author Mercurii Gallo - Belgici
 suis commentariis inserere non dubita-
 rit, in mendacii subsidium vocato quo-
 dam Anglo Jesuita veluti hujus falsæ
 conversionis Promotore: forte errandi
 ansam præbuit conversio Regis Serræ
 Leænæ, qui in India orientali hoc an-
 no unacum quatuor liberis suis veræ
 fidei accessit: utut res se habeat, id
 certum est, quod Legati commentum
 apud Saniores Regis Persæ fidem ad-
 eo suspectam reddiderit, ut de sincera
 pace actum videretur, præcipue post-
 quam agitato pacis consilio Botskaius
 ad Canisæ fines in mille Italos irruens,
 trucidatis eorum trecentis pecuniam a
 summo Pontifice submissam abstulerat,
 eodemque tempore Tartari in prædas
 effusi Botskainis imixti Cæsareos in ca-
 stris securos opprimere attentaverant,
 inde tamen non sine magna clade re-
 pulsi.

Sæc. XVII. A. C. 1605. Nihilominus Fogafius & Stephanus Illishascius primarius Hungariæ Regulus Viennam ad Mattheum Archiducem, quem Hungari sibi illegem deposcebant, profecti de pacis conditionibus agere cæperant, tota interrim Transylvania & Moldaviæ ac Valachia Proceribus in Botskaii verba jurantibus.

§. CLXXIX.

*Moravia, Stiria, Austria & vicinæ
Regiones a seditiosis militibus
devastatæ.*

Thuan. l. c. *Sleidan.* *contin. l. II.* *Mercur.* *Gallo Bel.* *t. 5. p. 336.* Jam die vigesima quinta Martii tumultuantes Pannonii datis ad Bohemiam, Silesiæ & Moraviæ Proceres literis summa a Cæsare ad Turcas defectionem, non sæviendi libidinem sectæ suæ depresso obtentu tegere, atque excusantebantur, contestatione facta, quod coacti ad arma pro juribus Regni & tuenda conscientiarum libertate devenerint, nullatenus autem contra Christianos Principes (sed verius pro Lutheri & Calvini Sectatoribus) sed adversus Pontificis tyrannidem, ejusdemque mancipii Regis Rudolphi, qui ejus ipsos exterminandos suscepisset, bellum gerere compulsi fuissent: His literis sat luculenter declarabant, quod unice sectæ

sectæ suæ fanatismo abrepti, fidem legitimo suo Principi juratam violarint, nullum alium in Regem suum agnoscere parati, nisi qui Papam Tyrannum, & Antichristum nominare auderet. Abjecto igitur omni humanitatis sensu rebelles conjunctis Turcarum copiis ad lacum Balatonium, & alibi quamplurimos pagos flamma ferroque misere devastarunt, funestissimis ubique crudelitatis hæctenus non auditæ relictis vestigiis: nec hæc erat prima cædes, quam eis sectæ suæ furor instillabat; quippe in Stiriam irruentes illam viciniam longe lateque continuato sæviendi ardore emetiebantur, cunctosque etiam Proceres, quos Ecclesiæ Romanæ ac Cæsari adhuc addictos noverant, in Botskai fidem, vel sectæ suæ societatem armata vi compellebant: inde in Austriam progressi in incolas pari sævitia debacchati sunt, ac nonnunquam uno eodemque tempore quindecim vel sexdecim pagos incenderunt, plurimasque urbes deprædati non cædibus, non ætati, non formæ, sexuique pepercerunt, sed uno miscentes interitu obvios quosque aut misere trucidarunt, aut acerbis affectos verberibus in servitutem abstraxere. Sic afflictis turbatisque rebus ab ipsis malis aliquod malorum levamen quærere, vel pacem caro licet

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

Sæc. XVII. licet pretio emere, vel bellum novum
 A. C. 1605. fœderibus initis redintegrare oportebat, id suadente ipsa publici communitisque periculi necessitate, quæ ipsa etiam brutas animantes societate quodam adstringere solet.

§. CLXXX.

Turcæ a Persis profligati.

*Sagredo
 Mem. hist.
 ad hunc ann.
 Calmet hist.
 univers.
 lib. 153.*

Hæc dum in Hungaria gerebantur, Persæ in Ottomanici Imperii fines victricia sua circumferebant arma; hi enim Cicalam Turcarum Belliducem, quem Achmetes novus Imperator denuntiato bello cum valido exercitu in Persidem decreverat, tanto impetu oriebantur, ut Turcæ ruptis ordinibus pedem præcipiti fuga referre cogentur, hosti relictis omnibus belli tormentis, cunctisque sarcinis. Hac clade territus Cicala Sultanum impense rogabat, ut Alepum vel Damascum progressus sua ipsius præsentia militum animos erigeret: cum autem Achmetes ad hæc preces surdas præberet aures, paulopost die vigesima quinta Novembris Cicala rursus prope Taurisum in Persarum copias numero longe inferiores incidit, brevique res ad prælii necessitatem devenit: atrox utrinque ac in integrum diem protracta pugna, æquato

quato diu utriusque partis damno ac ^{Sæc. XVII.} A. C. 1605.
 decore, tandem vero versa est pugnæ
 fortuna, dum sole jamjam ad occasum
 declivi tempestive duodecim Persa-
 rum Equitum millia in opem vene-
 rant. Tunc enim Persæ subditis cal-
 çaribus tam ferociter in hostem pro-
 ruunt, ut Turcæ, cum ordines suos
 redintegrare haud possent, tumultuaria
 fuga sese ex acie abripere, atque Diar-
 bechiam usque, quæ civitas est decem
 dierum itinere Taurisio dissita, retro-
 cedere cogentur, amissis omnibus
 tormentis, totoque belli apparatu. Ce-
 cidere Turcarum triginta millia, atque
 inter eos Damascenus Bassa, & novem
 Supremi Provinciarum Præfecti cum tri-
 ginta fiduciarii Equitatus Ducibus. Hac
 clade Ottomani tantopere fuerant at-
 triti, ut totam longe lateque Regionem
 Persarum arbitrio cedere fuissent co-
 acti, si victores, humanæ felicitatis vi-
 tio, quæ semper ex prosperis luxuriat,
 fugitivos insequi non destitissent, in
 opimam, quæ relicta est, prædam li-
 centiosius effusi.

§. CLXXXI.

*Federati prope Antverpiam a Ca-
 tholicis profligati.*

Post-

Sæc. XVII. **P**ostquam Philippus III. Hispaniarum
A. C. 1605.

*Gallut. de
bello Belgic.
l. 17.*

*Rapin Hist.
d' Angl. i. 18.*

*Memoir.
secret.*

*part. 5.
Grotius hist.*

l. 14.

Rex priori anno pacem cum Anglis firmaverat, Fœderatos e Belgio ejusmodi spem haud exiguam concepit, precipue cum Jacobus I. Rex quarto eodem fœderis articulo cavisset, quod Hispaniæ Regis hostibus aut rebellibus nullo pacto opem laturus esset, & aliunde etiam pecuniarum subsidia Hollandis deinceps submittere recusasset. Ex adverso nuntiatum erat Philippo Regi, quod Fœderati Ostendæ jacturam compensaturi Antverpiam inopina irruptione subigere moliantur, eoquod in hac urbe aliquot Hugonottas, aliosque inarum partium studiosos haud sibi deesse nossent. Non latuit ea machinatio Marchionem Spinolam, qui die nona Aprilis Bruxellas adventans, mature periculo occurrere statuit, ac propterea copias suas, ad Scaldim fluvium distribuit, ut quacunque demum ex parte hostis exscensionem facere tentaret, viribus omnibus occurrere posset. Haud minus in omnem sui muneris partem intentus ac vigilans erat Mauritius, qui cum valido agmine Berga ad Zomam die decima sexta Maji digressus Antverpiam versus castra movit, atque Ernestum Nassovium Comitem impositis supra naves quingentas, octo peditum millibus per Scaldim eo provehi jussit, vix

vix tamen hic ad Crucis, ut vocant Sæc. XVII. A. C. 1605.
 propugnaculum pervenerat, cum illico
 displolis inde tormentis ulterius pro-
 gredi prohiberetur. Eodem vero tem-
 pore cum exercitu, Mauritius terrestri
 itinere Eccheram Pagum, passibus mil-
 le sejunctum Antverpia advenit, suo-
 rumque octingentos exscendere jussit,
 qui tamen nil tale opinantes ab Ignatio
 Borgia Hispanorum Tribuno, qui in in-
 fidiis latebat, tam strenue excipiebantur,
 ut hostium multi cæsi, alii aquis de-
 merfi, plerique capti fuerint: nec pro-
 spero magis Marte pugnabat Mauritius,
 dum militem in terram e navibus edu-
 xit; quippe præter septem naves aut
 quassatas aut aquis submersas plusquam
 suorum quingentos tormentis trucidat-
 os numerabat: ne tamen nil egisse vi-
 deretur, solam arcem Voudam, utpote
 milite, bellique tormentis destitutam nul-
 lo negotio in deditionem coegit, minus
 tamen benigna fortuna usus in oppu-
 guanda Sallia Arce.

§. CLXXXII.

*Pugna navalis inter Hispanos &
 Hollandos.*

Hucusque Hispanis oppido grave ac Mercur.
 ciderat, quod suas copias longe Gallobelg.
 ac difficili itinere ex Italia in Belgium l. 5. p. 325.
Hist. Eccles. Tom. LIII. X x dedu-

Sæc. XVII. deducere cogentur, exiguo rei mili-
 A. C. 1605. taris successu, gravibusque impedi-

*Contin. Fer-
 veras hist.
 Hispan.
 Tom. II.
 Thuan.
 lib. 135.
 Grotius l. c.*

Huic oneri Spinola levamen repente
 credebat, dum ex ipsa Hispania Fœ-
 driæ portubus copias Oceano inlea-
 decreverat. Mille igitur ducenti mi-
 tes sub Petro Sarmiento Tribuno octo
 navibus Ulyssipone imponuntur, earum
 cura Petro Cubiario Archithalasso de-
 mandata: Jamiam Hispanæ classis ru-
 mor ad Fœderatos pervenerat, quina-
 la mora Guilielmum Hautænum Sel-
 landici Maris Præfectum cum triginta
 duabus circiter præfidiariis navibus e-
 mittunt, hoc inter cetera mandato, ut
 Hispanis in freto Morinorum occurre-
 ret, captosque sine venia mari merce-
 ret: Hic ergo die duodecima Junii prope
 Doberniam in duas Hispanorum navis
 incidens, ac velis remisque incumbens
 eousque Hispanos insequabatur, donec
 una navis multis perforata ictibus in
 Angliæ litus ejiceretur, altera in ve-
 pulos allisa eandem subiret sortem, ve-
 ctoribus, uti jussum erat, aut in mare
 præcipitatis, aut occisis: Altera die
 alia duo Hispanorum navigia fuerunt ce-
 pta, una incensa, eodem militum, nave-
 tarumque fato, qua tamen crudelitate
 Protestantes Batavi, plusquam par-
 rat, suo in Catholicos odio indulge-
 bant: Haud multo post alia sex Hispano-
 norum

norum navigia cum duabus minoris Sæc. XVII.
 molis navibus in Batavorum conspe- A. C. 1605.
 ctum venire, ex quibus tres naves tor-
 mentorum vi depressæ, ceteræ vero
 ægre portum Doverensem attigere, quas
 Batavi tam pertinaci furore insequen-
 bantur, ut ipsimet Angli ex arce dislo-
 cis tormentis vim ab iis, qui jam in a-
 lieni Regni finibus ac tutela erant, pro-
 hibere compellerentur: Periere in hoc
 discrimine ex Hispanis plusquam sex-
 centi, captis Didaco Pimentello, &
 Francisco Medemblico Tribunis: ceteri
 vero, qui tabe ac vulneribus nondum
 consumpti perierant, Mense Decembri
 Anglicis navibus Dunkerkam & Gra-
 vellingam deducebantur.

§. CLXXXIII.

*Spinolæ expeditio ad Rhenum adver-
 sus Mauritium.*

Infausto hoc successu minime territus Gallut. de
 Spinola Marchio exercitum suum ad bello Belgic.
 Rhenum deducere statuit, præmisso lib. 17.
 que Bucquoio Comite ad fluminis ri- Merc. Gallia
 pam castra metatus est: Adstitit iustan. Belg. l. c.
 dis copiis Pontificis Legatus, solem- Thuan.
 niter precatus victricia ipsis arma lib. 133.
 Comperto autem hoc armorum appa- Grotius l. c.
 ratu mox ipse quoque Mauritius eo
 cum suis accurrit, unde crebræ utrin-
 que

Sæc. XVII. que velitationes alternante fortuna com-
 missæ: die autem vigesima secunda Julii

A. C. 1605. Spinola transmissio Risno amne Roror-
 dam cum suis copiis petiit, præsertim
 Theodoro Trivultio, qui Batavos re-
 censionem parantes invadens, partim
 cæcidit, partim cepit, plerosque fugi-
 vit: Dein Spinola habito belli Senatu
 Lingam, cum præcipuum illarum par-
 tium munimentum esset, invadendi con-
 silium ceteris Belliducibus aperit, con-
 cunctaque ad iter parari jubet: *insuper pro-*
 mulgato per exercitum edicto poenam
 capitis intentabat in eos, qui vel furto
 aut rapina incolas affligerent, aut a suis
 stationibus digrederentur: magno tum
 experimento compertum, quod adu-
 licet vitia brevi corrigi valeant, in-
 ræ constantia, ac Ducis autoritas re-
 cedat; quippe jam diu corruptam disci-
 plinam uno die restituit Marchio, qui ad
 incutiendum terrorem rerum capitalium
 Præfectum cum suis Satellitibus & cat-
 nificem cum laqueo castra obequitare
 jussit: Inde accidit, ut Marchionis exer-
 citus per variorum Principum *ditiones*
 progressus, ob servatam rigide *discipli-*
 nam militarem maximis benevolentie
 signis ubique exciperetur. incolis vete-
 res injurias olim a Mendoza acceptas
 ob præsentem securitatem facile obli-
 viani

vioni tradentibus. Die igitur nona Augusti Marchio Dorstenum, inde in agrum Tuentanum, ne viso quidem hoste contendit, ibique mox Oldensilum oppidum impressione facta occupat, altera obsidionis die civibus vitæ bonorumque incolumitatem paciscentibus. Inde promotis ad Lingam castris arcem oppidumque invadit, actisque cuniculis intra paucos dies præfidiarios periculi metu territos ad deditionem cogit. Catholicis nonnisi qua cæsi qua faucii recensebantur ducenti, præter equites aliquot Hispanos, quos jam antea Thomas Fillerus ex insidiis circumventos fuderat. Tantulo impendio tam utilis oppidi expugnatio stetit. Sub idem tempus Comes Theserenbergius hostilem equitum turmam Oldensaliæ prosternebat, cæsis captisque quamplurimis, quos inter duo erant Calvinianæ sectæ Præcones.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

§. CLXXXIV.

*Continuatæ Spinolæ Marchionis
victoriæ.*

His prospero Marte in Frisia tentatis, Albertus Archidux, ne in aliis Belgii Provinciis ab armorum progressu cessaretur, Ludovico Monestrio negotium dabat, ut Bergam ad Zomam in-

Gallut. l. c.
Thuan.
lib. 133.
Grotius l. c.

Xx 3 opina

Sæc. XVII. opina vi adoriretur: Hic igitur noctis
A. C. 1605. marisque refluente beneficio munimen-
 ta duo occupat, majus alterum, quo
 portus, minus, quo porta tegetur
 prima, cui *Flumineæ* nomen, quam
 moto crepitaculo disjecit, hærente
 alteram conatu, eoquod machina jam
 jam maderacta ignem non conciperet:
 eapropter Ludovicus instante maris
 æstu, ac civibus undique confluenti-
 bus reditum festinare cogebatur, caelis
 fuorum triginta, pluribusque *saucis*.
 Nec tamen eum terruit sinister exitus,
 quo minus interjecto Mensis spatio Mo-
 nestrius Alberti jussu idem tentaret, aut
 pari successu, majorique damno retro-
 cedere cogitur: Nihilo feliciorum
 tum nanciscebatur *Sylvæ - Ducis* Go-
 bernator Grobbendonchius, qui Go-
 viam noctu pontibus scalisque aggredi
 contendens, suo consilio incolis pate-
 facto, cum suis re infecta discedere con-
 pulsus est. Interim Spinola pluribus
 in locis munimenta extruxit, ut ad
 majora molimina sibi viam sterneret:
 præprimis vero ejus jussu Bucquous
 Comes Rurordam contendit, ubi inter
 eum & Ernestum Nassovium Marte Ca-
 tholicis propitio velitatum. Postmo-
 dum ipsemet Spinola, cum jamjam
 Rhenum ponte junxisset, Vachtendor-
 cham obsidere statuit, Equitatu inter-
 rim

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

rim cum octingentis peditibus ad Mulheimium Pagum subsistere iussis, quo Henricus Mauritiæ Frater die nona Octobris adventans, Catholicorum custodias inopina irruptione profligabat, atq; mox rumore ad ceteros perlato cum Trivultius confestim accurreret, Henrico tanto restitit impetu, ut hic ter flumen trajicere nisus, ter a Trivultianis virtute insigni repulsus, Spiram redire cogereetur. Interim Mauritius ipsemet cum valido agmine Mulheimium pervenit, qui dum in subjectam planitiem, quam Trivultius tenuerat, descendere conatur, rursus acriter certatum: quippe Fabritius Santomangus & Nicolaus Auria a Velasco præmissi tam acriter in hostem irruerunt, ut fœderatorum copias aditu prohiberent, simulque Catholico Equitatu securitatem, non tamen sine sanguinis pretio redimerent; quippe præter cæfos quamplurimos Auria libertatem, Sontomangus vero vitam amisit: tandem vero atrox illud certamen, quod quatuor jamjam horas exarserat, Spinolæ astu diremptum est: Hic enim Tympanistas aliquot in equis præire iussit, quorum fragore audito Mauritius totum Catholicorum exercitum prope subsecuturum suspicatus, paulatim revocare gradum, & receptui canere iussit; quo comper-

Sæc. XVII. A. C. 1605. to Catholici fugitivos strenue insecuti
 quadringentos quinquaginta partim
 trucidarunt, partim faucios reliquere,
 captis quamplurimis: Ex Catholicis
 vero centum quinquaginta circiter ca-
 sunt, quos inter Trivultius periculi con-
 temptu longius, incautiusque abreptus
 tormenti ictu gloriose occubuit. De-
 mum Spinola continuato victoriæ cursu
 Vachtendonchæ obsidionem urgere con-
 stituit, illius cura Bucquoio Comiti de-
 mandata, qui etiam die vigesima se-
 ptima Novembris arcem, oppidumque
 pactis conditionibus recuperavit: post-
 ea Cracovum munitum Nuenariensis
 Comitatus oppidum quasi in itinere op-
 pugnans deditioe cepit: pari quoque
 fato Mildeburgum castellum in Ar-
 ducis potestatem rediit: Ex adventu
 Mauritius Geldriam urbem intercipere
 conatus, non sine magna suorum clade
 Rurordam se recipere coactus est. In-
 ingentes Mauritiî minæ non in vanum
 modo, sed in damnum cecidere, anno
 haud alio Fœderatis Protestantibus ma-
 gis infausto, Catholicis magis propitio.

§. CLXXXV.

*Clementis VIII. & Pauli V. Con-
 stitutiones.*

Cum

Cum Clemens VIII. summus Pontifex, Sæc. XVII.
 ut supra meminimus, morte nimis A. C. 1605.
 tempestiva ereptus fuerit, hinc nonnisi
 unicam hoc anno Constitutionem reli- *Bullar.*
 quit, qua die decima Februarii urbis *magn.*
 Vicario quascunque caussas Nosoco- *Clem. VIII.*
 mium Sancti Spiritus vel ejus perso- *& Paul. V.*
 nas aut bona concernentes cognoscen-
 di auctoritatem vindicabat: Pariter
 Leone XI. post vigesimum septimum
 Pontificatus sui diem obeunte, illius
 Successor plura, quæ Leo salubriter a-
 nimo volverat, feliciter consummabat,
 editis desuper pluribus decretis, ac pri-
 mo quidem indictis pro more Anni Sa-
 cri gratiis, literarum Apostolicarum, ut
 vocant, Abbreviatoribus privilegia tan-
 to labori congrua, necnon alia iis, qui
 in utroque Conclavi morabantur, in-
 dulta benigne concessit, ita tamen, ut
 eos, qui Leonis XI. comitiis intererant,
 nec in decem millium scutorum dono nec
 beneficiarum collationibus forte ob mi-
 nus brevisque incommodum compre-
 hendi v luerit. In eadem Bulla recen-
 sentur horum omnium nomina, nume-
 rusque, qui fere ad ducentos ascen-
 dit, quos inter promiscua serie partim
 Laici, partim Clerici & Religiosi, nomi-
 nantur, unacum Patre Petro a Matre
 Dei Ordinis Carmelitarum Discalcea-
 torum Papæ Confessario, & Concio-
 natore

Sæc. XVII. nature Apostolico, cujus Ordinis Fra-
 A. C. 1605. tribus Pontifex insuper edito decreto
 die vigesima Augusti concessit, ut a
 nullo Episcopo, Parocho aut alio co-
 vis ad solvendam, ut vocant, quarum
 funeralem compelli valeant. Die vi-
 gesima tertia ejusdem Mensis ad pre-
 ces Philippi III. Hispaniarum Regis Co-
 nimbricæ Seminarium militare erexit,
 in quo ex SS. Jacobi & Benedicti Ordi-
 nibus militaribus aliquot Religiosi sub
 clausura & obedientia SS. Theologiæ
 & Canonum studiis operam darent, fa-
 ctoque concursu beneficiis præfatorum
 Ordinum providerentur, ita tamen,
 ut ad dicti Seminarii fabricam & Col-
 legialium sustentationem aliqua portio
 ex Ordinis Commendis ad Regis ar-
 bitrium detrahatur. Insuper cum Fra-
 tres S. Francisci de Paula quererent,
 quod ob triennii angustias ab eorum
 Generali visitationes debite haberi re-
 quirent, ac aliunde ex triennali accellu
 ad generalia comitia Conventus magnis
 sumptibus onerarentur, hinc Pontifex
 die prima Octobris ejusmodi Capitulum
 ad sexennium extendit. Sexta post
 die Paulus V. ad preces Abbatis Gene-
 ralis Canonorum Regularium Sancti
 Augustini statuit, ut S. Ubaldi Episcopi
 Eugubini festum in Calendario Romano
 ad diem sextum decimum Maji adscri-
 beretur.

beretur, ac de eodem Sancto ubique ab utroque Clero commemoratio fieret: Pariter die decima sexta Novembris approbavit Pontifex Collegium, quod olim Matthæius Cardinalis sub patrocinio Divi Hieronymi dotaverat pro pia egenorum Scholarium institutione in Sacri Codicis & Canonum studio: Dein veritus Pontifex, ne novissimum Clementis VIII. decretum de stabiliendo certo Religiosorum numero in quolibet Conventu negligeretur, omnibus Superioribus die quarta Decembris præcepit, ut omnes Conventuumventus recognoscant, & juxta eos numerum Religiosorum præfigant. Demum die duodecima ejusdem Mensis Fratribus Ordinis Carmelitarum Discalceatorum indulgit, ut ubique Conventus de sola licentia Ordinariorum, nullo aliarum personarum cujusvis Ordinis etiam regularium requisito consensu fundare & erigere valeant.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

§. CLXXXVI.

*Alie Sandiones ejusdem Pontificis
jussu editæ.*

Pari sollicitudine idem Pontifex ea, quæ tam Sacros ritus quam debitam Sacramentorum administrationem concernunt, in Congregationibus ad id insti-

*Decisiones
S. Congreg.
Rituum &
Episcop. ac
Regul.*

Sæc. XVII. institutis decidi ac declarari procurabat: Hanc in rem Sacra Congregatio Rituum die decima sexta Januarii statuit, quod Episcopus, si Horis Canonicis interesse voluerit, certam adventus sui horam designare teneatur, quæ evoluta Officium inchoari poterit, post cuius initium sufficiat, si quatuor aut quinque Canonici obviam adventant eant: nec illum, dum ad cameram Episcopalem accedit, associare teneatur, nisi ex urbanitate: declaratum quoque die vigesima quinta ejusdem Mensis, quod Canonicus, qui sacrum solemne die Dominico peragit, eodem die Vesperas cantare teneatur: pariter die undecima Junii sancitum, quod Episcopus Regularis debeat Officium recitare juxta Ritus suæ Diœcesis, non sui Ordinis: Capellanus quoque Episcopi, qui cum illo Officium recitat, se illi accommodare teneatur: de cetero autem preces ad impetrandam pluviam indite non recitentur intra Missarum solemnias, ne ea interrumpantur: Statutum interpresbyter die tertia Septembris, quod Archipresbyter non se ingerat in Regimen chori, cum id ad solum Cantorem spectet: Sacra etiam Rituum Congregatio die vigesima quarta ejusdem Mensis declarabat, quod commemoratio omnium Defunctorum non sit celebranda

da in die Dominico, sed feria secunda: **Sæc. XVII.**
 consuetudo autem, ut Campanæ ad **A. C. 1605.**
 Salutationem Angelicam non pulsentur ante Ecclesiam Matricem, omnino fervetur: ubi observandum, quod hic pulsus meridianus jam circa annum Domini millesimum quadringentesimum quinquagesimum sextum a Calixto III. Papa natione Hispano institutus fuerit: Dein eodem die Sacra Rituum Congregatio decidit, quod Festum SS. Sacramenti post octavam eo fine transferri nequeat, ut solemnis supplicatio eo decentius celebretur: Præterea Sacra Congregatio Concilii statuit, quod anticipata celebratio pro incerto eleemosynam oblaturum omnino sit prohibita. Eiusdem quoque Mensis die vigesima quinta sancitum, quod Monialium Confessario vel Monasterio certum quid pro victu assignetur, præter id vero aliquid ei tribuere Monialibus sit prohibitum: confessionalia autem ex Sacristiis, aliisque locis occultis removeantur in exterioribus Monialium Ecclesiis collocanda, uti die vigesima nona Novembris Sacra Congregatio Episcoporum decrevit.

§. CLXXXVII.

Initia Donawerdani tumultus a Lutheranis suscitati.

Hoc

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

*Relat. Do-
naw. Germ.
Annal. Boic.
Adelz.
part. 3. l. 2.
Palatius in
vita Ru-
dolphi II.*

Hoc potissimum anno Protestantes in-
culento declarabant testimonio,
quod omnia eorum fœdera, molimina
& comitia eo duntaxat collimarint, ut
conculcatis tam divinis quam humanis
legibus Religionem Catholicam elimi-
narent, suamque natam hodie se-
ctam, ambitione, superbia, carnisque li-
bidine enutritam, seditionibus, dolis,
rapinis, violentiis, ac denique Turca-
rum more ferro, flammisque propaga-
rent, ac tuerentur: Inde orti sunt se-
ditiosi tumultus Donawerthæ sulcitati,
quorum relationem altius repetere ne-
cesse est. Erat hæc urbs in Sueviæ fi-
nibus sita olim Boici juris, quo tamen
proscripto Ludovico Bavaro, a Sigi-
mundo Cæsare circa annum Domini mil-
lesimum quadringentesimum trigeti-
mum quartum solvebatur: Ea tamen
in Religione avita semper constans per-
manerat, donec Anno Christi millesi-
mo quingentesimo quadragesimo sexto
fervente Smalcaldico fœdere proin ante
Pacem Religionis & transactionem Paf-
saviensem confœderati Principes hanc
urbem iniquis armis occupaverant,
invisisque Magistratus ac civium potis-
simis Confessionem Augustanam inve-
xerant; ne vero hujus sectæ pedissequa
deeffet inhumana in Monachos sævitia,
mox furibundi Sanctæ Crucis Monaste-
rium

rium Ordinis Sancti Benedicti invadunt, **Sæc. XVII.**
occupant, diripiunt, ritus Catholicos **A. C. 1605.**
prohibent, Monachos civesque ad au-
diendas suorum Prædicantium Concio-
nes vi compellunt. Haud integrum
trimestre hæc conscientiarum carnifi-
cina tenuit; postquam enim Carolus V.
die nona Octobris eodem anno Mühl-
bergæ Smalcaldicos superaverat, Do-
nawertham novis istis usurpatoribus e-
reptam, Wolfgango Meusel seu Mu-
sculo Pseudo - Pastore ejecto, Romanæ
Religioni restituit, revocato Sylvestro
Mannfero Parocho Catholico. Dein
Cæsar abrogata regiminis norma, amo-
tisque Senatoribus hujus Novitatis so-
ciis cives Senatūque solemni jurisju-
randi religione ad retinendas avitæ fi-
dei sanctiones adstrinxit: ubi vero Pro-
testantes armorum potentia creverant,
mox anno supra millesimum quingen-
tesimo quinquagesimo secundo Luthe-
ranos Præcones ac Senatores a Carolo
Cæsare abrogatos restituebant, cuncta
ad suum arbitrium disponentes: quo-
circa Imperator restituta pace rursus
Catholicam Religionem die trigesima
Augusti restituit, ipso etiam Magistratu
juratam fidem interponente, quod Cæ-
sareæ Majestatis suæ mandatis exacte
parere, nihil deinceps innovare, ac
Romanam Religionem constanter tueri
vellent;

Sæc. XVII. vellent; nec his contenti, ut promissum
A. C. 1605. amplitudinem operis executione tue-
 rentur, die septima Octobris vernacu-
 las cantillenas, seu ut eorum verba
 sonabant, *gannitus* Ludimagistris imi-
 bebant, die autem quarta Decembris
 Ministellum Cæsareo mandato refragan-
 tem dimittebant, tantisper subrogato
 Cathedralis Augustanæ Concionatore
 Catholico, cui postea die vigesima ter-
 tia Decembris Dunzendorffensem Pa-
 rochum & Magistrum Michaelem Di-
 llinganum substitui rogabant.

§. CLXXXVIII.

*Nova Lutheranorum attentata con-
 tra Catholicos hujus urbis.*

Cum Magistratus quosdam cives Lu-
 theri veneno infectos improba pro-
 fus indulgentia in urbe tolerasset, at-
 que importunis eorum precibus cedens,
 in æde Sancti Joannis extra mœnia ur-
 bis, Præconem & coetus habendi pote-
 statem fecisset, mox unice ex hac cor-
 rupta parte gangræna in corpus senum
 diffundi, ac paucorum audacia in plu-
 rimum petulantiam excrescere cœpit: in
 enim anno sequenti insuper in ipso Pa-
 rochiali Templo locum & horam a Ca-
 tholicis Sacris vacuum sibi concedi, a
 Senatu postulant, passique repulsum
 paucis

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

paucis post mensibus conspiratione conflata Magistratum inopino impetu obruunt, ac per Sylvestrum Raith olim urbis Syndicum vim minasque intentant, perculsumque Magistratum compellunt, ut quod nuper eis juste denegaverat, coactus concederet: nec hic stetit Lutheranorum pervicacia; vix enim in ædem Sacram irreperant, cum Catholicos studiose querelis, litibus, jurgiisque molestare inciperent, Sacrorum horas pro suo arbitrio mutarent, ac denique a Paræcia exclusos ad S. Crucis Templum, & Divi Viti Sacellum amandarent. Nondum his injuriis satures, violatis Pacis Religiosæ edictis, ac sus deque habita proprii promissi fide anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo prohibent, ne plures quam duo Monachi funera comitentur, ne Christi Crucifixi imago, aqua lustralis, faces, thuribulum aut alii ritus adhibeantur, ne S. Sacramento ad ægros deportato honor exhibeatur, neve ullus Catholicis in urbe sit sepulturæ locus, sed duntaxat extra oppidi mænia. Pari audacia decimo post anno jamjam aucto suorum numero, atque instigantibus Ministellis legem fanciunt, ut nullus civis coram Catholico Parocho matrimonium contraheret, aut prolem Baptizandam ei

Hist. Eccles. Tom. LIII. Yy of-

Sæc. XVII. offerret: id si fecerit, jure civitatis pri-
A. C. 1605. vandus: additum quoque, neminem
 ex Catholicis in Senatum deinceps esse
 assumendum. Hoc Prædicantium pro-
 clama eorum Cauffidicis Fröschlin,
 Tradlseo, & Seutero nimis durum ve-
 debatur, eoquod civium & Senatorum
 potissimi ac Saniores adhucdum Catho-
 licam Religionem, quæ juxta Pacis
 compositionem in Imperii civitatibus
 toleranda esset, addicti forent, proin-
 duntaxat Ministrorum consensus pro
 Baptizandis vel matrimonio jungendis
 petendus esset: deinceps vero nullus
 civitatis jure donandus, nisi Confessione
 Augustanæ addictus esset, quod tamen
 recta adversabatur privilegio, quod Fri-
 dericus Imperator anno Christi millesimo
 quadringentesimo sexagesimo quinto
 Catholico Magistratui concesserat, ac
 postea Maximilianus II. confirmabat.

§. CLXXXIX.

*Justæ Catholicorum querelæ contra
 Lutheranorum insultus.*

*Mercur.
 Gallo Belg.
 annal. tom. 6.
 lib. 2.
 Brunner.
 annal. Boic.*

Ne Lutherani Catholicorum modera-
 tione abutentes usurpatæ auctori-
 tatis vim in jus, temporis beneficio ob-
 tentum trahere præsumerent; Christo-
 phorus tum Monasterii ad S. Crucem
 Abbas primum de injuria apud Magi-
 stratum

stratum questus est, dein Augustani Sæc. XVII.
 Episcopi auxilium implorabat: Æquæ A. C. 1605.
 igitur petitioni annuens Otto Cardina-
 lis ejusque Successor Marquardus ver-
 bo & scripto missis etiam Legatis apud
 Senatum de violata Pace Religiosa a-
 gebant, demonstrantes, hisce attenta-
 tis publicæ tranquillitatis jura, & Im-
 perii pacta infringi, proin eos pænis
 in perturbatores pacis statutis subji-
 cendi. Tandem in comitiis Imperii anno In-
 carnationis Dominicæ millesimo quin-
 gentesimo nonagesimo quarto post le-
 gitime interpositam de ejusmodi inju-
 riis querelam impetratum est Decretum,
 vi cujus Senatus jubebatur, quantum
 fieri possit, curare, ut Catholici in Re-
 ligionis suæ ritibus tam privatis quam
 publicis nullatenus turbarentur, sed
 in plena libertate relinquerentur.

§. CXC.

Publica seditio Lutheranorum.

Cæsareo huic mandato paruit tunc Thuan. hist.
 quidem Magistratus, sed postquam lib. 138.
 Anno post Christum natum millesimo Crus. annal.
 sexcentesimo quinto Laniones (*), Ephem- Suev.
 piarii,

Yy 2

(*) Cives id coram Cæsareis Delegatis Sena-
 tui exprobrabant anno 1607. 9 Novembris his
 verbis: daß sie etliche Baurenknöpf vom Dorf
 herein, in Rath genommen haben.

Sæc. XVII. piarii, alique de infima plebe turbu-
 A. C. 1605. lenti homines in Senatum fuissent co-
 optati, horum importunitate, ac Mi-
 nistrorum instigationibus turbata rursus
 est Catholicorum possessio; cum enim
 Abbas ad S. Crucem, qui non modo
 antiquo usu hucusque recepto sed etiam
 nupero Cæsaris mandato suffultus erat,
 citra ullius injuriam sacris vexillis ante
 supplicantium agmen explicatis e suo
 monasterio per oppidum, uti alias,
 longum supplicantium agmen *eduxisset*,
 Lutherani, quos Senatus obviam emi-
 serat, disjecto vexilifero Abbatem, qui
 necquicquam vim & injuriam depreca-
 batur, ad Monasterium repellunt, ce-
 teris vero ulterius progredi parantibus
 viam intercludunt: Nec his contentus
 erat Senatus, sed insuperhabito Cæsa-
 ris decreto inhibuit, ne in Catholico-
 rum exequiis faces vel Stola Sacerdo-
 talis, vel alia ad SS. Sacramenti cul-
 tum adhibeantur, iis vero, qui Majo-
 rum more nuptias celebrarent, aut ad
 Romanam Ecclesiam redirent, jus civi-
 tatis eripuit, igni & aqua interdixit,
 in proscriptorum ædes Lutheranos in-
 troduxit, & demum Catholicos, ut
 cænam Lutheranam in Parochia fume-
 rent, liberosque suos Lutheranos Præ-
 conum ad Baptismum sisterent, vi com-
 pulit. Iniquiora hæc visa sunt Augu-
 stano

stano Antistiti, quam ut dissimulari possent aut deberent. Quapropter eodem hoc anno a Cæsare die vigesima quarta Octobris decretum obtinuit, vi cuius hi seditiosi in iudicium vocati in pœnas turbatæ tranquillitatis, pacisque Religiosæ incidisse declarabantur, addito mandato, ne adversus Abbatem, aut Monasterium, aut Catholicos vi vel propria auctoritate quicquam attentarent, vel eis in sepulturis, supplicationibus, aliisque Religionis suæ ritibus deinceps ullo pacto molesti essent. Quam proterve autem Lutherani hoc Cæsaris mandatum contempserint, anno sequenti referemus.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

§. CXCI.

*Conjuratio in Jacobum I. Angliæ
Regem conflata ac conspiratio
Pulveraria dicta.*

Hucusque reddita tam externa quam domestica pace, turbulenti motus in Anglia sopiti, non tamen extincti erant; cum enim non modo Catholici, sed etiam Puritani suam quisque Religionem, qua carius nihil, aut contemptam aut depressam dolerent, victa malis longanimitate tandem in rabiem versa præcipue tredecim Juvenes genere, ac corporis forma, opibusque præstan-

Contin. Sleid.
lib. 12.
Rapin hist.
d' Angl. l. 18.

Sæc. XVII. A. C. 1605. tes horrendam contra Jacobum I. Angliæ Regem conjurationem conflagrant.

Erant ii Robertus Catesbyus, Thomas Perceyus, Thomas Winterus, Joannes Wrigthus, Franciscus Treshamus, Thomas Batesius, Ambrosius Rookwoodus, Robertus Keias, Joannes Grauntius, Christophorus Wirthius, & Everhardus Digbius Eques præter duos adhuc alios. Hos inter præcipuus erat Catesbius, qui Regem ejusque liberos, necnon plerosque Angliæ Proceres momento temporis e medio tollendos esse exposuit: nullam vero magis opportunam hujus consilii exequendi rationem fore asseruit, quam si subter aulam, in qua Rex cum toto Senatu comitiis præfens futurus esset, acto clam cuniculo magna vis pulveris pyrii congereretur, tum enim incensis ignito fune dolis, faxisque, quibus nitri cupæ gravarentur, in sublime prorupturis, ocyus una simul diffultura esset aula: interiturus hac ratione cum stirpe sua Rex ac Religioni inimica Nobilitas. Placuit omnibus hoc Catesbii consilium: restabat cuncta secreto exequendi sollicitudo; præprimis igitur e Belgio accersitur cuniculi militaris agendi peritissimus artifex Guisio Faukesius: postea funesti operis labor & pars inter confcios describitur: Perceyus vero ex Hollandia

landia triginta sex nitrati pulveris do-
 liola coemere, ac domum Curiae vici-
 nam, in cujus cavea pulvis absconda-
 tur, conducere jubetur: præsertim ju-
 rata summi silentii religio commenda-
 tur: rebus ita provide dispositis nil nisi
 optatus sperabatur exitus: quoniam
 vero magnæ molitiones, quia plurium
 opera est necessaria, in arcano esse ne-
 queant, atque atrocium facinorum in-
 dicia ex ipso conscientiae morsu animi-
 que fluctuatione deprehendantur, hinc
 præcipue Pater Henricus Garnetus Je-
 suita aliquid ab eis publicam in perni-
 ciam moveri præsentiens, Cetesbium
 obtestatur, ut violenta consilia ipse, e-
 jusque socii deponerent, & si quid per
 vim ac tumultum moliantur, incæpto
 desisterent: Urgebat insuper Catesbium
 scrupulus, an salva conscientia tot a-
 mici, tot innocentes etiam Catholici
 possint promiscuo exitio cum inimicis
 & fontibus involvi? Ad hæc Pater
 Garnetus, ut scrupulum demeret, qua
 hoc dubium spectaret, haud considerans,
 id omnino licere, candide reposuit. Hoc
 Jesuitæ responso, quod in suum animi
 propositum nequiter transtulit Cates-
 bium, se magis in concepto facinore ob-
 firmabat, qui etiam Patri Grienvello
 itidem Jesuitæ meditatam scelus mani-
 festabat, data eidem facultate, ut de-

Sæc. XVII.
 A. C. 1605.

P. Juven.
Hist. Soc.
 l. 13. p. 5.
 n. 44.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

super cum Patre Garneto communicaret, ea tamen lege, ut neuter arcanum manifestaret, donec tota res fuerit peracta: Porro Pater Juvencus in Historia Societatis testatur, quod Catebicus ea mente hisce Patribus arcanum hoc aperuerit, ut si in ejusmodi consilio quicquam legi Divinæ adversari, ab eis edoceretur, *incepto desistere, si secus, majori cum fiducia id prosequi vellet*: certum autem est, quod *iniciis Jesuitis conjurati nihilominus operi diu non desisterint*, eoquod Rex jamjam die septima Februarii, prout indictum erat, in Comitiorum Aula suum sermonem peroraturus crederetur. Præcipuis igitur murum, ad quem cuniculus deducebatur, in elocatæ domus cavea sæpe opere intermisso, sæpe repetita tandem perfodiunt, magnum tamen strepitum ex opposita muri parte observantes, mox Faukesium eo mittunt, qui causam fragoris inquireret, eo autem renuntiante, quod ibidem ingens cavea carbonibus repleta esset, hic locus præ ceteris ad consilii executionem magis opportunus videbatur, eoquod subterranea hæc specus comitiorum Aulæ imo & folio Regali ferme subjecta, & inferendis pulveris pyrii doliis percommoda esset: nec tempus operi perficiendo

ciendo deesse videbatur, comitiis in Sæc. XVII.
septimam Octobris diem dilatis. A. C. 1605.

§. CXCH.

Conjuratio feliciter detecta.

Rursus Comitiorum tempus ad diem Thuan. lib. 134.
quintam Novembris differebatur, qua mora altioris Oculi provida vigilan- Sleid. contin. lib. 12.
tia proximam stragem antevertit, dis- Merc. Gallo Belg. tom. 5.
jecitque; accidit enim interim, ut ex Opera Reg. Jacob. I. pag. 100.
conjuratis quidam Montaquilium Ba-
ronem Religione Catholicum amicum
suum communi excidio involvi condo-
lens, ad eundem literas incerto tamen
Authore, atque incognito Latore trans-
mitteret, quarum summa hæc erat:
*Amicitia, quæ mihi cum aliquot tuis ne-
cessariis intercedit, facit, ut de tua in-
columitate sim sollicitus, monitum pro-
inde te volo, quantum vitam tuam dili-
gis, ut excusationem comminiscaris absen-
tiæ ab Ordinum Conventu, Deus enim
& homines concursu facto ad puniendam
hujus sæculi impietatem festinant, noli
hanc monitionem parvi facere, sed discede
quamprimum in provinciam tuam, ubi rei
exitum securus exspectes; licet enim nulla
se motuum indicia prædant, moneo tamen,
terribilem conventus iste ictum sentiet, nec
videbit percutientem, non est, quod sper-
nas hoc indicium, prodesse potest, nocere*

Yy 5 non

Sæc. XVII. *non potest, quippe præteribit periculum*
 A C. 1605. *haud ocyus, quam literas has excusseris,*
spero te, Dei beneficio, hoc consilio rite
usurum, cujus te tutelæ commendo.

Perlectis hisce literis Montaquillus primo eas per jocum, ut Rex inanitate a comitiis absterretur, exaratas suspicabatur, postea tamen forte Regi periculum imminere considerans impetiva nocte ad Robertum Cæciliam Sarisburiensem Comitem, qui Regi a secretioribus consiliis erat, hanc epistolam defert: Hic collato cum aliis consilio expectandum censuit, donec Rex e venatione Reistono Londinum redierit; quo adventante Cæcilius die postrema Octobris has literas Jacobo perlegit, illas nil nisi vel luxuriantis ingenii vel insani hominis partum esse existimans: Attamen Rex ea, quæ volebat, perspicacia hæc verba: *præteribit periculum haud ocyus, quam literas has excusseris*, profunda mente ponderabat, moxque a pulveris pyrii icu exitium adeo subitaneum his verbis designari enuntiabat: prolatis hisce Regis verbis omnes in eandem conspirabant sententiam.

§. CXCIII.

Pulvis pyrius subtus Comitiorum an-
lam repertus.

Digressi

Digressi a Rege Proceres mox omnes Curiae angulos esse perlustrandos decernunt; hæc tamen inquisitio pridie ad Conventus celebrandi diem eo sine differebatur, ut populi rumores vitarentur, atque interim clariora conspirationis indicia forte proderentur; præfixa autem die Suffolciensis Comes unacum Montaquilio Percei ædes, caveamque perlustrans præter ingentem fascium & carbonum acervum in quodam angulo hominem latebras anxie quærentem deprehendit, qui se Percei famulum esse dicebat. Haud ulteriore inquisitione facta Comes, quid vidisset, Regi exposuit, qui omnia diligentius pervestiganda, pulveremque fors sub congesto hoc acervo latere edixit. Parent jussis omnes, ne tamen forte innocuis ignominia innueretur, spargitur per aulam rumor, Regias aulaeas, quæ in illis ædibus custodiebantur, fuisse amissas. Eas igitur veluti quæsiturus Thomas Knevetus media nocte ad caveam contendit, ubi hominem pallio tectum reperiens eundem comprehendendi jubet. Erat is Guido Faukesius, qui se Percei famulum simulabat, quo interim custodito ac disturbato acervo triginta sex pulveris nitrati dolia ibi abscondita, ac tres igniarii fomites in Guidonis vestibibus reperiiebantur. Hic vero

Sæc. XVII.

A. C. 1605.

*Rapin hist.
d' Angl. l. 18.
Merc. Gallo
Belg. tra-
gœd. Angl.
tom. 5. l. 3.*

Sæc. XVII. vero de proposito suo interrogatus scelus suum illico fassus affirmabat, nihil mali in suo facinore esse, nisi quod imperfectum sit, de cetero autem hoc opus a Deo incæptum a Diabolo impeditum fuisset, postea tamen quæstioni subjectus totam conspirationis seriem detexit.

§. CXCIV.

Alii ex Conjuratis deprehensi, alii trucidati.

*Thuan. l. c.
Juvenc.
Hist. Soc.
l. c. num. 46.
& seqq.*

Hæc gesta erant eodem die, quo comitiis initium dare constitutum erat, iis autem denuo dilatis, ac rumore per urbem sparso mox Winterus, Treshamus & Wrigthus ad ditionem Varvicensem, quo jam pridie Catesbius & Perceius confugerant, laxatis equorum habenis contenderunt, ac tandem ad Stephani Litletonii ædes in Statfordiæ finibus convenere: interim nobilis quidam nomine Graundius, aliique conjurationis focii, quamvis rei detectæ ignari, septem vel octo equos effracto stabulo Beneco Nobili abduxere, Londinum re, ut sperabant, feliciter jam peracta profecturi: hos vero Prætor Varvicensis tanquam equorum abactores usque ad præfati Litletonii ædes, quo ceteri conjurati confugerant, insequabatur. Alii illi, qui se longe atrocioris criminis con-

conscios noverant, consilio ex desperatione quæsito mori potius, quam se dedere statuunt: cum vero pulverem nitratum ex pluvia humidum ad focum siccare pararent, hic statim concepto igne quorundam facies, aliorum manus & latera adeo aduffit, ut quidam ceteris ad strenuam defensionem inutiles essent; Deo illos puniente, in eo, in quo peccaverunt: Nihilominus ipsi in rebus desperatis solam fortitudinem ceteris amissis cuncta reparare rati, ingruentibus Prætorianis aperta Domus janua sese sistunt, quorum nonnullis mox trucidatis Catesbius, Perceius & Winterus tergum alter alteri obvertentes strictis gladiis tamdiu decertabant, donec Catesbius & Perceius uno sclopeti ictu confecti caderent, Winterus vero graviter faucius, cum aliis quatuor comprehensus Londinum abduceretur, ubi etiam eodem ferme tempore Treshamus, Robertus Winteri frater & Littletonius in Londinensi Turri inclusi hærebant, moxque a iudicibus interrogati totam rei seriem ingenue exponebant, afferentes, quod ex Catholicis Sacerdotibus ferme nullus hujus sceleris particeps fuerit: solus tamen Thomas Batesius Catesbii famulus testabatur, quod PP. Garnetus, Grienwellus seu Osvaldus Tesmundus, & Gerardius Conjurato-

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

Sæc. XVII. A. C. 1605. ratorum Confessiones sæpius exceperim
 etque ipsemet Patrem Garnetum, qui
 etiam Wintero uni e conjuratis ad-
 ſtiffimus esset, non ita pridem cum
 Catesbio colloquentem viderit, ipsius-
 que alterius ad alterum epistolas de-
 tulisse noverit; hic tamen ipse Bate-
 sius (Thuanus Franciscum Treshamum
 fuisse narrat) antequam in carcere mo-
 reretur, ab uxore monitus epistolam ad
 Saresburiensem Comitem scripsit, in
 qua excusata præcipiti sua confessione
 Garnetum, quantum in se esset, inter-
 posito solemnijuramento vindicabat;
 ejus tamen testimonium flocci habeba-
 tur, eoquod illud insigni mendacio vi-
 tiaffet, asserens, quod Patrem Garna-
 tum a sexdecim annis haud vidisset,
 cum tamen postea ex ipsius hujus Pe-
 tris confessionibus constiterit, quod ante
 bo evolutis nondum sex Mensibus diu
 sæpiusque collocuti sint: Patrem vero
 Gerardium Everhardus Digbyus nomi-
 natim purgabat.

§. CXVC.

*Jacobi Regis oratio coram Angliæ
 Proceribus in comitiis habita.*

Cont. Sleid. l. c. Tandem Regni comitiis die nona No-
 vembris dabatur initium, ubi Rex
 congregatos Regni Proceres hunc in
 modum

modum alloquebatur: *Non putabam, Sæc. XVII.*
Domini, hoc in loco eam mihi dicendi A. C. 1605.
materiam, de qua verba jam facturus sum,
oblatum iri, verum enimvero ita evenit,
ut quemadmodum antea hoc eodem in loco
pro incredibili vestro in me affectu, &
alacritate maxima, qua advenientem me
primum in hoc regno excepistis, gratias
vobis atque universono populo egi, ita nunc
multo majores gratias Deo, pro tam ad-
mirabili & plane divino beneficio, ab e-
jus benignitate in me meosque & vos om-
nes, adeoque universum hoc regnum pro-
fecto, persolvere me oporteat.

Deus, cujus ineffabilis est bonitas,
ex mediis mortis faucibus me eripuit, &
gladii cuspidem jugulo meo jam intentum
hebetavit, ut tanti beneficii magnitudinem
agnoscens, & divinam benignitatem de-
prædicans animus meus, hac veluti lustrali
unda purgaretur, alterum, cujus exitum
modo vidimus, quodque non meæ tantum
personæ, & meis, sed vobis etiam om-
nibus, sine ullo ætatis, ordinis aut gene-
ris respectu interitum allaturum erat, quo-
modo appellem nescio. Neque enim inno-
center effusi & de terra clamantis san-
guinis est peccatum, quale primum illud
futurum erat, sed potius tempestuosum,
& igne sulphureque fumans scelus dici
meretur, quod Deus tam insigni miraculo
a nostris omnium cervicibus depulit, de hoc
quid

Sæc. XVII. quid dicere vel ut rectius dicam, quid
 A. C. 1605. dicere possum? mihi quidem horrore per-

fuso vox faucibus hæret, in tam magno
 tamque terribili atque execrabili scelere, ni-
 jus simile vix ex ulla antiquitate reperiri po-
 sit, tria observo non admirabilia tantum,
 sed plane miraculosa, primum est cogitatio
 sceleris atrocitas, quæ tanta est, ut con-
 nem fidem atque admirationem superet. Ni-
 que enim mihi tantum, meæ conjugii, meæ
 liberis & hæredibus, sed etiam universo
 huic regno exitium machinati fuerant, uni-
 versa nobilitas, venerabilis Episcoporum
 ac divini verbi Ministrorum cætus, fortis-
 simorum equitum ordo, omnes in universo
 regno iudices, jurisconsulti plerique, ma-
 gna civium optimorum multitudo, immo
 illi ipsi etiam, qui Religionis ipsorum se-
 vententes huic conventui interfuturi erant, ad
 necem petebantur, omnibus quod illi inter-
 derunt, excedendum erat, tantum scelus, ut
 scelestus ille, qui in turri captivus asser-
 tur, ipsemet fatetur, hic potissimum & his
 in cædibus perficere instituerunt, ut eo ipso
 in loco, ubi tam duræ leges contra ipso-
 rum Religionem latæ erant, auctores earum
 unacum ipso loco perderentur, qua in re
 non ipsius tantum cædis, verum etiam modi
 crudelitas perpendi debet, tres fere homi-
 nes occidendi sunt modi, primus quando
 homo hominem interficit: crudelis ille qui-
 dem, multo tamen ceteris mitior: homo
 enim

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

enim ab homine impetitus, & a seipso & ab aliis hominibus auxilium exspectare potest. Quid? quod ipsorum, qui cædem destinarent, corda ad misericordiam Deus sæpe flectit? nec alice ut plurimum ejusmodi hominum furoris declinandi vice defunt. Secundus modus plus habet crudelitatis, estque is, quando homo bestiis objicitur, quæ ut omnis humanioris affectus sunt expertes, ita longe gravissimum inferunt terrorem, sed tamen etiam contra has pugnare licet, quin & quandoque velut subito cicuratas, & mansuesactas bestias legimus, ut Leones, in quorum foveam coniectus Daniel fuerat, & gratus ille Leo, qui Romani cujusdam mancipii misertus esse scribitur. Tertius vero modus ab omni humanitate quam longissime abest, qui scilicet a rebus inanimatis proficiscitur, inter quas duorum elementorum ignis & aquæ, sed illius imprimis formidabilis est savitia, atque hoc potissimum illi modo vitam eripere nobis conati sunt: ad secundum jam venio, non minus admirabile, causas scilicet, quæ tam funestæ tragædiæ inventores ad tam enorme scelus impulerunt. Quod si hi conspiratores ex illo tantum hominum genere fuissent, quæcere diruti, omnibusque bonis eversi, aut injuria affecti, novis rebus student, forte non ita dignum admiratione eorum institutum fuisset: ad me quod attinet, equidem vix eorum quemquam de vultu noveram, nec

Hist. Eccles. Tom. LIII. Zz tan-

Sæc. XVII. tantillum est, quod de ulla in se injuria aut
 A. C. 1605. molestia accusare me possint. Eheu! tan-
 tum in quemquam Religione Christianam,
 & Anglum natione ducere scelus, ut Regi
 suo legitimo, ejus Successoribus, immo ipsi
 Patricæ (cujus tam sanctum & dulce inter
 omnes nomen est) violentas inferre manus
 & exitium intentare ausit? Eum præser-
 tim, qui tam illustri loco inter Regios Mi-
 nistros constitutus, tam sancto jurejurando
 obstrictus, a Rege hæc & regno depellere
 tenebatur? sed & tanta eorum est obstina-
 tio, ut is ipse captivus noster, nihil magis
 sibi dolere dixerit, quam quod institutum
 scelus perficere non potuerit. Tertium &
 postremum præ ceteris in hoc admirandum,
 modus est, quo nefaria hæc machinatio est
 detecta, qui vos multo magis in admiratio-
 nem erat rapturus, si intima animi mei sententia
 ita uti illi, qui quotidie circa me sunt, ha-
 beretis perspecta. Ut enim semper excusavi
 vi suspicionem tyrannorum esse morbum,
 ita in contrarium nimis desllectens, omnes
 fere de periculis imminentibus admonitio-
 nes contempsi, tantum abest, ut mihi ipsi
 metum finxerim. Eo tamen tempore, quo
 a Secretario Literæ, obscura quædam icæus
 formidabilis indicia continentem, mihi exhibi-
 bita sunt, tantum a mea ipsius quasi natu-
 ra absui, ut statim verba illa multo aliter
 quam quisquam Grammaticus aut Juri-
 consultus interpretatus, de pulvere mihi in
 mentem

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

mentem suspicio venerit. Qui si aliud pe-
riculi genus essem imaginatus, prospici illud
quidem, non tamen vitari potuisset. Sed
Et hoc divini fuit providentiæ, quod ma-
chinator sceleris eo potissimum tempore at-
que loco deprehensus est. quo domo modo
egressus ad ignem pulveri subjiciendum pro-
perabat, qui si ad eum, quem petebat, lo-
cum pervenisset, sese unâ cum proximis qui-
busque, ut ipse fatetur, pulvere incenso,
perditurus erat. Et si vel Deo ob peccata
nostra permittente scelerata istorum homi-
num consilia, quem volebant, habuissent
eventum, hoc tamen nomine immortales Deo
gratias debeo, quod quandocunque olim mei
exitus usurpata memoria fuisset, illud ne-
mo de me dicere aut scribere poterat: me
in popina aut alio quodam vili Et contem-
pto loco, sed in eo, qui Regibus ad mu-
neris sui partes explendas maxime dignus
est, cum honestissimo ac lectissimo, quod
uspiciam reperiri possit sodalitio vitam finisse,
tanto ergo plures nobis sunt, Et graviores
Deo gratias agendi causæ, mihi præsertim,
quod adhuc semel, quicquid postea de me
futurum sit, hoc in loco vos alloquendi fa-
cultatem dederit, hoc, inquam, in loco,
ut qui ad nostrum omnium exitium destina-
tus horrendum fragorem, Et flebilem eju-
latum erat editurus, nunc divince miseri-
cordiæ laudibus personaret.

Zz 2

Reliquum

Sæc. XVII. *Reliquum jam est, ut ostendam vobis,*
A C. 1605. *quomodo in iis, quæ ad sceleratam machi-*
nationem pertinent, gerere vos debeat.
Equidem scio nihil in vobis esse, quod im-
tetrum facinus non aversetur, mentem ad-
minari, linguam detestari, atque execrari,
pedes ad persequendos, manus ad compre-
hendendos ejus auctores paratissimas, omnia
denique miro quodam ardore tanto scelere
purgandi regni teneri, qua in re ut non
possum non animum vestrum laudare, via
subvereri cogor, ne nimio Zelo meo præ-
cipitata, innocentibus quibusdam sive indi-
genis, sive exteris, tanti criminis suspicio-
nem non sine ignominia impingat, veimigi-
tur illud vos cogitare, longe acerbissimum
mihî fore, si cuiquam civi vel advena hoc
nomine macula aspergatur, aut damnus
inferatur, quæ causa illos impulerint, non
ignoro, atqui non propterea omnes in cri-
men vocari debent. „Minus vero omnes
„majorum Religioni addicti in illo cri-
„mine comprehenduntur; plures quip-
„pe inter eos sunt, qui, quamquam
„Pontificiis erroribus involuti, nequa-
„quam sinceram in Principes fidem
„exuerunt, & Christiani hominis simul
„& integri subditi officium servant:
„Ego quoque vicissim de iis bene exi-
„stimo, dignam autem flammaram se-
„veritate Puritanorum sævitiam duco,
„qui Pontificium omnino ullum in cœ-
„lum

„lum recipi posse negant. Dignum & *Sæc. XVII.*
 „æquissimi Principis prudentia illud, *A. C. 1605.*
 „quod nullos externos Principes aut
 „Republicas, neminemque, qui illis
 „operam navat, huic conjurationi par-
 „ticipasse, in suspensionem venire posse
 „judicet, quippe qui ex suo animo eos
 „æstimat, idemque de ipsis, quod de
 „se existimari vult, sentit, ideo volo
 „ac jubeo, ut quando in comitiis de hac
 „conjuratione agetur, de illis honori-
 „fice quisque & loquatur & sentiat,
 „quod Hispanorum respectu additum,
 „quibuscum pacem nuper factam colere
 „cupio, nullam quoque in eorum opi-
 „nionem alienati animi vel levissimam su-
 „spicionis nubeculam relinqui volo. „

*Quod ad alios vicinos Reges, Princi-
 pes & status attinet, tanto mihi magis eos
 omnes excusare licet, quanto melius Chri-
 stianorum omnium Principum sensa ex meo
 metiri animo possum. Nullus enim profecto
 in terris paulo honestior Rex Princepsve est,
 qui eousque animum abjicere velit, ut de
 tam abjecto ac perfido crimine adjuvando ul-
 lam vel cogitationem suscipiat, quapropter
 a vobis peto, ut quam Deus mihi & vobis
 per me cum omnibus Christianis Principi-
 bus pacem concessit, eam ametis, & pro-
 moveatis, deque iis omnibus honorifice &
 sentiatis & loquamini, de me hoc vere di-
 cam, optare me cum illo, nescio quo, ut*

Sæc. XVII. *fenestrâ cordi meo esset præfixa, per quam
A. C. 1605. intima mei animi penetralia & cogitationes
omnium oculis subjicerentur; sic enim præ-
fecto omnes perspicerent, nullam ex hoc præ-
fecto in animo meo alterationem extitisse, in
duo tantum posthac mihi diligentius præ-
incumbendum existimo, primum ut tanta
iniquitatis mysteria, quantum fieri possunt,
eruantur, deinde ut rei, qui comperiti fue-
rint, ea qua par est, severitate puniantur.*

Absoluta hac oratione Rex conven-
tum denuo ad vigesimam primam Ja-
nuarii diem distulit, ut conjurationis
conscii interea perquiri, pœnisque pro-
meritis affici possent.

§. CXCVI.

*Diversa Anglorum judicia de hac
Regis oratione.*

*Rapin Thoi-
ras hist.
d' Angl. l. 18.*

Hunc Regis sermonem summo ap-
plausu excipiebant Aulici, ad sy-
dera usque extollentes Jacobi I. Sapien-
tiam, justitiam, æquitatem, animique
magnitudinem: præcipue vero com-
mendabant, quod licet una ex parte odio,
quo sufflantibus Ministellis in Catholicos
exarserat, stimulatus, altera vero ex par-
te æquitatis sui que officii legibus arcta-
tus esset, maluerit tamen Catholicorum
Religionem vindicare, cautione adhibita,
ne innocentes cum fontibus confunde-
rentur.

rentur. Non tamen eadem erat Puritanorum sententia, qui non modo regiam sollicitudinem pro innocuis Catholicis ægerrime ferebant, sed præcipue abominabantur differentiam, quam inter Religionem Romanam & Puritanorum sectam statuerat, asserens, quod fides Catholica non obsit, quo minus ejus membra adhuc fideles permaneant subditi, econtra autem Puritanorum secta in Regno bene stabilita toleranda non sit, uti in nupera oratione Rex asseruerat, in hac vero, ut ceterorum Protestantium invidiam erga Puritanos mitigaret, haud contentus, quod eorum opiniones ad politicum Regimen minime spectantes detestatus esset, in super illas flammis dignas censeret. Præterea non deerant alii, qui inter cetera observarent, quod Rex illam opinionem, quam flammis dignam assererat, ac Puritanis adscripserat, æquiori jure eandem Catholicis quoque attribuere potuisset.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

§. CXCVII.

Regis edictum pro vindicanda Principum innocentia.

Interim varius populi rumor de conjurationis Authoribus, ac conscis per urbem volitabat, quippe

Juvenc. Hist.
Soc. l. 13.
p. 5 n. 48.
Cont. Sleid.
vulgi lib. 12.

Z z 4

Sæc. XVII. vulgi licentia & damnanda conviciandi
 A. C. 1605 facilitate innocui quoque in hujus sceleris
 suspicionem trahebantur, aliunde vero
 Robertus Cæcilius Saresburiensis Comes Catholicis infensissimus iniquissimo
 ferebat animo, quod Rex Romanam
 Religionem & Catholicorum potissimos
 vindicare aggressus sit, hinc nullum non
 movebat lapidem, ut Anglicanæ Ec-
 clesiæ famam ac Principis dignitatem
 periclitari clamitans, Regem eo induce-
 ret, ut saltem conjurationis reos de-
 nuntiaret PP. Gerardium, Garnetum,
 & Grienwellum: Hujus igitur importu-
 nitati cedens Rex die decima quinta Ja-
 nuarii edictum promulgari jussit, quo ve-
 tuit, ne cujusquam Principis Orato-
 res, aut alii homines, utpote quos
 diligenti inquisitione innocuos depre-
 hendisset, in suspicionem criminis vo-
 carentur: de cetero compertum esset
 ex conjuratorum confessione, tres in
 Anglia Jesuitas facinoris istius conficis
 participesque fuisse, nempe Gerardium
 Broccium, Henricum Garnetum, &
 Oswaldum Tesmundum: postea in hoc
 edicto singulorum depingebatur statura,
 vultus, capillorum color, aut totius
 corporis conditio: Denique additum,
 quod Rex omnes & singulos suos sub-
 ditos admonitos velit, ut nullis vel la-
 boribus vel sumptibus in illis inquirendis
 & ju-

& iudicio sistendis parcant, eo quod Sæc. XVII.
 Rex studium unicuique, quod hoc in A. C. 1605.
 negotio impenderit, abunde compen-
 satus ac remuneratus esset: si quis
 vero eos hospitio exciperet, aut occul-
 taret, severitate Legum puniretur.

§. CXCVIII.

*PP. Gerardius & Griemwellus fuga
 ex Anglia elapsi.*

Tot inter proditorum oculos ad horum Juven. l. c.
 trium Sacerdotum perniciem in- Barth. hist.
 tentos nihilominus Pater Joannes Ge- della Com-
 rardius Broccius impune Londino ex- pag. di
 cessit, ad portum delatus, unde Belgii Giesu.
 & Hispaniæ Oratores solvebant, qui-
 buscum in Flandriam incolumis perve-
 nit. Pater Griemwellus vero, cum uni-
 cum salutis suæ præsidium in callida
 audacia repositam cerneret, mutato
 quantum valuit ore cultuque, via Re-
 gia Londinum ingreditur, ibique in
 publico foro promiscua multitudine per-
 mixtus expositum contra se edictum
 otiose perlegit, quin tamen sagacitatem
 cujusdam circumforanei effugere pos-
 set; hic enim cum Patrem ex facie
 nosset, mox injecta manu, *nosco te, in-*
quit, sequere hinc recta in carcerem, ita
Rex jubet: Pater alium ac ipse crederet,
se esse dictitans, leniterque cum eo

Zz 5

alter-

Sæc. XVII. altercatus, eum sequitur, donec in vi-
A. C. 1605. cum infrequentem ac pene desertum
 venisset: tum vero comprobatum red-
 debat, quod nihil sit tam arduum, quod
 animus ad extrema adactus superare
 nequeat, certusque, quod ab animi
 magnitudine non raro corporis quoque
 robur vigeat, mox suum ductorem collo-
 arripiens tam strenue cum eo collucta-
 tur, ut sese ejus manibus extricaret,
 ac nota per^d diverticula suffugiens par-
 ter Londino statim, pauloque post ex
 Anglia tota excederet: demum vero
 inter varias itinerum molestias & peri-
 cula vires illas, quas prius expresserat
 necessitas, postmodum a virtute mu-
 tuatus deinceps in Apostolicis labori-
 bus impendere cogebatur; Romam te-
 nim delatus, Pœnitentiarii munus re-
 que ac P. Gerardius obire a Paulo V.
 jussus est: quam tamen promotionem
 malevolorum nonnulli summo Pontifici
 vitio vertebant, perinde ac si hac actio-
 ne attentatam conjurationem sibi parum
 displicuisse significasset: adeo nempe
 nulla virtus, nulla auctoritas adversus
 invidiam vel adversus contumeliam sa-
 tis secura est.

§. CXCIX.

Tumultus in Moscoviæ Regno.

Jam

Jam octavus effluxerat annus, quo Bo-
 rishius Moscoviæ Ducatum usurpave-
 rat, cum autem Demetrius Theodori
 Ducis frater proximus Regni hæres ef-
 fet, hunc, puerum adhuc, trucidare
 statuit, quo comperto detestando illius
 consilio Demetrii Mater filium suum
 clam subduxit, aliumque puerum ei
 ætatæ ac ore persimilem supposuit, qui
 etiam a Tyranni sicariis occisus mox
 sepultus est. Alii vero Scriptores ve-
 rum Demetrium in conjuratione oppres-
 sum affirmant. Utut res se habuerit,
 certum tamen est, quod ille, qui se
 Demetrium dicebat, in monasterio quo-
 dam absconditus atque enutritus tan-
 dem cum Monacho quodam in Livoniam
 venerit, ubi Visnovitio Poloniæ Palatino
 generis sui claritatem, atque adversæ
 fortunæ fata manifestabat. Hic dictis
 fidem adhibens puerum ad Sigismun-
 dum Poloniæ Regem adducit, a quo
 benigne exceptus se tam gnaviter in
 Polonico & Latino idiomate exercuit,
 ut hujus linguæ beneficio ritus & do-
 ctrinæ Catholicæ capita exacte addi-
 sceret, suamque amplectendæ veræ fidei
 propositum Regi manifestaret; igitur ab
 eodem erudiendus traditur Caspari Sa-
 vitio Jesuitæ, quo ductore ad Clemen-
 tem VIII. Pontificem Maximum proprio
 chirographo latine perscripserat, quod
 si in

Sæc. XVII.
 A. C. 1605.

Thuanus
lib. 134.
Mercur.
Gallo Belg.
tom. 6. l. x.

Sæc. XVII. si in paternum Regnum restitueretur
A. C. 1605. primam ac præcipuam Religionis Ca-
 tholicæ in Imperio Moscovico resti-
 tandæ regniq[ue] ad Ecclesiæ unionem
 revocandi curam habere vellet. His
 ab initio tecta, monito tamen prius
 Pontifice, ut negotium sua ope & pa-
 trocinio promoveret: nec inanis erat
 hujus sollicitudo; quippe magna undi-
 que ad Demetrium auxilia conflunt,
 Regisque favore Poloni Proceres exer-
 citum decem millium armatorum con-
 scribunt, præter nongentos Cæsareos,
 qui eidem sese aggregabant. His igitur
 copiis auctus Demetrius arma in Mosco-
 viam infert, captaque Borysthene mu-
 nitissima arce aliisque locis multos Bo-
 risii Ducis tyrannidem exosos in suas
 partes pertrahit. Interim vero Bo-
 rius instructo centum millium agmine
 Demetrium aggreditur, qui etiam ex-
 eunte Mense Januario hujus anni a ma-
 jori hostium numero undique circum-
 ventus funditur, fugaturque: collectis
 dein ex tanta clade reliquiis Palatinus
 Sandomiriensis, qui in Demetrii exer-
 citu supremus erat Bellidux Putivolum,
 Demetrius vero ad Rilsicum arcem sese
 recepit, quam, cum Borisiani agminis
 Dux aggredi parat, Demetriani, quam-
 vis numero longe impares, Martio
 Mense ineunte in hostem obviam pro-
 cedunt

cedunt, illatam nuper cladem ulturi: **Sæc. XVII.**
 neque defuit animosis conatibus even- **A. C. 1605.**
 tus optati prosperitas; quippe primo
 jam congressu mille interfectis, captis-
 que ducentis universum exercitum fun-
 dunt, ac cum opulenta præda Puti-
 volum revertuntur, multis urbibus in
 Victoris partes concedentibus. Bori-
 sius, cum armorum potentia æmulum
 suum vincere desperaret, variis insidiis
 eum vita privare nititur, emissis quam-
 plurimis, quos aut delictorum venia,
 aut præmiorum amplitudine sollicita-
 verat, ipse etiam Archipopa, seu Ruf-
 forum Patriarcha omnes Demetrio ad-
 hæsurus anathemate percellit: nihil
 inde tamen territus Demetrius Bori-
 sium oblatis conditionibus oppido ho-
 nestis hortatur, ut regno, quod injuste
 usurpasset, mature cederet: Hic vero
 impotenti rabie correptus subito cor-
 ruit, atque Aprili Mense ad exitum
 vergente obiit, non sine propinati ve-
 neni suspicione. Cognita Borisii morte
 prius in castris mox etiam in Mosco-
 viæ regno omnium animi nova felici-
 tate expugnati in Demetrium inclina-
 runt: quocirca Procerum votis expe-
 titus regiam urbem ingreditur, ac die
 vigesima Junii Russorum Imperator,
 magnus Moscoviæ Dux, aliarumque
 Regionum Princeps fausta populi ac-
 clama-

Sæc. XVII. clamatione salutatur, Mense Julio
 A. C. 1605. lemni ritu inauguratus: postea Pater
 Nicolaus Cernicovius Jesuita novo Duci
 luculenta oratione gratulabatur, per
 honore a Senatu exceptus: Jesuitis ve-
 ro hospitium haud procul ab arce attri-
 butum, ubi Sacra more in Ecclesia Ro-
 mana recepto libere peragerent, ap-
 plaudentibus cunctis, excepto solo Theo-
 doro Suiscio, qui jam tum de imperio in-
 vadendo cogitabat. Postea Dux inito cum
 Polonis fœdere Sendomiriensis Palatini
 Filiam uxorem duxit, quæ tamen una-
 cum sponso suo, integro anno nedum e-
 voluto funestum inconstantis fortunæ
 ludibrium exstitit.

§. CC.

*Nuptiæ inter Sigismundum Poloniæ
 Regem & Caroli Archiducis Au-
 striaci Filiam per summum
 Pontificem conciliatæ.*

*Thuanus
 lib. 134.*

Decefferat jam ante septennium Si-
 gismundi Poloniæ Regis uxor Ana-
 na Caroli Archiducis Filia: nunc vero
 Jesuitæ veriti, ne dissoluta affinitate Si-
 gismundus alterius Domus uxorem da-
 ceret, ac exinde pax & amicitia Po-
 lonos inter & Austriacos solveretur,
 hinc apud Rudolphum Cæsarem insti-
 bant, utis alteram ejusdem Archiducis
 filiam

filiam Sigismundo traderet. Placuit Sæc. XVII.
 Imperatori hoc consilium, qui illico A. C. 1605.
 Clementem VIII. Pontificem anno priori,
 ut legis veniam daret, rogabat: An-
 nuit Pontifex, ac ipse die decima no-
 na Junii ad Sigismundum literas dedit
 hujus tenoris: „Non possumus non
 „hortari Majestatem tuam, ut non so-
 „lum tandem cogitet, sed deliberet de
 „secundis nuptiis, ut benedicente Do-
 „mino, nova prole firmetur status illius
 „regni: nam semper existimavimus, con-
 „junctionem in inclita Domo Austriaca
 „futuram illi honorificam & salutarem;
 „nobilitati enim & splendori illius fa-
 „miliæ nulla fortassis in toto orbe Chri-
 „stiano æquiparari potest: mulieris quo-
 „que illius, quam ex ea familia habuisti,
 „singularem pudicitiam, Religionem
 „& prudentiam jam Majestas tua ex-
 „perta est, quare si animum adjiceret
 „ad unam ex Sororibus defunctæ Re-
 „ginæ, putamus id non solum non a-
 „lienum a salute & quiete tua, sed tibi
 „satis honorificum & salutare futurum,
 „nec de dispensatione ambigere debes;
 „illam enim tibi libentissime offerimus,
 „& ut tibi concedamus, suadent multæ
 „& urgentissimæ causæ, rogamus ita-
 „que Majestatem tuam, ut mature a-
 „pud se deliberet, totam operam no-
 „stram Majestati tuæ necessariam aut
 „quo-

Sæc. XVII. „quoquo modo opportunam copiosissimam
A. C. 1605. „sine deferentes. „

Has literas Sigismundus in Regni comitiis exhibuerat, Procerum comitia exploraturus. Obstabant præcipue Protestantes, caussati, quod Cæsar, eque instigante Pontifex sua hoc in negotio commoda privata, non publicam Regni utilitatem quæerent: Nihilominus Rex potius Cæsari ac Pontifici, quam illorum voluntati morem esse gerendum ratus, Constantiam defunctæ suæ Uxoris Sororem sibi matrimonio jungere statuit. Hæc igitur die vigesima sexta Septembris Pragam inde Græcium perveniens comitantibus eam Maximiliano ejus Fratrem & Carolo Archiduce ipsius Parente Mense Decembris Cracoviam ad Sponsum suum ducta est.

§. CCI.

Quatuor Cardinales hoc anno defuncti.

Ciacon. in vit. Jul. III. Tom. 3. Hunc annum, qui aliunde turbis seditionibus & cædibus sat teter ac luctuosus erat, pariter vitæ suæ exitialem ac postremum experti sunt quatuor Cardinales, quorum primus sedente Clemente VIII. octogenarius obiit: Erat is Hieronymus Simoncellus natione Italus,

Italus, patria Urbevetanus, Julii III. a Sæc. XVII.
 quo juvenis adhuc Cardinalium Colle- A. C. 1605.
 gio adscribatur, Pronepos. Hic a
 teneris unguiculis in virtutis studio a-
 dolevit, atque ad decrepitam ætatem
 illibatum animi candorem servavit,
 cumque naturæ beneficio ad quævis
 ardua obfirmatam haberet indolem, no-
 vis semper gloriæ suæ incrementis Rei-
 publicæ Christianæ onera & munia su-
 stinebat. Patriæ suæ Episcopus designa-
 tus die vigesima quinta Junii anno Christi
 supra millesimum quingentesimo quin-
 quagesimo quarto omnes integerrimi
 Præfulis partes summa cum laude ex-
 plevit, quam tamen Ecclesiam nonnisi
 octo annis rexit, ea sponte dimissa. Ni-
 hilominus honorum fastigia, quæ fuge-
 rat, fugientem insequabantur, paulo-
 post Senatoris officio decoratus, eo quod
 ipsum nec potentum timor, nec ami-
 corum gratia ab integritatis æquitatis-
 que studio avertere potuerint. Præfuit
 primo Diaconus Ecclesiæ SS. Cosmæ
 & Damiani, dein Presbyter Ecclesiæ
 S. Priscæ ac postea Sanctæ Mariæ ad
 Tiberim: postremo Cardinalis Episco-
 pus veluti per gradus ascendit ad Al-
 banensem, Tusculanam & Portuensem
 Ecclesias. Interfuit quoque decies
 comitiis Pontificiis, nec id mirum; Pur-
 puram enim quinquaginta duos omni-
 Hist. Eccles. Tom. LIII. A a a no

Sæc. XVII no annos tenuit, quam tandem una-
A. C. 1605. cum vita hoc anno die vigesima secun-
 da Februarii Romæ exiit, sepultus ad
 Sanctum Petrum in Monte Aureo.

§. CCII.

*Hieronimi Agucchii Cardinalis
 obitus.*

*Ciacon. in
 vita Clem.*

Alter erat Hieronymus Agucchius pa-
 tria Bononiensis ex Nobili genere
 ortus, qui a suis Parentibus liberaliter
 educatus egregiam literis navabat ope-
 ram, præcipue vero sua solertia, saga-
 citate, morumque integritate tanto pe-
 re sese commendabat, ut Roman pro-
 fectus paulopost Utriusque Signaturæ,
 ut vocant, Referendarius renuntiare-
 tur, quo in munere, aliisque Ecclesie
 negotiis per assiduos labores præclara
 Apostolicæ Sedi obsequia integris tri-
 ginta ferme annis præstitit. Præfuit
 etiam Nosocomio, atque Ecclesie ad
 Sanctum Spiritum, quo munere fun-
 ctus a Clemente VIII. uno anno ante
 obitum suum die nona Junii Presbyter
 Cardinalis tit. Sancti Petri ad Vincula
 declaratur, Vir meritis plenus, natus-
 que ad negotia, sub quibus in valida
 adhuc ætate nonnisi quinquagenarius
 contabescens decessit Romæ die & anno
 quo Leo XI. Papa obiit. Tumulatus
 quie-

quiescit apud Sanctum Petrum ad Vincula. Sæc. XVII.
A. C. 1605.

§. CCIII.

*Pauli Æmilii Zacchiæ Cardinalis
extrema.*

Initio Pontificatus Pauli V. die trigesima prima Maji decessit Paulus Æmilii Zacchia, Vectiani in oppido Liguriæ claris Parentibus anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto natus. Hic sub cura Marcelli de Nobilibus Materni sui Patruï humanioribus literis ac jurisprudentiæ studio excultus, necnon Doctoris Laurea Pisis ornatus Romam venit, Petro Donato Cæsis Caussidico percelebri adjunctus. Sub idem tempus Clemens VIII. præfatum Marcellum sibi in paucis carum purpura decorare constituebat, eo autem hanc dignitatem ob grave senium deprecante paratum Patruo favorem transtulit in Nepotem, quem primo intimi Cubiculi Ministrum, mox signandis gratiæ causis Auditorem, ac postea Protonotarium nominabat: paulo post eundem ad Hispaniæ Regem Nuntium ablegans, tandem anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo octavo die tertia Martii inter Presbyteros Cardinales ti-

*Ciacon. l. c.
Ughel. in
Ital. Sær.*

Sæc. XVII. tulo Sancti Marcelli cooptabat. Nova
A C. 1605. hac dignitate clarus Æmilius intima
 quæque negotia suæ curæ commissa in-
 signi prorsus prudentia ac fide expedi-
 bat. Rexit quoque Faliscorum Eccle-
 siam, ab ipso summo Pontifice consecra-
 tus: postea Congregationi Concilii Tri-
 dentini præfectus, ut erat placidus in-
 genio, & natura beneficus, tantam sibi
 benevolentiam conciliabat, ut defuncto
 Clemente VIII. Cardinales eum Ponti-
 ficia Thiara dignissimum *conferrent*,
 prout ipsemet Cardinalis Perronius ad
 Henricum IV. Franciæ Regem perscri-
 pserat: cum autem Medicorum iudi-
 cio vix tres Menses supervicturus cre-
 deretur, non tam spe, quam obtinen-
 dæ hujus dignitatis metu solutus pau-
 lopost Clementis VIII. obitum anno æ-
 tatis suæ quinquagesimo primo meritis
 ac nominis fama celebris obdormivit in
 Domino, sepultus in Ecclesia sui Tituli.

§. CCIV.

*Joannes Franciscus Blandrata Car-
 dinalis mortuus.*

Petramell. Postremus erat Joannes Franciscus ex
in elog. Sancti Georgii & Blandratæ Co-
Franc. Aug. mitibus Casali anno Incarnationis Do-
ab Eccles. minicæ millesimo quingentesimo qua-
in Hist. Pe- dragesimo quinto natus. Hic in patet
dem. Ciacon. l. c. na.

na domo liberalibus disciplinis ac Ju-
risprudentia excultus haud diutius va-
stam ingenii sui vim domesticis larium
angustiis includi patiebatur, ad altiora
scilicet indole eum trahente, peregri-
nasque, nescio quas, gloriæ ac meriti
spes eminus ostentante. Detestatus ita-
que segnis otii torporem inexpertum, in
ipso ætatis flore Romam se contulit,
Pio V. Pontifici sua oblaturus obsequia,
a quo etiam primo utriusque Signatu-
ræ Referendarius, postea cum Cardi-
nali Alexandrino legato ad Hispaniæ,
Lusitaniæ & Galliarum Reges pro re-
bus Sacri foederis missus summo in per-
tractandis negotiis adjumento eidem
existit: Postea a Gregorio XIII. pluri-
bus Præfecturis ornatus, ac ipsius Al-
mæ urbis Gubernator renuntiatus a
Sixto V. Aquensem Episcopatum obti-
nuit, cui Ecclesiæ summo gregis sui
proventu aliquot annos præfuit. Rexit
quoque Abbas Cænobium Ripaltense:
Electo autem Clemente VIII. cui Fran-
cisci merita proprio experimento com-
probata erant, Cardinalis tit. Sancti
Clementis renuntiatur, paulopost ite-
rato legatus *de latere*, ut vocant, de-
cretus: Enimvero in primæva Ecclesia
hoc nomine duntaxat indicabatur om-
nis ille vel Clericus vel Episcopus, quem
Papa *nomine suo* absque ullo ritu in quo-

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

Sæc. XVII vis negotio sibi commisso ad quempiam
 A. C. 1605 ablegabat: hodie autem, elevata Cardinalium dignitate supra Episcopalem, hic titulus non nisi Purpuratis tribuitur, significatque Legatum non modo a Papa simpliciter, ut ita dicam, sed cum auctoritate, potestate, jurisdictione ac Cruce sibi in muneris sui signum prelata ad coronatos Principes deputatum. Cæterum hujus dignitatis splendor ad eo non ullum inanis superbiæ summum Francisco nostro excitabat, ut potius novum ad graviora ferenda onera calcar adderet; quippe Ferroniensem civitatem reliquo Pontificatus Clementis tempore haud minori molestia, quam industria, prudentia, nominisque sui gloria regere jubebatur: demum quatuor ante annos Abbas Caramanæ electus die decima sexta Aprilis anno post Virginis partum millesimo sexcentesimo tertio, relicta Aquensi, Faventinam Ecclesiam administrandam suscepit, in eaque sibi suisque Successoribus marmoreum tumulum paravit, in quo etiam *Lucæ* sepultus requiescit; quippe curandæ valetudinis causa Lucam Italiæ Rempublicam profectus ibidem die decima nona Julii ætatis suæ anno sexagesimo primo mortalitatem exiit, relicta prius pauperibus, suæque Ecclesiæ potissima bonorum parte.

§. CCV.

Sæc. XVII,
A. C. 1605.*Pontus Thiardæus Cabilonensis Antistes mortuus.*

Inter Franciæ Præsules literis claros, *Thuan. hist. lib. 134.*
 qui itidem hoc anno naturæ debitum solverunt, primo loco recensendus est Pontus Thiardæus ex Nobili genere Biffiani Diæcesis Macconensis oppido anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo natus. Hic puer adhuc mira facilitate trium linguarum cognitione imbutus Poeticæ arti, ac politioribus literis totum sese sacrabat, tam celeri progressu, promptaque Minerva, ut inter ævi sui Poetas, qui regnante Henrico II. totam Franciam inundabant, præcipuus Gallico idiomate carmina omnibus numeris absolutissima scriberet: postea Mathefi & Platoniciæ Philosophiæ operam dabat, ac postremo cum ad Theologiæ disciplinam se contulisset, plures tractatus reconditæ scientiæ plenos, Gallice tamen scriptos, vulgabat. Præterea suo animi candore miraque morum comitate plurimum gratia & favore pollebat apud Carolum IX. & Henricum III. a quo etiam ad Cabilonensem Episcopatum nominabatur, quo Sacro munere per viginti annos summa doctrinæ &

A a a 4

pie-

Sæc. XVII. pietatis laude defunctus Cyrum ex fra-
A. C. 1605. tre Nepotem subrogabat. *Cum in libris*
 verba sunt Thuani, *assiduus esset, cibo*
multo, quippe vasto corpore utebatur, &
generosa vina, qualia illis locis circa Atri-
rim nascuntur, aqua nulla admista citra in-
mulentiam bibebat, cumque dormitum erat,
quod mirum est, largo se meraci hauis sue
valetudinis dispendio proluebat.

Scriptit præter jam memoratos tra-
 ctatus *Ephemerides octavae Sphaerae, com-*
mentarium in Philonis Judæi libros, tra-
ctatum de caelestibus asterismis, discursus
Philosophicos, poemata, necnon duas lu-
cubrations de erroribus amatoris & de
genealogia Hugonis Capeti: Præterea
 paulo ante mortem octogenario major
de recta nominum impositione commenta-
 rium vulgabat: Tandem vero integris
 animi & corporis sensibus Bragnize die
 nona Octobris anno ætatis suæ octoge-
 simo quarto mortalitatem exiit.

§. CCVI.

Petri Simonii decessus.

Miræus
Aub. Bibl.
Script.
Sæc. XVII.
Andr. Bibl.
Belg.

Hunc pari fato sequebatur Petrus Si-
 monius Tilæ in Flandria natus, qui
 a tenera ætate tum pietati, tum studiis
 liberalium artium assuefactus Philoso-
 phicis disciplinis sese mancipabat, postea
 felici ad Theologiam gradu pergens
 sacrae

sacrae militiae nomen dedit Clericus factus: cum vero doctrina, orisque facundia plurimum valeret, primum Cortraci Parochus, postea Gandavi Archipresbyter renunciatur. Vir erat tam singulari praeditus prudentia, ut in bene administranda Republica Albertus Austriae Archidux Belgii Princeps salutaria ejus consilia non raro expeteret: demum turbis in Flandria per Alexandrum Farnesium nonnihil sedatis, Martino Rithovo defuncto Simonius in Iprensi Episcopatu subrogatur, a suis ovibus tantopere dilectus, ut eidem post obitum suis sumptibus honorificum e marmore tumulum erexerint: decessit autem annos natus sexaginta sex, ob assiduos studiorum labores, nimiamque mentis contentionem viribus penitus exhaustus: priusquam vero mortem oppeteret, Joanni Davidi Jesuitae suo olim apud Cortracenses Collegae sacras Conciones aliaque ingenii sui monumenta commendabat, qui ea Plantinianis literis evulganda curavit: Erant autem praecipue haec I. Tractatus de Jesu Christi in monte Tabor cum Moyse & Elia colloquio II. Apologia contra Calvinum pro veritate Catholica. III. Libri VIII. de veritate IV. tractatus de haereticos, haereticorumque natura.

Sæc. XVII.
 A. C. 1605.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

§. CCVII.

Quidam Societatis Theologi hoc anno defuncti.

*Alegamb.
Bibl. Soc.
Aubert.
Mir. l. c.
Anton. Bibl.*

Hoc item anno e Jesuitarum Societate quidam inter suos nominati scriptores obiere, quos inter primus est Franciscus Arias natione Hispanus, qui Hispali anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo tertio natus vigesimo octavo ætatis anno Societatem ingrediebatur, ubi per quatuor annos Theologiam, ut vocant, moralem in Collegio Triguerensi professus propriæ potius ac animarum salutem, quam Scientiarum studiis sese celebrem reddidit, qui post uberes Apostolici sui laboris proventus cælo maturus die vigesima tertia Maji anno ætatis suæ septuagesimo secundo Hispali obdormivit in Domino: Ceterum nil nisi ascetica posteris reliquit opuscula, scilicet *de pravitæ peccati, præsentia Dei, profectu spirituali & oratione mentali.* Alter est Pater Gabriel de Vega, qui pariter nil nisi artem grammaticam, dictionarium, & annotationes quasdam linguæ Chilensis scripserat. Hunc sequitur P. Petrus de Amasco natione Peruanus, qui Catechismos, Methodos rite confitendi & Grammaticas linguæ Tucumanicis evol-

evulgasse dicitur. Postremus denique Sæc. XVII.
 occurrit P. Georgius Scherer natione A. C. 1605.
 Germanus ex oppido Swaz prope Oe-
 nipontum Comitatus Tirolensis, qui
 anno post reparatam salutem millesimo
 quingentesimo trigesimo nono primam
 lucem aspexit, ac vigesimo circiter æ-
 tatis suæ anno Societatem complexus
 Græcas & hebraicas literas necnon Dia-
 lecticam docuit. Vir erat eloquentia
 excellens, atque ad permovendos ani-
 mos efficax, ab ipso Matthia Archi-
 duce, ut ei a Concionibus esset, se-
 lectus: repente tamen inter concionan-
 dum semel oculorum usa viribusque de-
 stituitur; cum autem hæretici eum o-
 dio plusquam vatiniano infecuti fuif-
 sent, mox putido admodum mendacio
 sparferunt, Georgium pro concione di-
 xisse: *si fides Catholica vera non est, illico*
me Deus coram vobis cæcitate plectat, sta-
 timque his dictis excæcatum, imo mor-
 tuum, & clam fuisse sepultum, qui ta-
 men paulopost visu viribusque recupe-
 ratis per plures annos Concionatoris of-
 ficio fungebatur, nonnisi cum magna ca-
 lumniantium confusione. Tandem ve-
 ro die trigesima Novembris Lintzii a-
 poplexia tactus decessit; edidit lingua
 vernacula plurimos libros contra hære-
 ticos, qui postea in duos tomos con-
 gesti in Moravia publici juris facti sunt:
 totidem

Sæc. XVII. totidem quoque tomis comprehensæ
 A. C. 1605. bentur ipsius Conciones in Dominicis
 & festa.

§. CCVIII.

Arnoldi Fontaci extrema.

*Sammarth.
 Gall. Christ.
 Abregé de
 l'hist. Eccles.
 tom. 10.*

Haud infimum inter Scriptores Eccle-
 siasticos locum meretur celebris Ar-
 noldus Pontacus, qui Burdigalæ in
 Gallis in lucem editus non minus ge-
 neris nobilitate, quam virtutum splen-
 dore claros nanciscebatur Parentes. Hi,
 cum bonam in filio indolem ingenique
 felicitatem animadverterent, nil curæ
 reliquum fecerunt, ut is pie educatus
 cunctis bonis artibus literisque instrue-
 retur: nec vana erat piorum Parentum
 spes; quippe Arnoldus nullo ferme ne-
 gotio intra breve temporis spatium præ-
 ter latinum idioma hebraicam & Græ-
 cam linguas invicto discendi ardore di-
 dicerat, quarum ope Historiæ Eccle-
 siasticæ cum uberrimo eruditionis pro-
 ventu sese addixit, singulari studio Chro-
 nologiæ insudans. Demum præclaro
 ipsius ingenio, scientiarum amplitudi-
 ne, aliisque raris animi sui dotibus sa-
 tis superque cognitis a Carolo IX. Gal-
 liarum Rege feligitur, ut obeunte Fran-
 cisco de Balaguier ei a secretioribus
 consiliis esset, quo munere cum ingenti
 nomi-

nominis sui gloria functus ad Vafaten-
 fem Ecclesiam Episcopus circa annum Sæc. XVII.
 A. C. 1605.
 Domini millesimum quingentesimum
 septuagesimum secundum nominatur.
 Interfuit quoque Blesensibus Cleri co-
 mitiis, postea a Melodunensi Conventu
 ad Henricum III. in caussa circa disci-
 plinam Ecclesiasticam, & Canonicas
 Præfulum electiones decretus, tandem
 meritis, annisque gravis Juberthi in
 arce sua die quarta Februarii vitæ fi-
 nem fecit: Posteris ingenii sui monu-
 menta reliquit. I. Opus dogmaticum
 contra Duplessium Mornæum Calvi-
 nistam. II. eruditas Annotationes
 in Eusebii, Pampili, Hieronymi &
 Prosperi Aquitanici opera Chronica.
 III. Commentarium in Prophetiam Ab-
 diam, præter Chorographiam, & ver-
 sionem quarumdam annotationum Rab-
 binorum in Prophetas minores. Scri-
 psit etiam plures epistolas eruditione
 plenas.

§. CCIX.

*Antonii Gallonii & Guilielmi Bar-
 claii decessus.*

Huic accensemus Antonium Gallo-
 nium, qui Romæ institutum Pres-
 byterorum Oratorii professus multa e-
 ruditionis suæ specimina edidit, præ-
 clarus

*Bayle du
 Pin Bibl.
 Eccles.
 Sæc. XVII.
 Erythr.
 Pinac. III.
 pag. 616.*

Sæc. XVII. clarus Cæsar̄is Baronii vindex; cum
A. C. 1605. enim hic in suis Annalibus S. Grego-

Thomass.

vit. Doct.

Vir.

Calmet Hist.

de lorrain.

tom. 2. l. 32.

rium Magnum Papam nullatenus Oculis Sancti Benedicti Monachum fuisse asseruisset, mox Constantinus Bellocus Congregationis ac Monasterii Cassinensis Monachus librum edidit, cui titulus: *Gregorius Magnus Instituto Sanctissimi Patris Benedicti restitutus*. Hanc seignior vero Gallonius, apologeticum edidit librum *pro assertis in annalibus Baronii de Monachatu S. Gregorii Papæ contra Constantinum Bellocum, aliosque Monachos Montis Cassini*. Ceterum præter hanc apologiam scripsit anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo librum Clementi VIII. nuncupatum, atque ab eo latine redditum *de Crucibus Martyrum, & vitam S. Philippi Neri*. Paris ferme fati socius erat Guilielmus Barclaius Aberdoniæ in Scotia ex vetere ac nobili Barclaiorum familia ortus, qui cum apud Mariam Scotiæ Reginam plurimum valeret, totamque adolescentiam suam ac primos florentis ætatis annos in aula exequendis Aulicorum officiis trivisset, jam triginta annos natus, vix prima litterarum vestibula adhuc salutaverat: postea vero ad seria animum applicans, cum apud Reginæ Filium & Regni Successorem ob Religionis diversitatem gratia excidisset

cidisset, ex Anglia in Franciam anno **Sæc. XVII.**
Christi millesimo quingentesimo septua- **A. C. 1605.**
gesimo tertio contendit, ubi apud Bi-
turices sub Jacobo Cujacio tum maximi
nominis Jurisconsulto in jurisprudentiæ
studium tam impigro labore, tantoque
profectu incubuit, ut ab eodem Cujac-
cio juris Civilis publice interpretandi
potestatem acciperet. Sexto post an-
no a Carolo III. Lotharingiæ Duce ad
Mussipontanam Academiam Juris Ci-
vilis Professor nominatus, postea secre-
tioris consilii Minister ac libellorum sup-
plicum Præfectus creabatur, quo mu-
nere per plures annos cum maxima
laude animique tranquillitate fungeba-
tur, donec Joannem Filium suum, quem
unicum habebat, Jesuitis erudiendum
tradidisset. Hi enim, cum in puero
summam ingenii docilitatem animad-
verterent, omnem dederunt operam,
ut illum in Loyolistarum militiam ag-
gregare possent; cum autem ibidem
quoque communis esset fama, quod hi
optimorum ingeniorum aucupium fa-
cere soleant, rem brevi Joannis Paren-
tes subodorati horum consilia disturba-
runt: inde vero Guilielmus tam atro-
cem in se concitabat tempestatem, ut
cum uxore & Filio e Lotharingia ex-
cedere cogeretur. Igitur in Angliam
reversus a Jacobo I. Rege honorifice ex-
cipitur,

Sæc. XVII. cipitur, ad Consiliarii dignitatem am-
 A. C. 1605. plis stipendiis Londinum evocatus: cum
 vero avitam Religionem, cui immota
 fide adhærebat, indies magis opprimere
 cerneret, maluit Regis oblata repudiare,
 quam vel levissimam desertæ fidei
 suspicionem incurrere: unde veritas,
 ne ejus Filius Regi ob ingenii aciem
 percarus, lenociniis captus a vera fide
 abduceretur, Anno a partu Virginis
 millesimo sexcentesimo in Franciam re-
 vertebatur, in Andegavensi Academia
 primariam Juris civilis Cathedram mo-
 deratus, ubi etiam, cum jam per quin-
 quennium docuisset, hoc anno vitam
 cum morte commutavit. Exstant plu-
 res illius Commentarii in varios Juris
 civilis titulos: scripsit etiam tractatum
 de regno & regali potestate adversus Mi-
 narchomachos, ceteris vero ejusdem lu-
 cubrationibus palmam eripit liber de
 potestate jure & imperio Papæ in Re-
 ges & Principes sæculares, quem pri-
 mum ejus Filius decimo post obitum
 Patris anno publici juris fecit, & con-
 tra Bellarmini tractatum vindicavit, e-
 dito libro, cui titulus: *Pietas seu vin-
 diciæ pro parente Guilielmo: Quemadmo-
 dum vero Patris liber anno millesimo
 sexcentesimo nono die nona Novembris,*
*ita & Filii vindiciæ quarto post anno
 die decima Maji a Sacra Congregatione*
 pro-

proscriptæ sunt, ambo tamen libri nunquam avidius, quam post hoc interdictum, uti fieri amat, a literatis fuere conquisiti. Inter Philologos numerari meretur Robertus Constantinus Cadoimi in Normannia natus, qui ibidem elegantiores literas, hæbraicam, græcam latinamque linguam professus Historiæ studio sese impendit, ac mortuo Julio Cæsare Scaligero ipsius annotationes in Theophrastum edidit, Auctoremque a Plagii vitio vindicans, plura alia opuscula typis vulgavit. Obiit anno ætatis suæ centesimo tertio integris corporis mentisque sensibus, & præcipue memoria adhuc valida, quæ tamen præcipue in literatis senio confectis inter ceteras animæ facultates prima vacillare ac debilitari incipit.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

§. CCX.

Ulyssis Aldrovandi decessus.

Enimvero Ulysses Aldrovandus ex illustri Comitum Aldrovandorum genere ortus præcipuum sibi locum inter Philosophos ac Medicos vendicaret, cum vero scriptorum, quæ posteris reliquit, excellentia æque ac numero vix hoc in sæculo sibi parem habuisset, & insuper naturales suas pervestigationes doctrinis ad mores instituendos aptissimis

Miræus de
Script.
Eccles.
Sæc. XVII.
Bumald.
Bibl. Bonon.

Hist. Eccles. Tom. LIII. B b b mis

Sæc. XVII. mis præcipue in libris de Quadrupedi-
 A. C. 1605. bus abundanter exornasset, haud im-
 merito illum Scriptoribus Ecclesiasticis
 accensemus. Erat is patria Bononiensis, ibidemque Philosophiæ ac Medicinæ Professor, qui in perscrutandis naturæ arcanis tam impigrum adhibebat laborem, ut non modo de plantis, animantibus, metallis, avibus & piscibus undique collectis celeberrimum erigeret Museum, sed insuper eorum figuram atque naturam fidelissimo exponeret colore & calamo, ipsiusque cuncta inspiciendi animo remotissimas quasque Regiones peragraret: Pictori quoque hac in arte celeberrimo, per triginta & amplius annos, annum ducentorum aureorum stipendium percipit. Delineatores etiam ac Sculptores habuit celeberrimos, ut qua maxima fieri posset, naturæ imitatione aves &c. designarentur. Attamen ex tot immensis sumptibus, quos in tot libris conscribendis, & in Iconibus, quibus illustrantur, fossilium, plantarum & animalium incidendis impendit, adeo viribus, & facultatibus exhauriebatur, ut quamvis Bononiensis Senatus, Montaltus Cardinalis, Franciscus Urbinatis Dux alique Italiæ Proceres larga manu subsidia contulerint, Ulysses tamen non modo novercantis naturæ invidia oculo-

oculorum usum amiserit, sed etiam in **Sæc. XVII.**
 Bononiensi Nosocomio summa egestate **A. C. 1605.**
 senique molestiis confectus die quarta
 Maji obierit: Hujus celeberrimi Viri
 lucubrationes, quæ nonnisi caro ad-
 modum pretio venditæ in paucis Bi-
 bliothecis hodiedum integræ reperiun-
 tur, primo Bononiæ tredecim tomis
 majoris formæ excusæ prodierunt: ex
 his ipsemet Author tres Tomos de Or-
 nithologia seu avium Historia, & se-
 ptem libros de insectis edidit, rursus
 Francofurti typis impressos. Cum au-
 tem Ulysses morti proximus esset, ce-
 terosque suos libros proprio chirographo
 conscriptos Bononiensi Senatui testa-
 mento legasset, hujus cura Joannes Cor-
 nelius Uterverius & Thomas Dempste-
 rus tria volumina de quadrupedibus,
 piscibus & ceteris, reliqua vero, Ovidius
 Montalbanus Dendrologiam, & Bartho-
 lomæus Ambrosius historiam serpen-
 tum & Draconum, omnes celebratissi-
 mi Bononiensis Academix Professo-
 res, post Authoris obitum ediderunt,
 atque exornarunt: Præfatis igitur tre-
 decim voluminibus comprehenduntur
 Libri V. de Piscibus, viginti de Avibus
 quatuor de Animalibus exsanguibus.
 Septem de Animalibus insectis, unus
 de Quadrupedibus Solidipedibus, alius
 de Quadrupedibus Bisulcis: Præterea
 B b b 2 illius

Sæc. XVII. illius Dendrologia naturalis, Museum
 A. C. 1605. Metallicum, Historia Monstrorum Ser-
 pentum & Draconum prodit. Referunt
 Scriptorum nonnulli Ulysses concinnasse
 etiam tractatum prælo paratum de
Providentia Dei ex animalibus cognoscenda.

§. CCXI.

Theodori Bezae Calvinista interitus.

*Adam
 Melch. in
 vita Theol.
 Thuan.
 lib. 134.
 Maimo. hist.
 du Calvinij.*

Inter Sectarios Scriptores, qui hoc an-
 no periere, vix alium præter Bezaem
 reperire est, qui Calvinianæ sectæ fa-
 natismo abreptus contra omnes sibi
 adversantes convitiis, calamo, imo
 ferro & igne, quo hæreticos plecti so-
 debat, magis impotentibus indomit-
 que furiis tumultuabatur. Erat is Ve-
 zeliis, vetusto Heduorum oppido die
 vigesima quarta Junii anno Christi mil-
 lelimo quingentesimo decimo nono Ca-
 tholicis Parentibus natus; eo enim tem-
 pore Lutheri & Calvini hæresis ad-
 huc in cunis vagiebat: postmodum
 vero Theodorus apud Nicolaum Prio-
 rem Longelmeldensem, Patrum suum
 Parisiis educatus, ab eodem Aureliam
 mittitur, ductu Melchioris Wolmari,
 qui & Calvini Præceptor erat, huma-
 nioribus literis operam navaturus; sub
 hujus igitur moderatoris disciplina in-
 tegrum exegit septennium, intra quod
 non

non modo in Latino Græcoque idio- Sæc. XVII.
 mate, in Poesi & Jurisprudencia sin- A. C. 1605.
 gulari sibi comparabat eruditionem,
 sed etiam Lutheranæ sectæ venenum
 liberaliter haurire cæperat: inde Theo-
 dorus unacum Wolmaro ad Biturices,
 ac paulopost Aureliam contendit, atque
 anno Salutis nostræ millesimo quingen-
 tesimo trigésimo nono primam Docto-
 ratus Lauream adeptus Parisios venit, ubi
 cujusdam Sutoris Parisini uxorem Clau-
 diam nomine, quam nefande adamabat,
 Genevam secum abduxit: priusquam
 res innotesceret Parisiis, non modo
 Longelmeldensi Prioratu, sed plu-
 ribus aliis, iisque valde pinquibus
 beneficiis ornabatur, non sine magno
 animæ suæ, uti ipsemet fassus est, de-
 trimento, absdubio, eo quod luxuriose
 & impie vivendo Christi pauperumque
 patrimonium indignissimus homuncio
 abliguriisset; quippe præfatam Parisini
 Sutoris uxorem nomine Claudiam pri-
 mum sollicitans ejusdem pudicitiam tan-
 dem expugnabat, insuper etiam illam
 sub ficto nomine Candidæ suis versibus
 magnopere celebrabat, cum autem car-
 men quoddam, cui ipse nomen *Juve-*
milia, seu melius scurrilia nomen hau-
 sit, obscænitates Ovidii, Propertii, Ca-
 tullii aliorumque hujus generis Poeta-
 rum insigniter imitatus composuisset,

B b b 3 necnon

Sæc. XVII. necnon quoddam epigramma edidisset, ob
A. C. 1605. hujus infames, turpissimasque foedita-
tes passim pro foeminarum corruptore,
pæderasta, & Atheo habebatur, hinc
ne in jus Parisiis vocatus capitis adiret
periculum, vendito Longelmeldensi
Beneficio, furtoque ablati calibus
aliisque pretiosis & pecuniis Genevam
aufugit, abductis secum Claudia &
puero quodam, quem *Audebertulum* no-
minabat. Aliquamdiu ibidem se Ca-
tholicum simulabat: postquam vero
furtivis cujusdam foeminæ illecebris ca-
peretur, nec eidem nubere concessum
fuisset, nisi palam Calvinii sectam pro-
fiteretur, haud cunctanter fidem Ca-
tholicam ejuravit. Anno igitur milie-
simo quingentesimo quadagesimo octa-
vo rursus cum uxore sua Genevam pe-
venit, a Genevensibus ad Cathedram &
Ministerium vocatus: inde vero Lau-
sannam profectus, ibidem comicam lu-
cubrationem de *Abrahami Sacrificio* præ-
ter tractatum de *hæreticis a Magistratu*
puniendis adversus Castellionem edidit.
Hisce ingenii sui præludiis jamjam se
satis dignum exhibebat, ut Calvinii a-
micus, Discipulus, Collega & Calvi-
nistarum Protector atque Apostolus fie-
ret, quorum etiam sortem misertus,
cum quosdam ob hæresin punitos com-
perisset, ad Henricum Franciæ Regem
questum

questum ire audebat, quinimo ipsum Sæc. XVII.
A. C. 1605.
 etiam in Calvinianæ sectæ societatem al-
 licere haud reformidabat: attamen re-
 pulsam passus sua obsequia Condeo Prin-
 cipi sacrabat, quocum etiam Evange-
 licus Miles prælio Drocensi tum com-
 misso interfuit. Inde Vezelias in pa-
 triam reversus Sororem suam, quæ
 Sanctimonialis erat, ad fidem Deo &
 Ecclesiæ abjurandam sollicitabat, a qua
 tamen propudiose rejectus est: Tum ve-
 ro velut ex clade ferocior factus, bellum
 ceteris Sectariis indixit, ac primo qui-
 dem mordacem calamum suum adver-
 sus Castellionem strinxit, eoquod hic
 aliò Spiritu illustratus novi Testamenti
 versionem a Beza adornatam rejecisset:
 postea Franciscum Balduinum, Bren-
 tium, Jacobum Andreæ, Bernarduum
 Ochinum aliosque pari furore aggre-
 diebatur. Cum ergo apud suos strenui
 Pugilis nomen sibi conciliaffet, Rupel-
 las ad Conciliabula Rupellense & Neu-
 maufanum necnon ad Colloquium Mym-
 pelgardense, adversus Jacobum Andreæ
 evocatur, ambobus post infames rixas
 & convitia histrionum more Triumphum
 canentibus. Haud absimili quoque
 successu Bernæ decertabat.

Tandem Beza ingravescente ætate
 tam vehementem patiebatur memoriæ
 lapsum, ut eorum, quæ mox dixisset,

Sæc. XVII. statim oblivisceretur, iis duntaxat mem-
A. C. 1605. retentis, quæ ante plurimos annos me-
 moriæ impressa habebat: hoc oblivio-
 nis languore fere biennio vexatus
 cum quondam ad Concionem ire par-
 ret, subita convulsione corripitur, le-
 stoque affixus anno ætatis suæ octoge-
 simo sexto die tertia decima Octobris
 mortuus est, *sicut vixit uti Libertinus,
 Atheus, impius, nulliusque Religionis ho-
 mo, teste Maimburgo.*

§. CCXII

Ejusdem Scriptoris opera.

*Weisman.
 introd. in
 Hist. Sacr.
 ad Sæcul.
 XVI. p. 244.*

Præter jam recensita Theodorus quam-
 plurima adhuc varii argumenti e-
 didit opuscula, quibus orbem totum
 velut Camerina lutulento scommatum,
 scurrilitatum, fallitatum, ac blasphemiarum
 diluvio inundabat: Percipitur
 tur crisis ac judicium, quod de illis
 tulerat quidam Recentior Protestantium
 Scriptor certe Calvinistis haud
 ingratus: *Dolendum sane, inquit ille,
 Virum hunc eruditum, multisque egregiis
 dotibus a natura ornatum & instructum,
 tot vestigia reliquisse in libris suis & genere
 scribendi, quæ, dona & gratiam Dei par-
 tim per rationem nimis adhuc liberam, par-
 tim corruptæ adhuc naturæ affectibus in eo
 valde impedita & sufflaminata fuisse, ostendunt.*

dunt: examinet in timore Domini Christianus lector mordacem & liberum stylum, quo sæpiissime utitur etiam in argumentis gravissimis, durum & inexcusabilem Bezæ Prædestinatismum, rigidam & inquisitoriam prorsus de puniendis hæreticis sententiam, alieno plane tempore & inopportuno traditam, & per se iniquissimam, quibuscunque etiam coloribus pingatur, & alia id genus plura. Hos vero defectus cum haberet communes cum plerisque adversariis suis, satius utique fuisset & religiosius, si illi non minus ac Beza ipse eosdem severiore sanctificationis & abnegationis studio per gratiam Spiritus Sancti correxissent, neque mutuam sibi invicem occasionem dedissent augendi hoc malum acrimonia Zeli in ordinem divinum, quem Religio præscribit, inter amaras istas disceptationes nequaquam redigendi: præstitisset quoque, dona & dotes hujusmodi virorum, quantum salva veritate ipsa licuit, in usus convertere totius Ecclesiæ, quam ferali odio & aversione omnia dissipare & conculcare, ac præterea hostibus communibus nil nisi ludibrium & occasionem amplissimam profanandi nomen Dei sanctissimum, præbere.

Ceterum Theodori opera Genevæ Eugenii Vignonii literis impressa ac tribus voluminibus majoris formæ comprehensa exstant: inter hæc præcipua sunt. I. *Novum Testamentum unacum li-*

Sæc. XVII. *terali commentario, atque annotationibus*
 A. C. 1605. *selectis. II. Icones seu veræ imagines Vir-*
rorum doctrina simul & pietate illustrum.
 III. *Historia reformatæ Ecclesiæ ab anno*
 1521. *usque ad 1563. Forte Beza obli-*
tus erat, aut tum nulli adhuc in men-
tem venerat, hujus Ecclesiæ vetusta-
tem ab Apostolorum temporibus repe-
tere. IV. Tractatus de excommunicatione
& Presbyteris contra Thomam Erastum.
 V. *Varia carmina, quæ sane haud ob-*
scura sunt Apostolici sui Spiritus linea-
menta. VI. Liber de Ministrorum Evan-
gelii gradibus contra Saraviam. VII. E-
pistolæ Theologicæ. VIII. Calvinii vita.
 IX. *Confessio correctæ, & jussu Pontificis*
iterum Romæ typis excusa. Huic libello
statim in fronte mendacium velut he-
dera loræ ibidem vendibili suspensa-
tur; compertum enim habetur, eun-
dem non Romæ, sed Genevæ fuisse im-
pressum. X. Theodori Presbyteri Rho-
tensis libellus de hypostatica unione græci &
latine editus. XI. Infamis epistola emen-
tito nomine Benedicti Passavantii contra
Lisetum Parisiensis Curie Præsidem. XII.
Anatomia Cochlei ad Conradum Ges-
nerum. XIII. Satyra contra eundem
 XIV. *Variæ homiliæ, & disputationes*
contra Brentium, Selneckerium, Pap-
pum, Claudium de Xaintes, Jacobum
Andrææ, Hoffmannum aliosque.

S. CCXII

§. CCXIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.*Salomonis Gesneri decessus.*

Bezæ obitum præcesserat mors Salomonis Gesneri, qui Boleslavia in Silesia die septima Novembris primam lucem aspexit, hoc anno septima Februarii denatus. Hic vix Sexennis Patre suo orbatus ad tantas redigebatur incitas, ut Troppaviæ, ubi Scholas frequentabat, filiquis & pane furfureo ægre vitam sustentaret. Inde Wratislaviam delatus cujusdam aurifabri Filios instituendos susceperat, sat tenui adhuc studii prosequendi adjumento: quocirca a Nobilibus ac Mercatoribus subinde oblato carmine, honeste mendicandi artificio, subsidia aucupans tandem ad Argentoratensem Academiam contendere valuit, ubi denuo Nobilium Polonorum liberalitate adjutus Magister creatus est: crescente indies fortuna Wratislaviam reversus, commentarium in Ciceronis librum *de fato* edidit, postea, ut Rectoris officio fungeretur, patrios lares invisit, infausta tamen ipsius sorte; cum enim quasdam Assertiones *de Sacramentis* exposuisset, inter ipsum & Conradum Bergium ac Joachimum Stygium Calvinistas tam acris exarserat contentio, ut ambo illum a
Syna-

*Becman vit.
Theol. Ges-
ner.*

Sæc. XVII. Synaxis communionē excluderet; re-
A. C. 1605. dita autem inter eos pace Gesnerus ac

Coenam, ut vocant, Dominicam ac-
 cessit, Stygius vero (raro Calvinianæ
 superstitionis exemplo) non nisi sinistra
 manu buccellam panis ei porrexit, ad-
 ditis hisce verbis, *Deus sit Iudex inter
 me & te.* His tamen gestulationibus
 Gesnerus parum territus, ut hostium
 suorum insidias eluderet, Stralsundiam
 Concionatoris ac Professoris munere de-
 coratus concessit, suis adversariis iram,
 quam in absentem evomere haud pote-
 rant, in relictam Gesneri suppellecti-
 lem exonerantibus. Tandem anno Do-
 mini millesimo quingentesimo nonage-
 simo tertio die decima sexta Maji Wit-
 tembergæ Theologiæ Doctor creatus
 denuo circa universalem omnium ho-
 minum prædestinationem, infestis dis-
 putationibus implicabatur, donec om-
 nes Settariorum Ecclesias in consilio
 positas deplorans ex vomitu cruento
 animam exhallaret, annos non nisi qua-
 draginta sex natus: Posteris reliquit
disputationes in librum Concordiæ, præ-
 ter alias *de Deo uno & trino & de Conci-
 liis*: Scripsit etiam *compendium doctrinæ
 cœlestis*; *Admonitorium ad Ordines Silesiæ*
 necnon quæstiones in Genesim.

§. CCXIV.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.*Duo libri a Parisensi Facultate Theologica proscripti.*

Hoc item anno Sedis Apostolicæ Nuntius quemdam denuntiabat librum, quem Magister Petrus Victorius Palma Cayet, priusquam a Calvini secta ad fidem Catholicam reverteretur, publici juris fecit, ac suæ lucubrationi sequentem inscripsit titulum: *Septenaria Chronologia seu Historia de Pace inter Franciæ & Hispaniæ Reges, in qua memoratu digniora ab anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo octavo usque ad annum millesimum sexcentimum quartum continentur.* In ea præcipue tres notabantur propositiones, quarum prima erat hæc: „Pontifex qua Pontifex circa essentialia fidei ejusque articulos, qui nondum sunt definiti, majorem non habet auctoritatem, quam quisque alius, nisi id ei sit expresse revelatum: „Hæc autem revelatio absque miraculo non est recipienda. II. Papa ut Episcopus suo Archiepiscopo Ostiensi est subjectus, ita dispositum legimus a Majoribus, eo fine, ut Romanus Episcopus se suo Superiori subditum esse agnoscat, prout & agnitus fuit. III. „Ut Universalis consensus definiatur, necesse

Argentre
Jud. Facult.
Theol. Paris.
tom. 2.

Sæc. XVII. „cesse est, ut unus omnibus præsit, &
A. C. 1605. „hic est Spiritualis ille, qui iudicat
 „omnia, & a nemine iudicatur. 1. Cor.
 „2. v. 15. „ Hæ igitur propositiones a
 Sacra Facultate Theologica Parisiensi
 pluribus Doctoribus examinandæ pre-
 debantur, quibus etiam suum iudicium
 ferentibus die trigesima Junii præcæ
 propositiones tanquam erroneæ, sum-
 moque Pontifici valde injuriôsæ, atque
 ad hæresin accedentes fuerunt dam-
 natæ, & omnino prohibitæ. Insuper
 inhibutum, ne hic liber amplius divul-
 getur, donec corrigeretur: interea ve-
 ro non modo illius Author, sed etiam
 duo Magistri in jus vocabantur, & ille
 quidem, ut coram Facultate se purgaret;
 hi autem, ut de lata eorum approba-
 tione rationem redderent: spargebant
 enim, quod fraude ac importunitate
 potius quam libri lectione ad hujus o-
 peris approbationem fuissent industi,
 Authore fidem suam interponente, in
 eo nil nisi solam Historiam, nihilque ad
 fidem pertinens ibidem contineri. Per-
 ceptis omnium responsis die prima Au-
 gusti Facultas Theologica habito con-
 ventu pronuntiabat, quod censura præ-
 fati libri jam antea facta typis manda-
 retur: Eodem quoque hoc anno idem
 liber Romæ die decima sexta Decem-
 bris ad Indicem librorum, quorum
 Lectio

Lectio inhibita est, rejiciebatur. Alium Sæc. XVII.
A. C. 1605.
librum, quem P. Davignonius ex Ordine S. Francisci vulgaverat, tanquam Blasphemiis scatentem Facultatis Syndicus denunciabat, desuper tamen conclusum, examen hujus libri Patri Guardiano suisque Theologis esse commitendum, eo fine, ut si hunc librum responsione dignum censerent, ipsimet ad objecta responderent; Certi enim erant Facultatis Theologi, quod privati dispendii formido Franciscanos nequaquam a communi justitiæ bono absterere valeret.

§. CCXV.

*Unicus Cardinalis a Paulo V.
renuntiatus.*

Die decima octava Julii Paulus V. summus Pontifex primo sui Pontificatus anno Scipionem Caffarellum patriam Romanam ex Sorore Nepotem Sacra decorabat Purpura, adjecto titulo S. Chryfogni: cum vero Pontifex eundem, licet alias meritis insignem, innumeris divitiis ac Sacerdotiis honestasset, haud Nepotismi labem effugere poterat, quamvis spectato Nepotis Pontificii ministerio excusandus foret Pontifex, dum sanguine propinquiorem se legit, si eo nullum fidiorem sibi existimat.

*Ciacon. in
vic. Pauli V.
Marac. in
Purpura
Marian.*

Sæc. XVII. stimat. Hic enim pro Officii sui ratione, oculus, lingua, manus mensque est Pontificis, coram illo omnia Christianæ Reipublicæ negotia exponuntur, pertractantur, & conficiuntur. Hujus primum limen terunt Principum, Regumque Oratores. Huic publicæ necessitates, tam Ecclesiæ quam summo Pontifici exponendæ deferuntur: ad ipsum quoque Regum, Principum, ac Nuntiorum Papalium literæ & querelæ diriguntur. In omnibus vero præfixum actionibus suis finem habeat Gloriam Dei, animarum salutem, incrementum fidei & Ecclesiæ, necnon totius Orbis Christiani tranquillitatem: Absque hoc onere Cardinalis Nepotis honor in vitia degenerat, inde lacrimæ & querelæ plurimorum, qui noxios cum innocuis æquali lance ponderantes promiscue scribunt, Nepotes duntaxat in detrimentum Ecclesiæ & flagellum Principum Italæ assumi, illorum prodigalitate, luxu & fastu Ecclesiæ æraria exhauriri, eos denique in immensum ex spoliis pauperum & eleemosynarum locupletari, atque ab illis totius discindi tunicam Christi, quoties usurpant, dirabunt, & sibi appropriant patrimonium Petri. Hæc autem mala non ex Nepotum Cardinalium officio, sed ejusdem abusu apud

apud paucos dimanarunt, quin pro-
pterea Pontifices solo hoc nomine pas-
sim culpandi sint, quod Nepotes suos
Purpura & dignitatibus decorarint, a
quibus, ceteroquin dignissimi, excluden-
di non forent, quia Nepotes sunt.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

§. CCXVI.

*Ordo piorum Operariorum in-
stitutus.*

Ad instaurandam Ecclesiæ disciplinam,
& rudes in doctrina Christiana in-
stituendos utilem prorsus operam na-
vabat Carolus Carafa ex nobilissima An-
driæ Ducum stirpe progenitus. Hic de-
cimo sexto ætatis suæ anno Societatem
ingressus, quinto post anno unacum
habitu non modo nominis sui existi-
mationem, sed & vitæ integritatem
exiit, tandem vero in se reversus, re-
licta profana militia, totum se piis exer-
citationibus dederat, ac Sacro Pres-
byteratus Ordine initiatus, rudes agri-
colas in Dei cognitione, & Christianæ
vitæ actionibus instituere adlaborabat,
non sine magno animarum fructu, cu-
jus spe allecti ex Sacerdotibus nonnulli
iisdem vacare cæperunt operibus, ac
novæ Congregationi, quorum Alumni
vocantur *Pii Operarii* hoc anno initium
fecere: Attamen adversus eos ingen-
Hist. Eccles. Tom. LIII. Ccc tem

Sæc. XVII. tem tempestatem concitabat dæmonis
A. C. 1605. invidia, qua tamen per Carafæ pru-
 dentiam Dei adjutorio subnixam se-
 perata, hic cætus a Gregorio XV. anno
 Christi millesimo sexcentesimo vigesimo
 primo, & postea ab Urbano VIII. ap-
 probatus, confirmatusque est. Hi Sa-
 cerdotes nullis quidem Religiosorum
 votis adstricti sunt, Religiosam tamen
 perfectionem æmulantur, suisque ob-
 temperant Superioribus, quorum re-
 gimen expleto triennio *expirat: Insu-*
 per etiam Missiones Apostolicas non
 sine magno animarum fructu
 obeunt.

FINIS.



INDEX